TRIAS SCRIPTORUM ADUERSUS WALDENSIUM SECTAM, EBRARDUS BETHUNIENSIS, …

Eberhardus : Bethuniensis,
Bernardus : Fontis Calidi, …



Ex Bibliotheca
majori Coll. Rom.
Societ. Jesu



TRIAS SCRIPTORVM ADVERSVS WALDENSIVM SECTAM,

EBRARDVS BETHVNIENSIS,
BERNARDVS ABBAS, Fontis Calidi,
ERMENGARDVS.


Quam

IACOBVS GRETSERVS SOCIETATIS IESV THEOLOGVS, NVNC PRIMUM edidit, & Prolegomenis notisque illustrauit.


Coll. Rom. Soc. Jesu Cat. Inscr. B.S.

Ad

REVERENDISSIMVM IN CHRISTO PATREM AC DOMINVM, DOMINVM PETRVM, CELEBERRIMI MONASTERII SAlemitani Abbatem amplissimum.



Cum Gratia & Priuilegio sacræ Cæsar. Maiest.
Ingolstadij, ex Typographeo Ederiano, apud Elisabetham Angermariam, 1614.
Sumptibus Ioannis Hertsroy, Bibliopolæ Monacensis.



REVERENDISSIMO

IN CHRISTO PATRI AC DOMINO, DOMINO PETRO, MONASTERII SALEMITANI ORDINIS Cisterciensis, Abbati amplissimo & Religiosissimo.

NOuatores hodierni, Reuerendissime Præsul, *duplici ratione, meo iudicio, refelli possunt: vna, scribendo & euulgando noua opera, quibus eorum errores redarguantur & confutentur; altera, extrahendo in lucem monumenta veterum, qui contra superioris æui sectarios viriliter olim dimicarunt; nec tamen assecuti sunt, vt typorum beneficio inclarescerent: cùm enim posteriores hæreses à prioribus pleraq; mutuentur, vtiq; qui illas oppugnarunt, has etiam oppugnasse censendi sunt, nam argumenta eorum, qui anteactis annis scripserũt in Hussum & Hussitas, in VValdum & VValdenses, in VViclephum & VViclephi asseclas, Lutherum quoq; & Lutheranos; Caluinum & Caluinianos feriunt; cùm potissima peruersorum dogmatum, quib. mortalium animos fascinant, ex*

pestilentibus VValdi, Hußi, & Wiclephi mammis suxerint, ita vt de Lutherana & Caluiniana secta verißimè affirmari queat, quod Caßianus de Nestoriana pronunciauit: Noua est assertoribus, sed vetusta erroribus.

Caß. lib. 1. de incar.

Vtramq; hæreticos refellendi rationem hucusq; ego inij & tenui: nam & varia opuscula proprio stylo composui & publicaui: Et nonnullos etiā ineditos Scriptores antegreßis temporibus in eadem palæstra contra inferorum portas, vtiliter & laudabiliter versatos, tenebris, quibus immersi erant, solui, & foras in apertum & apricum exire iußi. Ex quorum numero præcipuè me delectant, qui quondam calamum strinxerunt in VValdensium perniciosam factionem; quæ licet fermè ex indocta & imperita multitudine vulgi constaret; quatuor tamē notis maximè conspicua fuit; frequentia sectatorum; dissectione in varias sectas, diffusione seu propagatione, & diuturnitate durationis: neq; enim Galliam duntaxat, vbi nata est, sed & Italiam, Germaniam, Belgium, Bohemiam, imò Græciam quoque & Bulgariam peruasit, adeoque altas radices egit, vt tametsi vtriusque tam Ecclesiastici, quàm politici Magistratus

cura

cura pesti huic exterminandæ diligenter inuigilaret, vix tamen effectus conatui responderet: propemodum enim eueniebat, quod olim in oppugnatione Hydræ, quam ferunt defectis capitibus (*Cassiani verba sunt*) numerosius renascentem per sua damna creuisse: ita vt nouo inauditoq; miraculo, multiplicato mortibus suis monstro, lucri genus esset amissio, scilicet, dum quicquid ferrũ secantis abscinderet, totum id fœcunditas prodigiosa geminaret; donec laborans atq; æstuans cœptæ illius defectionis industrius appetitor, cassatis toties inefficaci opere virtutibus, fortitudinem belli armaret arte consilii, & admotis, vt aiunt, ignibus, multiplicem portentuosi corporis prolẽ feruenti gladio desecaret; ac sic ambustis intrinsecus medullis, cum rebelles venas improbæ fæcunditatis exureret, tandem parturitio monstruosa cessaret.

Quamuis, si verum fateri volumus, nec dum cessauit, cum ad hanc vsque ætatem VValdenses magno numero in Bohemia degant, qui licet sua in Confessione à Luthero publicata dicant, se non esse aduenas, sed indigenas, & tantùm non αὐτόχθονας *Bohemiæ, maioresq; suos tum demum ortos,*

quan-

quando Orthodoxi & Hußitæ de summa rerum summis viribus inter se contendebant, nam bellicorum tumultuum pertæsos secessionem fecisse, & propriam Ecclesiam, quæ nec Romana, nec Hussitica esset constituisse; credibilius tamen est, quod alij, & in his Dubrauius, in Historia Bohemica tradunt, Bohemicos VValdenses, à Priscis illis VValdensibus originem ducere; iamq; olim, vt in alias prouincias, sic & in Bohemicum regnum fatalem & feralem hanc luem à discipulis VValdi importatam esse.

Cuius sectæ perfidiam varij Scriptores, pro temporum illorũ conditione, satis eruditè & neruosè refutarunt, quorum aliquos, abhinc sesquiannum iuris publici fecimus. Nunc tres alios, Ebrardum Bethuniensem, Bernardum Abbatem, & Ermengardum, *ex Bibliothecarum carcere & catenis solutos cum Lectoribus communicamus, & quidem sub tua,* Amplissime Domine Prælate, *tutela: quam cur his Auctoribus à te non sperarem? Imò non tutelam tantùm, sed &* nitelam, *hoc est, decus & lucem spero. Quidni? A tanto Antistite, Ordinis sui decore & luce: quem vt religionis, ita & eruditionis sũma cura tenet.*

Quapro-

Quapropter in id sedulo, Religiosissime Pater, *incumbis, vt illi, quos tibi Deus gubernandos credidit, solida pietatis vitæque religiosæ fundamenta iaciant, ijsque postea variarum disciplinarum cognitionem inædificent. Quod vt consequaris, nullis sumptibus parcis, ratus, idq; non immeritò, lucrum magnum esse, doctrinæ adipiscendæ gratia, expensas facere, quo studio tuo factum est, vt numerosus ille cœtus, cui praees, iam Patribus & Philosophica & Theologica scientia egregiè excultis abundet. Quæ laus, vt perpetua sit, studiosè allaboras, submissis subinde alijs atq; alijs professionis tuæ alumnis ad nobilem & florentem* Academiam Dilinganam, *vt disciplinis illis, quæ hominem religiosum non modò decent, sed & plurimum ornant, accuratè informentur.*

Mitto dicere, quod memor beneficiorum, quæ in Societatem nostram liberali manu contulisti, & etiamnum, data occasione, confers, iam pridem optabam, meo & aliorum nomine, aliquam gratæ mentis significationem palam edere; literariam tamen; alia enim nec opis meæ est, nec à te desideratur. Ea igitur huius operis dedicatio atque inscriptio esto, quam vt tibi non iniucundam fore

existi-

existimem, facit singularis illa tua, & religiosa grauitatis condimento aptissimè temperata beneuolentia & humanitas, qua erga omnes vteris, à cuius fructu si crederem me & munusculum meum exclusum iri, nimis sanè credulo, vel potius diffidente animo essem. Vale Reuerendissime Præsul, *& Catholica Ecclesia, celeberrimo tuo Monasterio, totique sanctissimo Cisterciensi Ordini diu viue & vige. Ingolstadij: XXV. Augusti M.D. CXIV.*

Reuerendiss. paternita. vestræ
seruus in Christo.

Iacobus Gretserus.




Facultas R. P. Prouincialis,
Societatis Iesu.

TRES istos Scriptores aduersus VValdensium sectam, nunc primum à P. Iacobo Gretsero ex veteri Codice exscriptos, ego Melchior Hârtelius Societatis Iesu per superiorem Germaniam Prouincialis, potestate ad id mihi facta ab Admodum R. P. N. Claudio Aquauiua eiusdem Societatis præposito generali, Typis mandari permitto. Ingolstadij. 18. Augusti, 1614.

Melchior Hârtelius.


PRÆLO-



PRÆLOQVIA IN TRIADEM SCRIPTORVM CONTRA WALDENSIVM SECTAM.

Caput Primum.

De tribus Auctoribus, qui in hoc volumine continentur.



ANno 1613. editi ſunt Ingolſtadij tres libri Lucæ Tudenſis contra Hęręticos Albigenſes, ſeu VValdenſes, quibus addidimus aduerſus eoſdem ſex partim nominatorum, partim innominatorum monumẽta, iam tamen primùm ex tenebris eruta; præmiſſis Prolegomenis ac Notationibus de origine, propagatione, multiplicatione, propugnatoribus & oppugnatoribus peſtilentis huius ſectæ.

Interea nacti sumus tres illos Auctores (quorum in Præloquiis ca. 9. mentionem feceramus indicium faciente Clarissimo Pamelio in Schloijs ad Epistolam 63. D. Cypriani) nempe, *Ebrardum Betuniensem, Bernardum Abbatem Fontis Calidi*, Et *Ermengardum* seu *Ermengaudum*, quos vno codice membranaceo descriptos & colligatos ad me misit *R. P. Heriberdus Ros-vveidus*, Societatis nostræ Theologus; nam codex iste ad Collegium Brugense eiusdem Societatis, dono eruditissimi Pamelij peruenit.

Auctores Eruditi sunt, præsertim Bernardus, licet oratione non culti. Quis autem ab eius æui scriptoribus cultum exigat, quo omnis fermè sermonis puritas sepulta erat; singulis in eò potius intentis, vt magis sapere, quàm eleganter scribere ac loqui discerent?

Non desiderabat Tullius eloquentiam in Philosopho, inquit Ioannes Picus Mirandulanus in Epistola quadam ad Hermolaum Barbarum, *sed vt rebus & doctrina*

satis-

satisfaciat. Sciebat tam prudens, quàm eruditus homo nostrum esse componere mentem potius, quàm dictionem, curare, ne quid aberret ratio, nõ oratio. Qualia scripta meritò cum eodem Pico Silenis Alcibiadis similia dixeris, erant enim horum simulacra hispido ore, tetro & aspernabili, sed intus plena gemmarum, supellectilis raræ & preciosæ, ita extrinsecus si aspexeris, feram videas si introspexeris numen cognoscas.

De ipsis Auctoribus, qui fuerint, quando vixerint, vel nihil vel parum dicere suppetit. Ebrardus Patria Bethuniensis fuit. Est autem Bethunia non ignobilis vrbs Flandriæ seu Arthesiæ. Sed num Ebrardus seu Eberhardus iste, ille, quem *Græcistam* appellant, eiusque Grammaticam, *Græcismum*; de quo Epitome Bibliothecæ Gesnerianæ: *Eberhardi Græcistæ Betuniensis libri Grammatici in folio impreßi.* Certè nomen & Patria concordant. Nec scio, num Annotationes ad oram manuscripti codicis adiectæ, referri debeant ad Ebrardum, an verò ad librarium, vel alium

quempiam. Bernardus Fontis Calidi Abbas fuit: qui ſtatim in libri ſui veſtibulo meminit duarum diſputationum cum hæreticis iſtis initarum; in quarum priore Bernardi Archiepiſcopi Narbonenſis zelus & ardor fidei defendendæ præcipuè eminuit. Poſteriori ipſemet Bernardus Abbas interfuiſſe videtur. Sed tempus harum diſputationum non exprimit.

De Ermengardo ſeu Ermengaudo nihil ſcio, niſi quod Codex Manuſcriptus memorat, eum olim non modò Hæreticum, ſed & *Hæreſiarcham* fuiſſe; quod de ſe quoque ſcriptum reliquit Reinerus; quem Anno ſuperiore euulgauimus.

Cæterùm multa, imò pleraque ex his, quæ ſcriptores iſti diſputant, æquè feriunt noſtros nouatores ac veteres illos VValdenſes; quos aliqui etiam *Arianos*, aliqui *Manichæos* appellant; quia & illorum & horum errores amplectebantur, ſaltem nonnulli ex illis. Itaque cauſſæ nihil eſt, cur Rogerum in Anglicanis Annalibus corrigamus, vbi dicit; *Eodem Anno 1176.*
damna-

damnata est Ariana hæresis: substituto vocabulo: *Manichæa*: nam VValdensium secta nihil aliud erat, quàm variarum sectarum fœdissima colluuies: Quocirca non immeritò iam ab hac, iam ab alia nomen sortitur.

Ad calcem sui libri adiecit Ebrardus dissertatiunculam contra Iudæos, & capiti vltimo addidit quæstiunculas quasdam cum suis solutionibus, haud magnæ rei, vt ingenuè fatear, sed tamen non indidignas, quæ cum aliis lucem videant, quandoquidem cum aliis eodem genitore prognatæ sunt.

CAPVT II.

De Paterinis, Sabbataris, & nonnullis ex secta VValdensium progeneratis stolonibus.

DE Paterinis seu Patarenis copiosè egimus in Prolegomenis supra citatis. cap. 3. Quibus adde; magni probri loco habitum, si quis Paterinus appellaretur. Quare cum Ludouicus Imperator, ea, quæ contra Ioannem XXII. & Robertũ Siciliæ Regem gesta fuerant, de-

ſendere vellet, eos, tanquam Hęreticos & *Patarenos* traduxit, & ad ignem latâ ſententiâ, addixit, vt ſcribit S. Antoninus p. 3. Tit. 21. ca. 6. §. 6. Nam *Patareni* nomen Orthodoxis planè inuiſum erat, à quibus etiam petitum eſt illud Friderici II. vel potius Petri de Vineis conuicium in Papam & Clericos; lib. 1. Epiſt. cap. 2. *Apud vos Christiani mendicant, vt apud eos Patareni manducent*: qui per cæteras pœnas, in Patarenos eiuſdemque fecis hæreticos ſtatutas, de quibus in Prolegomenis cap. 6. hanc etiam ſtatuit, vt videre eſt lib. 1. Epiſt. cap. 27. *Adiicimus inſuper quòd Hæreticus per Hæreticum conuinci poſsit: Et quòd domus Patarenorum, receptatorum, defenſorum & fautorum, ſiue vbi docuerint, ſiue vbi aliis manus impoſuerint, deſtruantur, nullo tempore reparandæ.*

In cap. *Accuſatus*, de Hæreticis, lib. 6. §. *Ille quoque*; ita ſtatuitur. *Ille quoque de cuius lapſu in Hæreſin ante abiurationem conſtiterat, vel nunc conſtat: ſi poſt illum Hæreticos receptet, deducat, viſitet, ſiue aſ-*

ue associet, aut dona vel munera eis donet vel mittat, seu fauorem eis impendat, qui excusari non possit, etiam sine adoratione, (vt verbis vestris vtamur) meritò debet iudicari relapsus.

Modus adorationis erat, inquit Gregorius Tolosanus lib. 2. Partitionum Iuris Canonici Tit. 6. cap. 3. *dum qui volebant in numerum hæreticorum transire, genibus flexis coram hæresiarcha petebant hæreticari, & his hæresiarcha annuens, imponebat capitibus manum vel volumen Euangelij. Sic enim factum fuisse temporibus Hæreticorum Albigensium, inquisitionibus & auditionibus testium solennibus didici.* Hæc Tolosanus.

De VValdensibus cognomento *Insabbatatis* actum est in Prolegomenis cap. 4. sunt isti, quos Ebrardus cap. 25. *Xabatatos* & *Xabatenses*, à *Xabata* seu *Chabata* appellat. *Sotulares*, inquit Ebrardus, hoc est, *calceos cruciant, cum membra potius debeant cruciare. Calceamenta coronant; caput autem non coronant.* Ex quibus intelligis,

ligis, *Chabata* ſeu *Chapata* eſſe calceos, quos & *Sotulares* Ebrardus, & alij nominant, quaſi *Socculares* à *Socco*, quos calceos nonnulli, velut cæteris perfectiores, nota neſcio qua inſigniebant, iamq; otioſi ab omni opere manuali ſedulò abſtinebant; nam & inter cætera VValdenſium dogmata hoc erat vnum, vt eſt apud Guidonem Carmelitam in ſumma cap. 19 de erroribus VValdenſium: *perfecti non debent manibus laborare.* Quapropter *Sabbatati* ſeu *Chabatati* iſti alienis menſis auidè inhiabant; vt illis Ebrardus exprobrat: cùm enim non laborarent, rebus ad vitam neceſſariis deſtituebantur; Itaque cùm non poſſent proprio ſucco victitare, alienum inutiliter, quippe inutilia pondera terræ, abſumebant.

Adhæc mea vnus ex Patribus, quibus ſcriptionem iſtam recognoſcendi munus demandatum erat, huiuſmodi obſeruationem adiecit; quam ipſius verbis referre placet, quãdoquidem rei obſcuræ multam lucem adfert. Ita ergo ille.

Multa

Multa dicuntur de Etymologia *Xabatensium*, *Insabbatatorum*, *Sabbatatorũ*, *Chabatatorum*, videl. *Xabatatos* à *Xabata*, ſeu *Chabata*, vel *Chapata*, quod calceum ſignificat. Videtur error eſſe librariorum, non callentium ſeu priſcum ſeu pręſens Idioma Hiſpanicum, quod etiamnũ calceos vulgò vocat *Capatos*; & calceum *Capato*, tametſi pro litera ç. familiari Hiſpanis & Gallis, rudiores Hiſpani ſubſtituant, (aut) & ſcribant *Zapato*, *Zapatos*; *Sapato*, *Sapatos*. Galli porrò (& Hiſpani nonnulli) fuerunt magna ex parte Albigẽſes ſeu VValdenſes illi, quos *Capatenſes Capatatos* (ſic ſcribendum videtur) appellabant. Albium aũt vnde Albigenſes dicti, Vrbs eſt Gallię nouẽ Leucis diſtans Toloſa; & ab Hiſpania vix duorum triumue dierum itinere breui. Eſt verò probabile S. Dominicum (Ordinis prædicatorum Fundatorem) Hiſpanum, cum ſuis ſociis itidem Hiſpanis, qui multo tempore coram, in ipſa Vrbe Albio, diſputabant & Hæreſin Albigenſium oppugnabant, fuiſſe pri-

mos, qui sectariis ritis indiderint nomina Hispanica, *Capatados* seu *Capatatos*, quod viderent inter alias stultitias sectariorum illorum præcipuam fuisse, quam circa suos calceos nescio quibus notis ac signis insignitos exercebant.

VValdensium ex lumbis prorepserunt, successione temporis, complures alij fanatici, qui nouis deliriis sectam partim adauxerunt; partim in nouam quodammodo transformarunt, inter quos eminent *Dulcinus* cum suis *Dulcinistis*. *Hermannus* cum suis *Hermanistis*, *Gerardus Sagarelli Parmensis*, Fratricelli, Begardi, Beginæ, & similes, quos suum in catalogum, tanquam Lutheranæ veritatis irrefragabiles testes, diligenter retulit Illyricus; & suum in *Mysterium* Plessæus, & in suos Mendaciorum Centenarios VVolphius.

De Dulcino ita Blondus Decadis secundæ libro nono, Anno Christi 1307. *Dulcinus quidam & Margarita uxor sua, Hæresiarcha, apud Vrbem Lombardiæ Noua-*

Nouariam Sectatores vtriusque sexûs ad mille nacti, vir⁹ diffundere cœperant, eò perniciosius quo sacerdotes & religiosos in populorũ inuidiam adductos spernentes, simulatam puritatem quandam & innocentiam vitæ proponebant, secundum quam immixti fœmellis mares lasciuiâ ad libitum debacchabantur. Eos itaque immißi à Clemente Romano Pontifice nuncij in montem coactos excelsum, Alpibus continentem, fame & frigore confectos ad vnum sustulerunt.

Distinctius de Dulcino S. Antoninus p. 3. tit. 21. cap. 1. §. 2. *Eodem anno* 1305. *in comitatu Nouariensi Prouinciæ Longobardiæ, exorta est quædam hæresis pessima; cuius Auctor fuit quidam, frater Dulcinus vocatus, qui non erat religiosus alicuius regulæ approbatæ, sed lupus sub pelle ouina habitûs religiosi. Hic Zizania disseminans in medio tritici pessimorum errorum, & inter ceteros asserens, quod omnia debebant esse communia, etiam mulieres ad commixtionem, quod quidem peccatum non erat,* (judicio ipsius) *sed actus charitatis, &*


quod Papa & Cardinales, cæteriq; Prælati Ecclesiarum non erant veri Pastores Ecclesiæ, cum non seruarent vitam Euangelicam; sed ipse erat verus Apostolus Christi dignus Papatu; cum pluribus aliis articulis falsitatis multos secum populares vtriusque sexus, vilis tamen conditionis, ad illam Hæresin attraxit vsque ad numerum quatuor millium: qui habitabant in montib. & locis syluestribus, vt animalia bruta. Cum autem deficiebant eis vectigalia, prædabantur vndecunq; habere potuissent, tanquam omnia forent communia. Per duos autem annos permansit talis congregatio Hæreticorum. Sed quia, vt ait Saluator; Matth. 15 omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur; *ideo ad nihilum redacta est. Et tædio victi paupertatis & incommodorum, qui eum sequebātur, multi eum dimiserunt, ad fidem reuersi. Demum captus ipse Hæresiarcha cum quadam Margaritha socia sui erroris p Nouarienses combusti fuerunt, cum multis aliis vtriusque sexus perseuerantibus in pertinacia sua.*

Hæc de *Dulcino* & *Dulcinistis* S. Antoninus; qui multa etiam de *Fratricellis* p. 3. tit. 21. c. 5. §. 1. vt & Prateolus in catalogo, qui eorundem Auctores statuit Hermannũ illum Italum. quem Bonifacius VIII. iterum exhumari, & in cineres verti iussit, vt scribit Platina in Bonifacij Vita.

De Begardis & Beginis vide Clementinam, *ad nostrum.* de Hæreticis. & Clementinam primam, *de religiosis domibus.* & Extrauagantē Ioannis XXII. *Sancta Romana*, de religiosis domibus. Et Extranagantem eiusdem, *Ratio recta.* Inter communes, eod. tit. & Guidonem in sua *Summa*. Et quia passim, præcipuè in Belgio, sub *Beginarum* nomine, Virgines Deo verè & sanctè famulabantur, ne nocentium damnatione innocentes inuoluerentur, Ioannes XXII. Prædicta constitutione; *Ratio recta.* paternè prouidit.

CAPVT III.

Recensentur immania quædam facinora à VValdensibus, & qui ab his exstiterunt, perpetrata.



IAm dixi & probaui in Prolegomenis Albigenses & VValdenses non re, sed appellatione diuersos esse. Itaque quod de illis proditum est; de istis itidem accipi debet; nam vtrosque vnus idemq; furor & amentiæ spiritus agitabat, qui suiipsius iconismum in his suis factis spectandum exhibuit.

Cum Catholici Biterensem ciuitatem obsiderent, accidit, vt hæretici in obsidentium conspectu, *super volumen sacri Euangelij mingentes*, verba sunt Cæsarij lib. 5. c. 21. *de muro illud cōtra Christianos proijcerent, & sagittis post illud missis clamarent: Ecce lex vestra miseri. Christus verò Euangelij sator iniuriam sibi illatam non reliquit inultam; nam quidam satellites Zelo fidei accensi, leonibus similes, scalis appositis, muros intrepidè ascenderunt, hæretícisque*

ticisque diuinitus territis & declinantibus, sequentibus portas aperientes, ciuitatem obtinuerunt.

Idem Cæsarius ibidem. *Quidam ex potentibus Ciuitatis Tolosanæ quiddam tam horrendum in odium Christi, & ad confusionem nostræ fidei egit, vt etiam ipsos Christi inimicos mouere meritò debeat. Iuxta altare maioris Ecclesiæ ventrem suum purgauit, & palla altaris ipsas immunditias detersit. Cæteri verò furori furorem adijcientes, scortum super sacrum altare posuerunt, in aspectu Crucifixi cũ eo ibi coeuntes. Postea ipsam sacram imaginem detrahentes, brachia ei præsciderunt, multò militibus Herodis deteriores, qui mortuo, ne eius crura frangerent, pepercerunt.*

Chronicon Altissiodorense. *In quodam oppido erant, præter indigenas, Capellanus vnus, Milites sex multa præditi probitate cum Seruientibus quinquaginta. Erat eis vicinus quidam de indigenis potens nimis Girandus de Pipio, qui nostris dextras dederat, ab eis in familiaritatem receptus.*

ceptus. Hic ipsa Natiuitatis Dominicæ die postera, tanquam proditor & periurus, cum armata multitudine repentè irruit in incautos. Cumq; non posset eos ad libitum obtinere, blandis promissionibus de munitione Arcis, in qua continebantur, eos extrahere procurauit, iuramento se obligans, quod cum armis & equitaturis, totisque mobilibus liberos abire permitteret, & vsque ad suos securè conduceret. Eadem nocte ad mensam eos propriam recepit; sed post mensam, Iudam illis alterum se ostendit. Nam cunctis tam militibus quàm seruientibus, Capellano etiam primò rebus omnibus spoliatis, in turris imo deposuit vniuersos, postmodum autem eductis militibus cæteris, ibi Capellano & Seruientibus derelictis ignem & paleas, lignaq; quàm plurima supertecit desuper, clamantibus eius Ministris, & B. Mariæ crebrius exprobrantibus in hunc modum: Ah meretrix Domina sancta Maria. Post paululum iterum super turriculam ascendentes, explorant, vtrum miseri animas exhalassent, quos dum nec-

necdum mortuos inuenissent, ignem iterum cũ lignis & paleis iniecerunt, Beatam Virginem iteratis blasphemiis impugnantes. Hi itaq; huiusmodi ludibria experti & tormenta in vinculis & carcere triduo permãserunt, ignis quidem attacti incendio, sed non vsti, nam virtus Altißimi obumbrauit illis, & B. Mariæ Virginis castitas fuit illis in velamento diei, & in vmbraculo caloris ab æstu. De Seruientibus quidem sic: Porrò milites, quos ad explendam sæuitiam reseruarunt, captiuos abducunt; duos ex illis, cæteris præeminentes eductos extra castra pœnis & iniurijs, Christum Dominum fidemq; Catholicam abnegare compellunt. Tandem persistentes in fide, pollicibus proprijs exoculant, auriculas radicitus amputant, nares insuper & labium superius detruncantes, semineces reliquerunt, quorum altero nimietate doloris exstincto, alter viuus repertus est.

Cæsarius lib. 7. cap. 24. *Ante hos annos, cùm Catholici contra Albienses Hæreticos fuissent signati, & iam non modicum*

ab ijsdem essent ijdē hæretici exacerbati, duo honesti Clerici, per terram illorum transeuntes, cùm Ecclesiam vidissent in via desolatam, ait vnus alteri: Sabbatum est; intremus Ecclesiam hanc, & dicamus Missam in honore Dominæ nostræ; portabant enim secum librum, calicem, & indumenta Sacerdotalia. Antequam esset Missa completa, hæreticis proditi sunt; qui armata manu intrantes, & Sacerdotem de Ecclesia trahentes, linguam eius radicitus exciderunt.

Recenset deinceps Cæsarius, quomodo iste ipse Sacerdos Cluniacum delatus liguæ vsum ope beatissimæ Virginis Mariæ impetrauerit.

Cum Mediolanenses arctissima obsidione à Friderico II. premerētur, *ciues contra Deum calcaneum leuantes, versi sunt in arcum prauum*, inquit Matthæus Parisiensis in Henrico III. *& quasi desperantes, & de Deo diffidentes, in Ecclesiis Crucifixum per pedes suspendentes, & carnes sextis ferijs, & in Quadragesima comedentes, & multi*

multi per Italiam in eiusdem desperationis abyssum demersi, conuiciantes & blasphemantes Ecclesias sordibus, quas indignum est dicere, irreuerenter macularunt, altaria magis polluentes, viros Ecclesiasticos expulerunt.

Hos Paterinos fuisse oportet, quorum Lombardia illis temporibus plenissima erat, quibus in eadem Prouincia & alibi viriliter restitisse *Humiliatos* testatur Vitriacus lib. 2. suæ Historiæ cap. 28. *Adeo autem formidabiles hæreticis, quos Patrinos* (Paterinos) *appellant, effecti sunt,* inquit Vitriacus, *& ita potēter & apertè fraudes eorum detegendo, impios & incredulos ex diuinis scripturis prudenter conuincunt, & publicè confundunt, quòd iam coram ipsis non audent comparere, multiq; ex ipsis errorem suum cognoscentes, ad Christi fidem reuersi, ipsis fratribus coniuncti sunt, & ita facti sunt discipuli veritatis, qui fuerunt Magistri erroris.* Dicti sunt autem Regulares isti Humiliati, *quod in paupertate & asperitate habitûs, & gestus exterioris compositio-*

positione, & morum grauitate, & in omnibus verbis & operibus suis magnum ostenderent humilitatis exemplum : vt ait Vitriacus.

p. 49. & 56. Edit. Colon.

Contra eosdem Hæreticos exstant duæ Epistolæ Innocentij III. altera ad Auxitanum Episcopum ; altera ad Archiepiscopum Aquensem, vbi inter cætera Pontifex. *Quosdam, qui Waldenses, Cathari, & Paterini dicuntur, & alios quoslibet quibuscunque nominibus appellatos, in tantum iam accepimus pullulasse, vt innumeros populos sui erroris laqueis irretierint, & fermento corruperint falsitatis*: de quibus sæpe etiam in Germania supplicium sumptum est. Exempla nonnulla commemorat Cæsarius lib. 5. c. 19. Et Trithemius in Chronico Hirsagiensi Anno salutis 1315. In Belgio de ijsdem pœnæ repetitæ. Nam auctarium Aquicinctinum à Miræo cum Sigeberto & aliis publicatum, ait Anno 1183. multos hæreticos in Ciuitate Atrebatensi detectos, *quos quidam dicunt Manichæos, alij Cataphrygas, nonnulli Arianos*

nos

nos, Alexander autem Papa vocat eos Paternos, &c. qui postea exusti sunt.

CAPVT IV.

De Fraternitate Caluinistarum & VValdensium.

ANno Domini M. D. LX. miserunt VValdenses Bohemi Legationem ad Caluinum, cuius mentionem facit Beza in vita Caluini. Tum quoque (Anno 1560.) *Waldenses Boëmi, quos vocant, duobus fratribus ad Caluinum missis, quædam ab eo sunt de religione percontati: quibus ille, sicut par erat, benignè satisfecit, eos etiam cohortatus, vt cum reliquis Ecclesiis se coniungerent.*

Epistola VValdensium duobus Legatis ad Caluinum data, exstat inter Epistolas Caluini, numero & ordine 204. qua caussas Legationis exponunt; quarum vna, *familiaritas olim cum Caluino Argentorati à maiorib. suis contracta; & nunc à posteris renouanda; idq; eo fine; vt communi hosti eò fortius, coniunctis armis, obuium ire*



liceat. Vbi etiam ſcribunt, *falsò ſe* & progenitores ſuos vocari *Picardos*, vel *VValdenſes.* Et tamen Epiſtolæ hanc ſubſcriptionem appenderunt. *Seniores vnitatis fratrum, qui vulgò VValdenſes vocantur. Vulgò*, inquiunt, *non falsò.* Cur non falsò, ſi nomēclaturam hanc ſibi *falsò* imponi credebant? Et Caluinus in Reſponſo ad eoſdem ſic illos ſalutat. *Ioannes Caluinus VValdenſibus S. D.*

Continetur hoc reſponſum inter Epiſtolas Caluini, & eſt numero 298. Ex qua diſcimus, VValdenſium legatos conqueſtos de Caluino ob Epiſtolam ad Polonos miſſam, quæ eſt 244. quaſi de VValdenſibus, eorumque de Sacramento Euchariſtiæ ſententia, parum honorificè ſcripſerit. Verba Caluini ſunt. *Nec certè putamus adeò moroſos eſſe bonos illos Fratres* (VValdenſes) *quin libenter recipiant, quæ aliunde allata fuerit, explicationem, ſi modò in vſum Eccleſiæ commoda aptaq́; eſſe videbitur:* id eſt, non putabat Caluinus fore vllam difficultatem, quo minus VValdenſes in

ses in Caluini opinationem Geneuâ allatam concederent: non enim videri volebat noui dogmatis cusor & architectus; sed veteris ab ipsis VValdensibus recepti, explicator & illustrator. Sed VValdensibus, tametsi non subtilissimis & nasutissimis, suboluerunt versutiæ, & vulpinæ artes Caluini.

Pergit Caluinus VValdensium laudes concinere. *Breuiter & ferè concisè asserunt, panem & vinum esse verum Christi corpus & sanguinem. Statim ad Confessionem transeunt, quæ, nostro iudicio, doctrinam obscurat, vel inuoluit magis quàm illustret.* Ecce, VValdenses, fraternum à Caluino de vestra Confessione iudicium. Sed ne interrumpamus stilum orationis Caluinianæ. Expone ergo, sodes, cætera tua de VValdensibus sensa. *Queruntur iniustis se calumniis grauari, imo traduci ludibrijs & subsannationibus.* (Dic à quo, vel à quibus? Num fortassis à te, & à tuis? Ita credo.) *Sed primos sibi aduersarios statuere videntur, quicunque certius definiri postulant,*

lant,

lant, quomodo panis sit corpus, (Inter quos certiores *definitores* Caluinus præcipuus & vnicus; quisquis enim aliter definiuisset, quàm Caluinus, is rem magis inuoluisset, quàm euoluisset, & tenebricosior definitor fuisset, iudicio quidem Caluini) *Tantum dico*, inquit Caluinus, *cùm non satis disertè vel enucleatè de hoc Mysterio locuti sint VValdenses, fastidium à Christiana modestia procul remotum fore, si ab ipsis omnis interpretatio requiritur*; potissimùm Caluiniana, Geneuę proseminata: nam Caluinus in eo erat totus, vt Poloni, repudiatis VValdensibus, in suam sententiam transirent.

Quocirca subdit sequentia, vt Polonos ab acceptanda VValdensium confessione absterreat; & ad Geneuenseem amplectendam alliciat; *Formulam verò Confessionis amplecti, quæ sine discrimine, in vnum fasciculum damnationis omnes inuoluit, qui præcisè non fatentur, panem esse præsentissimè Christi corpus, an fas sit Christiano homini, videritis; nos certè non putamus.*

tamus. Et tamen Caluinus in vnum damnationis faſciculum omnes illos coniicit, quicunque non ſtatim adorant, quidquid ipſe vel ſtertuit, vel ſomniauit, vel faucibus impuris eructauit.

Amplexi fuerant Polonorum nonnulli Confeſſionem VValdenſium, in qua illa, quæ de cœna tam obſcurè & ambiguè dicta Caluinus conqueritur. Inde vt Polonos abſtrahat, Geneuenſia, hoc eſt, ſua deliria verboſiſſimè illis proponit, quaſi clariora & expeditiora, cùm ſint caliginoſiſſima & impeditiſſima.

Vtcunq; ſit, litteræ iſtæ Caluini ad Polonos, pupugerunt VValdenſes: Quare de illis Legati Piccardici querelas apud Geneuenſes depoſuerunt, obliquè tamē, teſte Caluino Epiſt. 298. Cui in promptu fuit Apologia, eaq́; multiplex. I. *Nos nullius culpæ nobis conſcÿ ſumus.* Quaſi verò iudicio VValdenſium, culpa nulla fuerit, tam contemptim & abiectè de VValdenſium Confeſſione loqui, & hoc apud Polonos.

Si VValdenses de Caluino simile iudicium tulissent, illudque ad Polonos transmisissent; Caluinus è vestigio capitalis sceleris eos condemnasset.

II. *Non sumus de vobis odiosè locuti.* At VValdenses secus existimant, quia si de Caluino ita locuti fuissent, Caluinus rem odiosissimam interpretatus fuisset, & forsan *Picardi* ex Bohemia Geneuam profecti flexis genib. coram Caluino hanc tantam culpam deprecari debuissent. Id satis apparet ex Epistola Caluini ad VValdenses; nam cùm Caluinus VValdensibus obiecisset, quod sua in Apologia nimis acerbo stylo quoslibet abs se dissentientes, insectarentur; Legatusque VValdensium dixisset; ipsum etiam Caluinum cum nonnullis aduersariis suis *amarulentius decernere*; Caluinus monitionis impatiens ita ad VValdenses rescripsit. *Quod retaliandi caussa mihi obijcit nuntius vester, me etiam in quibusdam scriptis nimium excandescere, Etsi in totum non inficior, tem-*

pesti-

pestiuè tamen non protulit. Et quod nam tempus proferēdi tale quid Caluino tempestiuum fuisset? *Ait se tantum impuros quosdam canes* durius insectari. At Caluino canis erat, quisquis manibus pedibusque in sententiam eius non concedebat. Et si VValdenses paulò vlterius funem contentionis trahere perrexissent, iam Caluinus omnes, nullo excepto, in canes transformasset. *Longè dissimilis est ratio vestræ Apologiæ*, inquit Caluinus, *quæ promiscuè & absque delectu vllo, multos pios & doctos homines malè sentientibus inuoluit.* Inter *quos pios & doctos* primus ipse Caluinus. Secundarij, illi, qui Caluini deliria exosculabantur: quos VValdenses, suorum placitorum æquè amantes ac tenaces, parum morabantur, arbitrati satius esse, vt Caluinistæ, vtpote iuniores, ad sua; quàm vt ipsi, quippe seniores, ad Caluinistarum castra transirent.

Quapropter licet Caluinus VValdenses denuo verbosè hortaretur, vt se cum

Polonis Caluinianis coniungerent, VValdenses tamen hæc hortamenta susque deque habebant, ob caussam antea dictam.

Quærat quis, de qua VValdensium Confessione Caluino sermo sit? nam vt Lutherani & Caluiniani, sic & VValdenses non vnam Confessionem, sed plures ediderũt: Mihi certum est Caluinum non loqui de illa, quæ olim Vladislao Regi oblata fuit, *quæ fasciculo rerum expetendarum & fugiendarum* inserta est, & à Frehero etiam cum Bohemicis Scriptoribus publicata: hanc enim Caluinus proculdubio ex intimis præcordiis detestabatur, vtpote Euangelio suo penitus aduersam. Num de illa, quæ Anno Domini 1533. VVitebergæ cum præfatione & encomio Lutheri in lucem venit, quam præfationem Tom. 6. Ienensi inuenies? Num loquitur Caluinus de Apologia Confessionis VValdensium; quam ad Georgium Marchionem Brandeburgensem Anno 1538. VVitebergæ, consentiente & approbante

bante Luthero, euulgatam scribit Hospinianus Caluinista Tom. 2. Sacramentariæ suæ Farraginis? An de aliqua posteriore?

Quicquid sit. Si Confessio VValdensiũ edita cũ Procemio Lutheri An. 1533 & Apologia Confessionis excusa An. 1538. cõsentit cum Gallicana seu Geneuensi Confessione, vt affirmat, & omnibus persuadere conatur Hospinianus; cur ergo Caluinus in Epistola ad Polonos Anno Christi 1557. data, tam seriò monet eosdem Polonos, ne VValdensium Confessionem acceptent; sed potius omni ope VValdenses ad suam, hoc est, Caluinianam doctrinam pertrahant? Cur sugillat VValdensium Confessionem? Cur hæc ad eosdem VValdenses rescripsit? *Nos quidem (quod bona vestra pace dictum sit) manemus in sententia, non posse simpliciter recipi Confeßionis vestræ formulam absque periculo; ac subscriptionem, nisi adhibita dextra interpretatione, Polonis multarum contentionum originem ac materiam fore,*

 nulla

nulla autem Caluino visa dexterior, quàm sua, Quamcunq; enim aliam pro sinistra habebat. Ex quibus dilucidè liquet, VValdenses, etiam politiores illos in Bohemia, non posse dici Caluini, & Caluinistarum fratres, nisi fortè Cadmæos, mutuis vulneribus ac cædibus in sese grassantes. De qua re vide plura in Prolegomenis ad Scriptores contra VValdensium sectam.

Luther. in Postill. Ecclesiast.

De fraternitate Lutheri cum VValdensibus præsertim Bohemicis, fusè disserui in iam sæpè nominatis Prolegomenis. Sed Lutherus cùm alibi, tum in Explicatione Euangelij Dom. 3. post Epiphaniam VValdenses parum profectò fraternè tractat, quos inprimis laudat, quòd asserunt, *quemlibet qui baptisma suscepturus sit; propria fide instructum esse debere; alioqui nullum ex baptismo emolumentum percepturum.* Quæ assertio admodum arridet Lutheri palato. At concoquere nequit; quòd *infantes baptizent, quos tamen propria fide destitutos affirmant; hoc*, inquit, *nihil est*

est aliud, quàm sacri baptismatis illusio; & violatio secundi præcepti, quod nomen Dei in vanum assumere seu vsurpare vetat. Nec admittit Lutherus VValdensium seu excusationem, seu responsionem, *infantes baptizari, in futura fide, quando ratione vti cœperint; nam fidem vel ante vel in baptismo adesse oportet*, inquit Lutherus, *alioqui infans non liberabitur à Diabolo & peccatis.*

Nec probat Lutherus eorundem fratrum suorum distinctionem *Regni Dei, in Ecclesiam Christianam; in vitam æternam; & in Euangelium: infantes per baptisma Regno Dei adscribi primo & tertio modo seu sensu; non secundo.* Multa hîc Lutherus aduersus *Fratres suos* disputat: *quos denuò baptizandos ait, quandoquidem in infantia baptismo sine propria fide tincti fuerint. Eosdem Anabaptismi arguit, vtpote alios ad se accedentes, iterum baptizare solitos.* Omnia sanè prorsus fraternè. Quales sibi mutuò fratres, canes & feles, vulpes & anseres.


Stul-

Stultitiæ Lutheri de actuali paruulorum fide in præsentiâ hunc vnicum D. Augustini locum oppono ex cap. 23. lib. 3. de libero arbitrio. *Piè rectéq; creditur, prodesse paruulo eorum fidem, à quibus consecrandus offertur. Et hoc Ecclesiæ commendat saluberrima auctoritas; vt ex eo, quisque sentiat, quid sibi prosit fides sua, quando in aliorum quoque beneficium, qui propriam nondum habent, potest aliena commodari. Quid enim filio viduæ profuit fides sua, quam vtique mortuus non habebat, cui tamen profuit matris, vt resurgeret? Quantò ergo potius fides aliena potest consulere paruulo, cui sua perfidia non potest imputari?* Hæc S. Augustinus.

Vnum adiungo, & finio. Dixi in Prolegomenis quæ præfixi Auctoribus contra VValdensium sectam, superiore anno publicatis; penes me esse vastum Volumen *F. Monetæ Cremonensis* in quinque libros distinctum; aduersus eosdem Hæreticos: Et quia Moneta eandem mate-

riam

riam (tametsi longè copiosius) tractat, quam tres isti nostri Scriptores; operępretium me facturum credidi; si ea capita annotarem, in quibus Moneta cum tribus istis Auctoribus conuenit: donec tandem ipsemet Moneta in lucem exeat, quem, vt & Ebrardum, Bernardum, & Ermengaudum ex antiquis membranis sua manu exscripsit *R. P. Ferdinandus Crendelius*, studiorum meorum adiutor fidelissimus, & planè indefessus, quem hoc ipso Anno, M. DC. XIV. die XXX. Maij. mors, magno mœrore meo & incommodo, à latere meo abripuit; Nec dolor iste facilè sanabilis esset, nisi certò confiderem, eum hinc ad laboris, cuius amantissimus & patientissimus erat, præmia in cęlo capienda euocatum esse. Qua spe suffultus leuius & absentiam eius, & iacturam meam fero.



In nomine Domini.

INCIPIT LIBRI * ANTIHÆRESIS PROLOGVS IN QVO EST SOMNIVM.

*Antihæreseos.



GO EBRARDVS, natione Flandrensis, Betúnia oriundus, cum doctrinam hæreseos erroneam apud me reputarem, vt eorum esuriem rabidam retunderem, & caninam; super mensa scripturarum quasdam micas recolligens & fragmenta, in eorum epulas proposui dispensare. Canes enim sunt famelici, cibum vitæ nescientes: eos ergò ad epulum inuitare non differam. Nobis enim dictum est: *Qui audit, dicat, veni*, & cortina cortinam ducat. Qui autem responderit; *Villam emi, vxorem duxi, iuga boum emi quinque*, & dixerit, *habe me excusatum*; forinsecus expellatur, & * fit nobis tanquam Ethnicus & publicanus.

Apocal. 22. Luca. 14.

* fit.

Sed, ne quis inuidus, aut arrogans nobis huius operis arrogantiam imputet, me quodam diuini numinis oraculo fuisse præmonitum, amicis innotescat. Quod enim Abrahæ vigilanti; illud idem mihi contigit somnianti. Abraham quidem *tres vidit, & vnum adorauit.* Mihi quoq; per somnium gradienti in biuio, tres personæ coæquales & æquæuæ, & per viam transeuntes obuiarunt in biuio colloquen-

quentes, & eorum colloquia, tanquam fumus aromatis, suauia, & sonora tanquam psalterij melodia decachordi, & erant gutturi meo nectarea, & auribus meis vt Sirenes.

At dum ita coambularent, respicientes à tergo, viderunt bestiam terribilem & cornutam, & humanis visibus abominabilem; quam & ego intuens expallui præ timore, frigescens in ossibus & medullis, & mentis ferè factus sum alienæ. Tres siquidem personæ, in vnam se personam transtulerunt, & sola mihi stupido persona comparuit, dicens; Crede quæ vidisti, & non timeas. Et statim surgens à somno, quamuis somnolentus, somnium intellexi, & cor meum subitò, quasi mustum *absque spiraculo intumuit*, nouos vtres dilanians & lagenas. Iob. 32. Loqui ergò oportuit, vt paululum respirarem contra eos, qui in fide claudicantes Trinitatem diffitentur, & lacerant vnitatem. Nec solùm in hoc deuiant, sed in multis legem Moysi destruunt, Patres legis iudicant, Deum, qui legem dedit, detestantur, creatorem mũdi abnuunt, & hominum plasmatorem; nubere prohibent, baptismum aquæ debilitant, Ecclesias blasphemant, missæ sacrificium abnegant, carnis resurrectionem non æstimant, fidem permutant in omnibus, alios condemnant, se *a* ipsos commendant, in *b* operib. sine fine gloriantur, pietatis prætendunt speciem, cor eorum vanum est. Dei ergò assumentes armaturam, reluctemur, scutum fidei, *loricam iustitiæ, galeam salutis; & gladium*, quod est verbum Dei, capessamus; & singulis, in quibus deuiant, opponamus argumenta.

a] Cùm Iob. (9.) dicat: *Si iustificare me voluero os meum condemnabit me.*

b] Cùm Isaias (57) dicat: *quia mei oblita es; ecce ego annunciabo iustitiam tuam; & opera tua non proderunt tibi.* Ephes. 6.



INCIPIVNT CAPITVLA TOTIVS LIBRI.

XIV. Quod

(?)

Quòd lex reprobanda non sit; & in lege multi saluati sunt.

CAPVT PRIMVM.



EXHINC igitur legem, quam ipsi improbant, approbantes comprobemus, vt postmodum ex lege comprobata, ad cætera probanda valeamus supponere probamenta.

P. Moneta lib. 2. cap. 7. & 8.

Dicunt enim, quod *lex non est ex fide*, vt dicit Abacuc, & Paulus similiter. Illud autem, quod sequitur, non producunt in exemplum. Dicit enim, Paulus videlicet, seu Abacuc; Lex non est ex fide; scilicet, *qui fecerit ea, viuet in illis.* Hæretici autem sic argumentantur: Lex ex fide non est: *quod autem ex fide non est, peccatum est*, vt ait Paulus: ergò lex peccatum est.

Abac. 2. Gal. 3.

Sed hæc argumentatio ab insufficienti est; hoc enim præmittere debent: Lex aduersus fidem est; quod falsum est, quia Paulus ad Galat. ait; *Lex ergò aduersus promissa Dei? absit.* Et ad eosdem alibi: *Fructus autem spiritus, est charitas, gaudium, pax, patientia*; quibus enumeratis subiungit; *aduersus huiusmodi non est lex.* Habemus ergò, quod lex aduersus fidem non sit. Nec sequitur; quicquid ex fide non est, peccatum est: sed, quod ex fide non est, & aduersus fidem est, verè peccatum est. Et hoc de lege dici non potest: ergò lex peccatum non est, si in fide est, vt ait Iesus filius Sirach; *Homo sensatus credit legi Dei.* Et, lex Dei fidelis est. Si ergò fidelis est, quomodo aduersus fidem est?

D. X. Symmachus: Non licet Imperatori & cuiquā pietatem custodienti aliquid cōtra diuina mandata præsumere; nec quidquā, quod Euangelicis, aut Propheticis, aut Apostolicis regulis obuiet agere.

Rom. 14. Gala. 3. Ibid. 5. Ecclesi. 33.

Quòd autem lex cum fide sit, nec aduersus fidem, probamus sic: Lucas enim ait; *qui mecum non est, aduersus me est*: Ac si diceret; qui aduersum me non est, mecum est. Et idem alibi: *qui non est aduersum vos, pro vobis est.* Simili modo dicimus: si lex aduersus fidem non est, quod conclusimus, patet, quod cum fide est, & pro fide. Vnde illud ad Rom. *quoniam quidem vnus Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Et sub lit; *Legem ergò destruimus per fidem? absit. Sed legem statuimus.* Si ergò lex statuta est per fidem, & pro fide, & cum fide, & in fi-

Luc. 11. Marc. 9. Rom. 3. Ibid.

in fide, nec contra fidem; quæ omnia probauimus: constat, quod peccatum non est, iuxta illud quod scribitur ad Romanos: *Vsque ad legem peccatum erat in mundo; peccatum autem non imputabatur, cùm lex non esset; sed regnauit mors ab Adam, vsque ad Moysen, etiam in eos, qui non peccauerunt.* Et paulò post sequitur; *Quid igitur dicemus? lex peccatum est? absit: sed, peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret mihi; non concupisces.* Et subdit: *Itaque, lex quidem sancta; & mandatum sanctum, & iustum & bonum. Quod ergò bonum est, mihi factum est mors? absit.* Et iterum: *scimus enim, quod lex spiritalis est; ego autem carnalis sum. Si autem, quod nolo, illud facio; consentio legi, quoniam bona est.* Rom. 5. Ibid. Ibid. D. V I R. Isid. lib. 5. Etym. Moyses gentis Hebreæ primus omnium diuinas leges sacris literis explicauit.

Ecce habemus ex his, quod lex peccatum non sit: sed bona est, sancta & iusta. Argumentationem igitur eorum tot modis improbatam, refellamus hoc modo: *Qui facit peccatum ex diabolo est,* vt testatur Ioannes in Epistola: sed omnis homo; facit peccatum: ergò omnis homo ex diabolo est. Sicut enim præmittere debent: lex non est ex fide, & est aduersus fidem, similiter & nos præmittere debemus: Omnis homo facit peccatum; & perseuerat in peccato. Et ita vtraq; argumẽtatio in figura peccat. 1. Ioan. 3.

Sed obiiciunt; *legem non habere locum, post Christum, quia Christus, finis legis est, legemque finiri sic contendunt.* Ad quod respondendum est sic: Hoc nomen finis dupliciter accipitur: Est enim finis consumens & destruens rem subiectam, vt ignis in lignis, mors in brutis; Et est finis consummatio & adimpletio rei, rem imperfectam perducens ad perfectum. Hoc modo artifex finis est domus, cùm eam consummauerit. Ex hoc patet, quod Christus finis legis est; finis dico, non consumens, sed consummatio. Consummauit enim legem, ad perfectionem habens eam, & ad vnguem. Neque mirum. Ipse enim principium & finis est omnium rerum; nec solum legis; imò Euangelij. Ipse enim est, de quo Ioannes ait in Apoc. *Ego sum α. & ω. id est, principium & finis.* Absit autem, quod Christus in aliquo sit finis consumens. Nihil enim cõsumit, qui omnia perficit & consummat. Apoc. 1.

Sed iterum opponunt illud, quod ad Rom. legitur: *Lex subintrauit, vt abundaret delictum*: Et illud; quod paulò ante diximus: *peccatum non imputabatur cùm lex non esset;* quod eis esse videtur impiissimum, cùm impium non sit. Ideò enim abundare dicitur delictum in lege; quia, ante legem, homo peccator Rom. 5.

poterat

poterat dici tantùm; non præuaricator. Accepta autem lege, qui præterit legem, non solùm peccator, imò & præuaricator nuncupatur. Præuaricatione igitur addita; abundauit delictum, iuxta illud; *vbi non est lex, nec præuaricatio.* Data est autem lex, vt cognosceret homo peccatum; quo cognito, impetraret medicū. (Rom. 4.)

Quod autem legi improperant, ex eo, q peccatum non imputabatur, cùm lex non esset; illud idem & de Christo potest dici. Excusationem. n. habebant Iudæi, antequam Christus veniret. Vnde Ioannes in persona Christi, ait; *si nō venissem, & locutus fuissem eis, peccatum non haberent: nunc autem excusationem non habent de peccato suo.* Venit ergò Christus, vt peccarent Iudæi? minimè: Neq; lex, vt peccatū fieret: licet per legem fiat peccati cognitio. (Ioan. 15.)

Et illud obiiciunt, quod dicitur ad Hebræos. *Dicendo autem nouum, veterauit prius.* Sed, illud, quod sequitur, prætermittunt; *habuit quidem prius iustificationes culturæ, & sanctum seculare*: Et sic soluta est obiectio. Quia, sicut & nouum Testamentum in sanguine Christi dedicatum est; similiter & prius in sanguine animalium sancitum est: vel saltem in sanguine Abel, iuxta illud Pauli ad Hebræos, *Testamenti noui meditatorem IESVM, & sanguinis sparsionem melius loquentem, quàm Abel.* Si autem ideò redarguant legem; quia lex non iustificabat; tamen nemo iustificatur, nisi mandata legis seruauerit: sicut illi, qui iacebant in quinq; porticib. in Natatoria Siloë, non sanabantur per porticus, sed per aquæ turbationem: tamen, si in porticibus non iacerent, sanari non poterant: aliòqui aquæ motum non viderent. Nec immeritò quinq; porticibus legē, quæ in quinq; libris Moysi constat, comparaui, quia, Angelum, aquam mouentem, id est, Christum Iudæos turbantem nemo videret, nisi in quinq; porticibus iaceret, hoc est, in Pentateucho Moysi, studendo insideret. Libri etenim Moysi, quinq; sunt, qui Hebraicè dicuntur [a] *Bresith*, id est Genesis, [b] *Helesmoth*, id est Exodus, [c] *Vaiecra*, id est Leuiticus, [d] *Vagedaber*, id est Numeri, [e] *Hellecaddabarim*, id est, Deuteronomius. (Heb. 8.) (Heb. 9.) (Hebr. 12.)

a] *Beresith.* b] *Vealle semoth.* c] *Vayicra.* d] *Vaied.. ber.* e] *Elle had-debarim.*

Illud etiam nobis obiicitur, quod ad Galatas scribitur; *Quicunque sub operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Scriptum est enim in Deuteronomio. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, vt faciat ea.* Hoc prætendunt in laqueum, putantes legem esse maledictam, vel maledictionis esse caussam; cùm sit potius maledictionis cognitio, quæ (Gal. 3.) (Deut. 27.)

nobis

nobis à primo parente est innata, & à nobis per Christum est ablata: Vnde ad Galatas, dicitur de libro Abacuc: *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Legimus enim in Deuteronomio, *Maledictus omnis, qui pendet in ligno.* Si ergò Christus factus est pro nobis maledictum; maledictum legis, in benedictum transtulit.

Galat. 3.

Deut. 21.

Hinc Paulus (1. Cor. 5.) ait; Modicum fermentum, totam massam corrumpit: *Et Salomon:* Qui in vno offenderit, multa bona perdet

Si autem nos terreat illud, quod dictum est; *maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in lege:* Similiter timendum est illud, quod ait Iacobus; *Quicunque totam legem obseruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus:* cum scriptum sit; *in multis enim offendimus omnes.* Ad Romanos etiam legimus; *Factores a legis iustificabuntur apud Deum.* Igitur lex factores suos iustificari facit.

Iacob. 2.

Idem. 3.

Rom. 2.

a] *Dominus tamē ait, quod tota lex & Propheta in duob. pendet mandatis, quis autem duo mandata portare non posset?*

Si autem dixeritis; quod iugum legis graue est; & patres nostri portare illud non poterant, considerate vosmet ipsos, vtrum mandata noui testamenti grauiora sint, quàm veteris Testamenti. Sunt vtique. Quare autem portare non poterant? quia, spiritalem intellectum non habebant, tanquam rudes. Lex enim tanquam b rudibus & pueris, vtpote simplicibus, data est ad eorum instructionem. Vnde illud in Euangelio; [Ioh. 6.] *Est puer vnus hic, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces.* Iudæi enim pueri esse intelliguntur, præ nimia intellectus ruditate. Quinque panes habent, id est Pentateuchum Moysi. Qui benè *hordeacei* dicuntur, vt præ nimia duritia perfringere non valeant imbecilles, hoc est, ad sensum peruenire mysticum. Prouectis autem, datum est Euangelium. Quorum vtrumque benè notat Paulus dicens ad prouectos: *Sapientiam loquimur inter perfectos:* Ad rudes autem ait; *Ego autem fratres non potui vobis loqui, tanquam spiritalibus; sed, quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo, lac vobis potum dedi, non escam.* Dignum enim erat, vt carnali populo carnalia darentur præcepta, in quibus carnalia resecarent peccata, spiritales verò discipuli, spiritaliter erant instru-

b] *Legimus tamen in Exodo: Manus Moysi erant graues, Aaron autem, id est, mons fortitudinis, scil. Christus, & Hur, id est, ignis, scilicet Spiritus sanctus sustentabant manus eius, quia pondus mandatorum legis, ad virtutem confessionis retorserunt. Cùm enim Moyses leuaret manus, vincebat Israel; cùm remittebat, vincebat Amalec.*

1. Cor. 2.

1. Cor. 3.

Thren.4. endi. Vnde Hieremias; *Paruuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.* Panem ergò habebant; ſed non panis fractorem. Vnde in Euangelio quidam *de propè* veniſſe dicuntur, vt Iudæi, Marci.8. tanquam præceptis legalibus inſtructi: quidam *de longè*, vt gentiles, tanquam à nullis edocti pædagogis. Lex tamen, vt diximus, panis hordeaceus eſſe figuratur, durum habens corticem, vt per Euangelium ad eius perueniatur medullam. Quæcunq; enim Dominus per Moyſen dixit, *ad duritiam cordis* Iudæorum dixit; ſicut ipſe teſtatur in Euangelio, cum de libello repudij loquitur. Sacrificia enim in templo de animalibus fieri iniungebat, vt idola deuitarent. Peccantibus mortem minabatur, vt peccare cauerent: & ſic de aliis. In hoc enim eos nutriebat, vt Iſaia 1. paruulos. Vnde Iſaias. *Filios enutriui, & exaltaui, ipſi autem ſpreuerunt me.* Quæ autem ad duritiam eorum ſcripta ſunt, *ad no-* Rom.15. *ſtram doctrinam ſcripta ſunt*; vt teſtatur Paulus.

Si quis autem legem ſoluere præſumat; Dominum audiat, Matth. 5. qui ait per os Matth. *Nolite putare, quoniam veni ſoluere legem, aut* Matth. 4. *Prophetas. Non veni ſoluere, ſed adimplere.* Vnde ad Ioannem, cùm vellet ab eo baptizari, ait; *Sine modò, ſic enim decet nos implere* [a] *omnem iuſtitiam.* Et ſubdit de eodem: *Qui ſoluerit vnum de mandatis iſtis minimis, & docuerit ſic homines, minimus vocabitur in* Matth. 5. *regno cælorum.* Legem autem ſoluere quis audeat, cùm Matthæus dicat; *Donec tranſeat cælum, iota vnum, aut vnus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant.* Et iterum Lucas in fine ſui Euange-Luca 24. lij; cùm Dominus loquitur ad Cleopham dicens; *Incipiens à Moyſe & Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo* Ibidem. *erant.* Et ſubdit: *Neceſſe eſt impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Moyſi & Prophetis, & Pſalmis de me.* Ecce habemus, quod neceſſe eſt, legem impleri; & omnia, quæ in lege leguntur & Prophetis, de Chriſto leguntur. Quis ſoluere poterit illud, de quo *iota vnum*, non præterit? Nec etiam Chriſtum legimus in vno apice præteriſſe legem aut Prophetas. Nihil enim fecit, niſi vt impleretur lex & Prophetæ. Vnde Lucas ait: *Tulerunt Ieſum in Hie-* Luca 2. *ruſalem vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini: quia omne maſculinum adaperiens vuluam,* [b] *ſanctum Domino vocabitur.*

a] *Omnem iuſtitiam, id eſt, ſuperabundantem humilitatem. Eſt enim humilitas debita, ſubdere ſe maiori propter Deum. Abundans, ſubdere ſe pari. Superabundans, eſt ſubdere ſe minori; quaſi dicat. Ideò ſubdo me tibi, ne dedignentur maiores à minoribus baptizari, vel regi.*

b] *Magiſter Petrus. Quaſi.*

tur. Et paulò post ait: *Vt perfecerunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in Galilæam.*

tur de his, qui ante circumcisionem fuerũt; & de mulieribus ante & post; quod remedium contra peccatum habuerunt? Quidam dicunt, sacrificia, & oblationes eis valuisse. Sed melius est, dicere; mulieres, & alios per fidem & operationem bonam iustificari: per suam, si adulta erant: vel parentum, si paruula. Magistrum Petrum vocat Magistrum Sententiarum; cuius hæc sunt verba lib. 4. dist. 1.

Legem verò non soluamus, ne in regno cælorum *minimi* appellemur. Credamus legi: Dominus enim ait per Ioannem: *Ioan 5.*
Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi: de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis; quomodo verbis meis credetis? Obseruemus legem. Ad Romanos enim scriptum legimus; *Circum-* *Rom. 2.*
cisio quidem prodest; si legem obserues. Si autem præuaricator legis es, circumcisio tua præputium facta est. Et sequitur: *Scimus, quoniam,* *Ibidem.*
quæcunque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus, Deo. Si ergò obstruere os, & subdi Deo, bonum est: lex bona est. Legem igitur seruemus, vt tandem ad gratiam accedamus. Ait enim Paulus ad Roman. *Rom. 10.*
Moyses scripsit; quoniam iustitiam, quæ ex lege est, qui fecerit homo, viuet in ea. Vnde Salomon in parabolis; *Custodi legem & consi-* *Prou. 4.*
lium, & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis. Et subdit in persona Dei loquens; *Donum bonum tribuam vobis, legem meam ne* *Ibidem.*
derelinquatis. Et iterum; *Mandatum lucerna est, & lex lux.* Et *Prouerb. 6.*
rursum; *serua mandata mea, & viues, & legem meam, quasi pupil-* *Prouerb. 7.*
lam oculi tui: Liga eam in digitis tuis, scribe eam in [a] *tabulis cordis tui. Qui enim custodit legem, filius sapiens est. Qui declinat aurem suam, ne audiat legem, oratio eius erit execrabilis.* *Prouerb. 28.*

a] *In Exo. Dedit Moysi tabulas lapideas testimonij scriptas digito Dei. Et illud: scriptura quoque Dei, erat sculpta in tabulis.*

Non dissipemus ergo legem. Ait enim Ecclesiastes: *qui dis-* *Eccles. 10.*
sipat sepem, mordebit eum coluber. Econtrà Iesus, filius Sirach ait; *Ecclesiastic. 35.*
Qui conseruat legem, multiplicat orationem. Et subdit; *Væ vobis, viri impij, qui dereliquistis legem Domini Altißimi: Et; si nati fueritis, in maledictionem nascemini: Et, si mortui fueritis, in maledictione erit pars vestra.* Legem ergò non derelinquamus, ne maledictionem incurramus, sicut Pharisæi: sed maneamus incorrupti in fide nõ corrupta: iuxta illud, quod legitur in libro Sapientiæ: *Cura sa-* *Sapien. 6.*
pientiæ dilectio est, & [b] *dilectio custodia legum illius est. Custodia autem legum, consummatio incorruptionis est.* Cui Paulus satis con-

b] *D XII. Augustinus de V.*

nigo Baptismo: Quis nesciat sanctam Scripturam Canonicã tam veteris quàm noui Testamenti certis terminis suis contineri; id est, dilectione Dei & proxi-mi.

sonat ad Romanos dicens: *Qui diligit proximum, legem impleuit:* Et subdit; *Plenitudo ergò legis, est dilectio.* Et Ioannes ad Electam: *nunc rogo te Domina, non tanquam mandatum nouum scribens tibi, sed quod habuimus ab initio, vt diligamus alterutrum.* Et hæc est charitas; Et Dominus per Lucam ad legisperitum; *In lege quid scriptum est, quomodo legis?* Qui ait: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omni virtute tua, & proximum tuum sicut te ipsum.* Cui Dominus ait: *Rectè respondisti: hoc* [a] *fac, & viues.*

Rom. 13. Ioan. Epist. 3. Luc. 10

[a] *Satis consonat Deo patri, qui ait in Leuitico.* Custodite leges meas & iudicia: quæ faciens homo, viuet in eis.

Ecce habemus, *quod omnes in dilectione, quæ plenitudo est legis,* concordant: &, qui mandatum fecerit legis, viuet. Vnde & Matthæus ait: *Omnia quæcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis, hæc est enim lex & Prophetæ.* Et Paulus ad Galatas. *Omnis lex in vno sermone completur: diliges proximum tuum sicut te ipsum.* Sed nota, quod Salomon dixit: *Custoditio legum consummatio incorruptionis est; Legum,* dixit; non, *Legis.* Leges enim duæ sunt. Vnde Paulus ad Galatas; postquam locutus est de duobus filiis Abrahæ, ait: *quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo Testamenta.* Sicut enim Ismaël & Isaac duas habuerunt matres; Agar & Sarai; vnum verò patrem, id est, Abraham; ita & duo Testamenta duas habent matres, videlicet synagogam, & Ecclesiam, vnum verò Patrem, Deum. Vnde Psalmographus; *semel locutus est Deus, duo hæc audiui.* Et idem; *Ibunt de virtute in virtutem, & videbitur Deus deorum in Sion,* id est, de Testamento in Testamentum. Vnde in Apocalypsi: *Ego sum alpha & omega, id est, principium* in primo; *finis,* in sequenti Testamento. Et in eodem; *Et de ore eius gladius vtraque parte acutus.* Quæ est vtraque acies, nisi lex & Euangelium? De quo gladio Apostolus ait: *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Vnde illud ad Ecclesiam Pergami: *Hæc dicit, qui habet rhomphæam vtraque parte acutam.* Vnde illud in Cantico Canticorum. *Omnia poma, noua & vetera, dilecte mi, seruaui tibi;* id est, fructus nouæ legis, & veteris. Cui Matthæus satis consonat dicens; *Omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patrifamilias, &c.* Vnde & Sibylla; *Adimplebit legem Iudæorum, & adiunget suam propriam in simul, & permanebit regnum illius in secula seculorum.*

Matth. 5. Galat. 5. Sapien. 6. Galat. 4. Psalm. 61. Psalm. 83. Apocal. 1. Ibidem. Ephes. 6. Apoc. 2. Cantic. 7. Matth. 13.

Qui autem sunt XXIV. seniores, quos Ioannes vidit in gloria; nisi Patres Veteris & Noui Testamenti, videlicet XII. Apostoli, & XII. Patriarchæ: Vel saltem XXIV. libri legis & Prophetarum. Tot enim sunt. Et quæ sunt animalia plena oculis antè & retro, nisi Euangelistæ, vt viderent & præcedentium in lege; & subsequentium in gratia beatitudinem? Et alæ eorum senæ, nisi testimonia ex libris legis & Prophetarum, qui sunt 24. vt diximus, per quatuor senarios distincti; id est, per quatuor Euangelistas habentes senas alas. Cui satis concordat illud Euangelicum: *Turbæ autem, quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, Osanna filio Dauid.* Vnde ad Thessalonicenses dicitur; *Spiritum nolite exstinguere, Prophetias nolite spernere.* In hoc Paulus Euangelium cum lege sociauit. Quod & ipse Dominus in transfiguratione sua fecit, Moysem ostendens Simoni, hoc est, sanctum sancto, & Eliam Ioanni, hoc est, castum casto. In hoc enim duo Testamenta confirmauit; & ad cœnam similiter, vbi primum Pascha comedit cum discipulis, & secundum. De quibus in Cantico Canticorum legitur; *Duo vbera tua, sicut duo hinnuli gemelli capreæ.* Duo enim vbera, duo sunt Testamenta.

Apocalyp. 5. *Apocalyp. 4.* *Matth. 21.* *1. Thes. 5.* *Matth. 17.* *Cant. 7.*

Vnde & Propheta videt rotam in rota: *& spiritus vitæ erat in rota, & rotæ cum euntibus ibant, & cum stantibus stabant: & earum vnus est auriga.* Similiter & duorum Testamentorum vnus est magister. vt inferius assignabitur. Et Ioannes in Apocalypsi de vtroque Testamento mentionem facit; primum de primo dicens: *Vidi in dextera sedentis supra thronum librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem.* Liber enim iste [a] Testamenti Veteris est. Septem signacula hæc sunt: [b] corporatio, natiuitas, passio, mors, resurrectio, gloria & regnum. Et subdit: *Et nemo poterat neque in cælo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, &c. Et vnus de senioribus dixit mihi: Ne fleueris: Ecce vicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, aperire librum, & soluere septem signacula eius.* Sed quid est hoc? nisi, quia Christus solus venit legis vaticinia, & mysteria reuelare, & soluere problemata. Ecce habemus primum librum.

Ezech. 1. *Apocalyp. 5.* a] *Testamentum Vetus est.* b] *Conceptio. ibidem.*

De secundo autem libro sequitur: *Vidi alium Angelum fortem, descendentem de cælo, amictum nube, & Iris in capite eius: Et facies eius erat vt Sol, & pedes eius tanquam columnæ ignis: Et habuit in manu sua librum apertum.* Angelus iste, Christus est, amictus nu-

Apocalyp. 10.

be, id est, carnis velamine, Iris in capite, Duo indicant pedes Apostoli, euangelizantes pacem: Libellus in manu, Euangelium. Ecce librum habemus secundum. Sed notandum; quod primum librum dixit *clausum esse*: secundum verò *apertum*: Et aliæ similiter notandæ sunt differentiæ, quas, etsi nouerimus, tacemus, vt ex improuiso grauius in hostem insurgamus.

In his ergò duobus libris, duo figuramus Testamenta: quos libros Lucas vocat *nummos*, quos Samaritanus dedit stabulario dicens; *quodcunque supererogaueris, ego, cùm rediero, reddam tibi.* Ecquando supererogamus? Cùm scripturas benè exponimus, exponendo multiplicamus, multiplicando, alios docemus.

Lucæ 10. Ibidem. Quos autem Lucas vocat *nummos*, Iohannes item vocat, *alas*, in

Apocalyp. 12. Apocalypsi dicens: *Postquam vidit draco, quod proiectus est in terra, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum: Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ*, scilicet duo Testamenta, *vt volaret in desertum, in locum suum, vbi alitur per tempus & tempora, & dimidium temporis, à facie serpentis.* Draco iste diabolus est, Angelus refuga, qui persequitur mulierem, hoc est, Ecclesiam. Desertus locus suus (est) sinus Abrahæ; *vbi alitur per tempora, & dimidium temporis*, id est, per M. C C. L X. dies, hoc est, per tres annos & dimidium: quod est ab incarnatione vsq; ad diem Iudicij.

Ibidem. De qua autem muliere dictum est, quod est amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim, & in vtero habens clamat parturiens, & cruciatur, vt pariat, nisi de antiqua Ecclesia Patriarcharum & Prophetarum: quæ gemuit, quousque Christum in carne genuit. Non enim est Eccle-

Apocalyp. 5. sia moderna: quia subdit: *Et draco stetit ante mulierem, quæ erat paritura. Et peperit filium masculum, qui recturus erat omnes gentes in virga ferrea, & raptus est filius eius ad Deum.* Mulier ista Ecclesia moderna esse dicitur, hæc quidem in spiritu genuit, quod illa, hoc est, synagoga, in carne peperit. Vnde & lex tanquam carnalis carnalibus data est: cum & ipsa sit spiritalis, vt diximus in prima argumentatione.

Sed forsitan obiiciunt illud, quod ad Romanos dicitur;

Roman. 3. *Nunc autem sine lege iustitia Dei manifesta est.* Et ideò legem supervacuam esse putant: Sed illud, quod sequitur, non cogitant. Ait

Ibidem. enim: *Iustitia Dei sine lege manifesta est: testificata autem à lege, & Prophetis.* Vnde Apostolus de Christo ait; *Testimonium habens à*

lege &

lege & Prophetis. Si ergò lex & Prophetæ essent fabulosa; *Veritas ab eis testimonium non haberet.* Nam, cùm à diabolo tentaretur, Testamento Veteri seipsum tuebatur: Et, quæcunque operatus est in carne, ad confirmationem legis operatus est. Vnde Ioannes ait: *Nemo ex his perijt, nisi filius perditionis, vt scriptura impleatur,* scilicet hæc: *qui manducat meum panem, leuauit contra me calcaneum suum.* Et Matthæus in passione: *Quomodo implebuntur scripturæ, quia sic oportet fieri?* Et subdit: *Hoc autem totum factum est, vt implerentur scripturæ Prophetarum.* Et in actis Apostolorum: *Viri fratres; oportet impleri scripturam Prophetarum, quam prædixit Spiritus sanctus per os Dauid.* Et in eodem: *Deus autem qui prænunciauit per os omnium Prophetarum, pati Christum suum, impleuit sic.* Et Petrus in Actis Apostolorum ait; *Cumq; consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt eum in monumento.*

Ioan. 13. *Matth. 26.* *Actor. 2.* *Actor. 13.*

Quod ergò Christus implere venit & confirmare, si quis infirmare voluerit, erubescat & credat, dicens cum Paulo in Actis Apostolorum: *Sic deseruio Patri Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt.* Et subdit: *Nihil extrà dicens, quàm ea, quæ Prophetæ locuti sunt futura esse, & Moyses.* Et iterum subdit: *Suadens eos de Iesu ex lege Moysi & Prophetis, à mane vsque ad vesperam.* Ecce & ipsi (Apostoli) à lege & Prophetis testimonia habebant de IESV, iuxta illud testimonium IESV, spiritus prophetiæ. Vnde Lucas: *Erant autem Moyses & Elias visi in maiestate, & dicebant excessum eius, quem completurus erat in Hierusalem.* Ecce, cum Christo loquebantur de eis, quæ futura erant per eum. Et idem de Abraham ad diuitem: *Habent Moysen & Prophetas; audiant illos.* Et Ioannes de Philippo ait ad Natanaël: *Quem scripsit Moyses in lege, & Prophetæ, inuenimus Iesum filium Ioseph, à Nazareth.* Et idem de Isaia ait: *hoc dixit Isaias, quando vidit gloriam eius, & locutus est de eo.* Et ad Romanos Paulus ait; *segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo.*

Actor. 24. *Luca 9.* *Luc. 16.* *Ioan. 1.* *Rom. 1.*

Ecce habemus, quod scripturæ legis sanctæ sunt, & de filio Dei sunt; & quod instructio legis vtilis sit, Paulus ad Romanos probat, si quis operam dare voluerit, dicens: *Si autem tu Iudæus cognominaris, & requiescis in lege, & gloriaris in Deo, & nosti voluntatem eius, & probas vtiliora, instructus per legem.* Et terminans

Rom. 2.

Ibidem. nans orationem suam subdit: *qui ergò alium doces, te ipsum non doces?* Ecce Iudæum vituperat, qui seipsum non docet, & alios docet: legem autem approbat, dicens: *Gloriaris in Deo*, & quæ sequuntur. Nec mirum, si legem approbat, cùm dicat ad Galatas. *Itaq;* [a] *lex pædagogus noster fuit in Christo, vt ex fide iustificemur.*

Galat. 3.

a] *D. I. Isid. senten. lib. 1. constitutionis cœpit à iustificationibus: quas Dominus tradidit Moysi dicens: si emeris seruum Hebræum, &c.*

Qui ergò pædagogum non sequitur, nec ex fide iustificatur. Et iterum ad Timotheum. *Scimus autem quia bona est lex, si quis ea legitimè vtatur.* Et Iacobus ait: *Si autem iudicas legem, iam non es factor legis, sed iudex. Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare.* Et Petrus in 2. Epist. *Non enim voluntate humana allata est Prophetia: sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Et in Actis Apostolorum; Stephanus ferè totam Genesin & Exodum recapitulans commendat, quibus finitis, aspiciens in cælum, meruit videre gloriam Dei. Non ergò sunt fabulæ benè intelligenti; sicut hæretici dicunt, qui vocant eas *fabulas Arturi.* Et ipse Paulus Timotheum circumcidit in carne, approbans legis circumcisionem. Vnde in Actibus Apostolorum legimus; *Hunc voluit Paulus secum proficisci; & assumens circumcidit eum, &c.* Vnde ad Romanos Paulus ait: *Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis.* Si ergò minister circumcisionis fuit; [b] circumcisio nullatenus reprobanda. Idem enim paulò ante dixerat, vt diximus: *Circumcisio quidem prodest, si legem obseruès. Si autem præuaricator legis es, circumcisio tua præputium facta est.*

1. Timoth. 1. Iacob. 4. 2. Pet. 1. Actor. 7. Actor. 16. Rom. 15.

b] *August. ad Valerium contra Iulian. Ex quo instituta est circumcisio in populo Dei, quæ erat tunc signaculum fidei, ad sanctificationem valebat paruulis; sicut Baptisma ex illo valere cœpit ad innouationem hominis. Rom. 2.*

Sed tamen circumcisio, non solum in præputio, sed etiam in corde spiritaliter facienda est; quod innuit Paulus dicens ad Galatas: *Neque enim, qui circumciduntur, hi legem custodiunt*; id est, qui tantùm in præputio circumciduntur, nisi in corde [c] circumcidantur spiritaliter. Circumcidamus igitur corda nostra cum petrinis cultris, sicut Iosue: *Petra enim Christus est*: Et hæc circumcisio sufficit; quia est spiritalis. Vnde Paulus ait, vt sæpe diximus: *Scimus, quia lex spiritalis est: ego autem carnalis sum.* Circumcisio quidem carnalis multis prodest, sicuti Abrahæ, & aliis quàm plurimis; non dico omnibus.

c] *Vnde Steph. (Act. 7.) increpans Iudæos, ait;* Dura ceruice, & incircumcisis cordibus & aurib. vos semp. Spiritui sancto restititis.

Rom. 7.

Vnde

Vnde sanctissimus Rabanus ait in Euangelio secundum Lucam: *Nec* [a] *putandum est, quod circumcisio suo in tempore non profuerit, his, qui ea legitimè vtebantur. Quod enim modò agitur in Ecclesia per vndam baptismatis, tunc fiebat per circumcisionem: quamuis ille nondum venisset, qui problemata scripturarum detonaret. Qui enim nunc clamat; nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei: Tunc clamabat; Masculus, cui præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illius de populo suo:* & ita, quod antè dixerat, non destruxit, sed implendo, in melius commutauit: sicut legitur de nuptiis, quæ factæ sunt in Cana Galileæ, vbi dixit; *Implete hydrias aqua.* Sicut enim fecit eas impleri aqua, potuit eas implere vino; sed noluit: in hoc nobis figuram præostendens; quod, sicut ex aqua fecit vinum, non destruens aquam, sed in melius commutans; ita ex lege fecit Euangelium, non destruens legem, sed implens, & in melius commutans. Lex [*b*] enim in Euangelium translata, alia quidem est, sed, non *aliud.* Zacharias enim mutus; fuit non *aliud* à se loquente. Velum templi scissum, fuit non aliud à se integro. Monumenta clausa, fuerunt non aliud, à se apertis. Eodem penitus modo, lex ab Euangelio differt. Euangelium enim nihil aliud est, quàm apertio legis, quæ erat obscura. Ne simus *Nominales* in hoc, sed potius ** Porretani.* Quod enim Patriarchæ & Prophetæ laborantes in lege seminarunt; illud idem Apostoli & Doctores in Euangelio desudantes messuerunt, quibus dictum est: *Colligite fragmenta, ne pereant.* Ex quinque enim panibus, id est, ex quinque libris Moysi, XII. cophini impleti sunt, id est XII. Apostolorum prædicationes. Vnde Dominus per Ioannem ait discipulis suis: *Ecce misi vos metere, quod vos non laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis.* Sed, qui sunt, qui laborauerunt, nisi Patriarchæ & Prophetæ? Nisi enim laborassent, mulier Samaritana vnde habuisset illud, quod dixit: Ait enim; *Scio, quod Messias venit, qui dicitur Christus.* Vnde Dominus ad discipulos ait, cum sederet iuxta puteum; Vos quatuor menses computatis ad messem: Ecce dico vobis: *leuate oculos vestros, & videte;* quia iam albescunt regiones ad messem. Hoc autem dicebat; quia [*c*] messes maturauerunt per Prophetas; collecta

a] *Gregor. in Moral. Quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc egit apud Veteres vel pro paruulis sola fides; vel, pro maioribus virtus sacrificij; vel pro his, qui de stirpe Abrahæ prodierunt mysterium circumcisionis.*

Ioan 3.

Genes. 17.

Ioan. 2.

b] *D. L.* Ius naturale est, quod in lege & Euangelio continetur. Ecce, quod legem connumerat Euangelio, & Euangelium legi.

** Reales, à Gilberto Porretano.*

Ioan. 6.

Ioan 4.

c] *Sicut enim Rebecca, secuta*

collecta autem sunt per Apostolos in cor vnum: per Angelos autem iterum colligentur in horreum.

puerum Abraham venit ad Isaac: Ita Ecclesia, secuta verbum Propheticum peruenit ad Christum. Qua Isaac viso descendit de Camelo: id est, agnito Christo, deserens superbiam, & tortuosam vitiorum elationem. (Matt 13.)

Qui sunt vigiles, qui custodiunt ciuitatem, nisi Patres Ve-
Cantic. 3. teris Testamenti; sicut in Canticis legimus. Vox Ecclesiæ: *Inuenerunt me vigiles. qui custodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidistis? Cùm pertransissem eos paululum, inueni quem diligit anima mea.* Vnde & Ecclesia moderna, quæ est mater nostra spiritalis, antiquam Ecclesiam vocat matrem. In eodem: *Vna est co-*
Cantic. 6. *lumba mea, perfecta mea. Vna est matri suæ, electa genetrici suæ.* Et ite-
Cantic. 1. rũ: *Filij matris meæ pugnauerunt contra me*: Et ita duæ sunt Ecclesiæ, quarum vna mater est alterius: & vtraque filia vnius, & ambæ sorores; sic dixit duo esse Testamenta; & adhuc dicimus. Vnde
Abac. 3. iuxta 70. Interpr. Habacuc: *In medio duorum animalium cognosceris*, id est, duorum
Apocalyp. 15. Testamentorum. Et Ioannes in Apocalypsi: *Habentes citharas Dei, & cantantes canticum Moysi serui Dei, & canticum Agni.* Citharas dixit pluraliter, propter duo Testamenta. Vnum, *Canticum Moysi* dicit; Propter Testamentum Vetus: *Canticum* Agni dicit; propter nouum Testamentum. Vnde & Matthæus dicit;
Matth. 21. Dominum sedisse *super asinam, & pullum filium subiugalis*: Per *asinam*, Canticum Moysi; per *pullum* verò intelligens *Canticum* Agni. Super vtraque autem dicitur sedere. Super asinam sedit,
Matth. 8. cùm dixit ad leprosum; *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus tuum, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Sic enim præcepta legis Moysi approbauit, quod sæpe legimus eum fecisse. Super
Matth. 21. pullum sedisse dicitur; cùm nouum dedit eis mandatum.

Vnde & super asinam Apostoli dicuntur imposuisse vestimenta: Lex enim nudis erat vestimentum. Vnde Adam de fo-
Genes. 3. liis ficus, id est, de mandatis asperæ legis suam cooperuit nuditatem. Et Dominus per Osee Prophetam ait: *Auferam vestimenta mea & linteamina*, id est, legem *meam*, & ostendam gentibus turpitudinem tuam. Vnde & Iudæi legem carnaliter legentes, quasi lege vestiti, suam non vident turpitudinem: De quibus ait
Rom. 10. Paulus: *Confiteor, quia Zelum Dei habent, sed nòn secundum scientiam*: rectè quidem offerentes, sed non rectè diuidentes. Hoc autem dixit; quia Iudæi defendere legem se putabant: quod quidem Zelus Dei est, & rectè offerre: sed Apostolos Christi perse-

persequebantur; in quo non rectè diuidebant, pacem cum eis non habentes; nescientes illud: *Pax multa diligentibus legem tuam, &c.* E contrà, qui non diligunt legem, de eis dicit Dauid; *Contaminauerunt Testamentum eius, diuisi sunt*, hoc est, Pharisæi sunt; *ab ira vultus eius*, hoc est, per iram vultus eius. Quod Testamentum cùm prius esset durum & obscurum; per Euangelium mollitur & aperitur. Vnde subdit: *Molliti sunt sermones eorum super oleum, & ipsi sunt iacula*, sententiæ enim illorum, sunt iacula; qui duram legem durè legunt tanquam duri & cum filiabus Loth operantur. Loth enim cùm bonus esset, & iustus, quem de euersione Sodomorum Dominus liberauit, tamen eo inebriato filiæ eius malè vsi sunt; ita & quidam malè abutuntur, lege; *cùm lex sit bona*, vt testatur Apostolus *si quis ea legitimè vtatur.*

Psal. 108.
Psal. 54.
Ibidem.
1. Timoth. 1.

Quod Prophetæ & Patriarchæ saluari meruerunt, & salui sunt.

F. Moneta lib. 2. cap. 8.

CAPVT II.



Bene autem vtentes lege, & eam legentes legitimè, iudicant, vt dictum est. Patriarchas etenim damnationi deputant (VValdenses) & Prophetas, & omnes etiam, qui [a] ante passionem decesserunt, cùm scriptum sit: *Nolite tangere Christos meos, & in Prophetis meis nolite malignari.* Hoc enim ex Domino se habere contendunt, qui ait; *Omnes, quotquot venerunt ante me, fures fuerunt, & latrones.* Malè intelligunt illud, *antè*: quis enim ante eum, hoc est, prior eo venit? cùm ipse ab initio, & prior omnibus sit; de quo dicitur, *primogenitus ante omnem creaturam.* quæ ergò creatura est ante eum? Nulla vtique. Legamus ergò melius, vt oportet, & dicamus; *ante eum*, hoc est, contra eum. Qui enim contra eum venit, non intrat per ostium in ouile ouium; & ideo fur, & latro. Ἀντὶ autem Græcè, contrà dicitur Latinè. Vnde Antichristus dicitur non, quod ante Christum fuerit; hoc est, prior Christo, sed ante Christum, hoc est, contra Christum. Qui autem malè legunt, malè intelligunt: *Si enim benè intelligerent, hæretici non essent.*

a] *In lib. Num. legimus: Exules & profugi ante mortem Pontificis in Vrbes suas non poterãt reuerti: Nunquid & in Euangelio ait;* Pacem meam relinquo vobis, pacem meam do vobis. *Relinquo sequentibus: do, præuenientibus.*

Psal. 104.
Ioan. 10.
Coloss. 1.

Defensa igitur lege, legis Patres legitimè defendamus, tanquam iustos. Vnde Matthæus ait; *Ioseph autem vir eius, cùm esset iustus.* Et Dominus per Matthæum ait: *Amen dico vobis, quod multi Prophetæ & iusti cupierunt videre, quæ videtis, & non viderunt.* Et de Zacharia & Elisabeth Lucas ait: *Erant autem iusti ambo apud Deum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Et idem de Simeone; *Homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo iste iustus & timoratus, exspectans consolationem Israel, & Spiritus sanctus erat in eo.* Et Paulus ad Hebræos; *Moyses quidem fidelis erat in domo illius, tanquam famulus.* Et subdit: *Christus verò tanquam filius.* Et Iacobus ait: *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis:* quia misericors est Dominus, & miserator. Et in Actibus Apostolorum; Stephanus ait ad Iudæos; *Patriarchæ æmulantes Ioseph vendiderunt in Aegyptum, & erat Deus cum eo.* Et subdit: *Eôdem tempore natus est Moyses, qui fuit gratus Deo.* Et Petrus in Actibus Apostolorum: *Dauid enim in sua generatione cùm administrasset, voluntati Dei dormiuit, &c.* Et Apostolus: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad iustitiam.* Et ad eundem dictum est alibi: *Nunc cognoui, quia times Deum.* Et de Tobia in libro Tobiæ legimus; *Completis annis C. I I. sepultus est honorificè in Niniue. L V I. annorum lumen amisit; L X. annorum, recepit: cæteris tempor[i]b. vitæ suæ in gaudio fuit, &c. & cum bono profectu timoris Dei perrexit in pace.* Et Dominus per Matthæum: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis, &c. vt veniat super vos omnis sanguis, qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ.* Cui satis competit Ioannes in Epistola, qui ait de Cain; *propter quid occidit eum? quoniam opera eius maligna erant; fratris autem erant iusta.*

[Matth. 1. | Math. 13. | Luca 2. | Ibidem. | Hebr. 3. | Iacob. 5. | Actor. 7. | Ibidem. | Actor. 13. | Rom. 4. | Genes. 22. | Iob. 14. | Matth. 23. | 1. Ioan. 3.]

Ecce habemus, quod ante Christi incarnationem multi erant iusti; sicut Ioseph vir MARIÆ, sicut Zacharias & Elisabeth *in omnibus mandatis Domini incedentes*; Et sicut Simeon, in quo erat Spiritus sanctus; Et sicut Moyses fidelis famulus illius, cuius & Christus fuit filius; & sicut Iob, cuius non erat similis in terra tempore ipsius: Et sicut Ioseph Patriarcha, cum quo erat Deus: Et Dauid, qui voluntati Dei obediuit; Et Abraham, qui credidit, & timuit Deum; & Moyses iterum, qui fuit gratus Deo; cui etiam dictum est; *Prophetam eis suscitabo, similem tui:* Et

[Luca 2. | Iob. 1. | Deut. 18.]

sicut

sicut Abel, qui fuit iustus, & sanguis eius, & opera eius iusta. Gene∫. 4.
Qui autem saluabuntur, nisi iusti, vt, quorum iusta sunt opera, Matth. 23.
de quibus scriptum est? *Tunc iusti fulgebunt sicut Sol in regno Patris* Matth. 13.
eorum. Et post pusillum Matthæus: *Exibunt Angeli, & separabunt malos, de medio iustorum.* Et alibi: *Iustus vt palma florebit.* Psalm. 91.

Ideò, ne damnationi eos deputetis, quia statim post decessum, ad inferos descendebant: sed ideo Christus ad inferos descendit, eis assimilari volens, vt & eos ab inferis reuocaret. Vnde Paulus ad Ephesios: Quod [a] *autem ascendit, quid est, nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ.* Cui satis consonat Zacharias Propheta dicens: *Tu quoque in sanguine Testamenti tui; eduxisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua.* Et Osee Propheta: *Ero* [b] *mors tua, o mors, morsus tuus ero inferne.* Ex eo enim quod mordemus partem abstrahimus, partemque relinquimus. Sic Dominus infernum momordit, fideles abstrahens, infideles ibi relinquens. Vnde & ipse Dominus ait; Non sum missus, nisi ad oues, quæ perierunt domus Israel. *Perierant*, dixit, non, *qui pereunt vel peribunt.*

Ephes. 4.

a] *Lib. Reg. 4. Ferrũ exiliens à ligno in profundum fluminis mersum est, & in lignum desuper ab Helizeo proiectũ, reuersum est. Ita spiritus Christi relicto corpore ad inferos descendit: quo redeunte ad Corpus tanquam ad manubrium, surrexit.*

Zach. 9. Ose. 13.

b] *Ionas 2. Exaudiuit me de ventre inferni, sicut de ventre ceti extraxit Ionam; ita & Prophetas de inferno. Matth. 14.*

Sed [c] illud vos decipit, quod legitur in lib. Sapientiæ. *Non est, qui agnitus sit, reuersus ab inferis.* Sed nondum chaos magnum firmatum erat: quod patet per eos, *quorum monumenta aperta sunt*, in Christi passione, *& apparuerunt multis, in sancta ciuitate.* Si enim [d] chaos firmatum esset, non comparuissent ab inferis ad superiora. Vnde & Moyses in transfiguratione Domini apparuit cum Elia; quod vtique non fecisset, si chaos firmatum esset, quod postea firmatum est, soluto chirographo, in resurrectione Christi ab inferis. Iusti etenim qui tunc ad inferos descendebant, per Christi resurrectionem ab inferis resurgentes cum eo, nunc in regno cælorum gaudent. Vnde & Dominus per Matthæum ait; *Dico autem vobis, quod multi ab Oriente & Occidente venient & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum.* Et Lucas similiter ait: *Cùm videritis Abraham, Isaac & Iacob, & omnes Prophetas in regno Dei; vos autem expelli foras, &c.* Vnde & Paulus ad Galatas: *Cognoscitis ergò, quia qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ.* Vnde & Iudas in Epistola ait: *Cùm Michael*

c] *Similiter decimus solui, illud Sap. 2. Iob. Denique vadã, & non reuertar ad terram tenebrosã. Ad quam scilicet, qui plangere negligit, vadit.* Dimitte ergò me vt plangam.

Matth. 28.

d] *Simile est illud Ies. 34.* Posuit tenebras inter vos & Ægyptios; & adduxit super eos mare, & operuit eos.

Sed obijciunt

Archangelus cùm diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ: ſed dixit; Imperet tibi Dominus. Qui ſunt enim XXIV. ſeniores, quos Ioannes vidit in gloria; niſi XII. Patriarchæ, & XII. Apoſtoli? Vnde & ipſe ait in Apocalypſi: *Cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſub altare animas interfectorum, propter verbum Dei.* Prophetæ autem interfecti ſunt, propter verbum Dei, quod teſtatur Matthæus dicens; *Cùm perſecuti vos fuerint homines, gaudete.* Et ſubdit: *Sic enim perſecuti ſunt*

illud, quod per Prophetam dicitur: Humiliaſti nos in loco afflictionis, & cooperuit nos vmbra mortis. *Ecce quod Prophetas operuit vmbra mortis, quid eſt autem vmbra mortis, niſi damnatio? Solutio. Vmbra mortis, eſt aliquando obliuio mentis. Vnde illud Zachariæ. Illuminare his, qui in tenebris, & vmbra mortis ſedent. Vmbra mortis, tentatio ſatanæ; vnde Ioannes: Nomen illi mors. Vmbra enim ſequitur corpus. Vmbra mortis, mors carnis, quia non eſt vera mors. Prophetæ igitur, qui non ſpiritu, ſed ſola carne moriuntur: non vera morte, ſed vmbra mortis operti fuerunt. Vnde Dauid; Eripuiſti animam meam ex inferno inferiori. Vnde Christus non mortem, ſed quaſi vmbram mortis guſtauit, ſi dici fas eſt. Matth. 5.*

Luca. 11. *Prophetas, qui fuerunt ante vos.* Vnde & Lucas: *Mittam ad illos Prophetas & Apoſtolos, & ex illis occident, & requiratur ſanguis omnium Prophetarum, qui effuſus eſt à conſtitutione mundi, à generatione iſta.* Et Paulus ad Theſſalonicenſes ait: *Sicut & ipſi à Iudæis, qui Dominum occiderunt* IESVM, *& Prophetas.* Et Ioannes in Apocalyp. *Iuſtus es, qui es, & qui eras ſanctus, qui hoc iudicaſti; quia ſanguinem ſanctorum & Prophetarum fuderunt, & ſanguinem eis dediſti bibere.* Et iterum de Babylone: *Exulta ſuper eam cælum, & ſancti Apoſtoli & Prophetæ: quoniã iudicauit Deus iudiciũ veſtrum de illa.*

1. Theſſal. 2. *Apocalyp. 16.* *Apocalyp. 18.*

Matth. 21. Et ſi legamus in Matthæo parabolam patrisfamilias, liquidius apparebit; *Paterfamilias plantauit vineam, & fodit in ea torcular*; ſiue lacum, vt dicit Marcus: *Et locauit eam agricolis, & poſtea profectus eſt. Tempore autem fructus miſit ſeruos ſuos ad agricolas; qui, occiderunt eos. Miſit alios plures, & fecerunt ſimiliter. Nouiſſimè autem miſit filium ſuum: Et proijcientes eum extra vineam, ſimiliter interfecerunt.* Qui ſunt autem ſerui ante aduentum filij, ab agricolis interfecti, niſi Patriarchæ & Prophetæ, occiſi à colentibus idola? filius autem Chriſtus eſt.

Marci. 12.

Ex hoc [a] autem patet; quod Prophetæ & Chriſtus ab eodem miſſi ſunt: Prophetæ, vt ſerui; Chriſtus verò, vt filius: quod innuit

a] *Cauſa XXX. II. Quis ignorat, ſub altera diſpenſatione Dei omnes retrò ſanctos eiuſdem fuiſſe meriti, cuius nunc ſunt Chriſtiani? Quomodo ante Abraham placuit in coniugio; ſic nunc Virgines in caſtitate. Seruiunt illi legi & tempori ſuo; ſeruiamus & nos legi & tempori noſtro. Eſt c. 32. q. 4. cap. 6.* Quis ignorat.

innuit Paulus ad Heb. dicens, vt diximus: *Moyses quidem fidelis erat in tota domo illius tanquam famulus*: Et subdit: *Christus autem, tanquam filius*. Quidam enim cæsi sunt, vt Hieremias: quidam * occisi, vt Isaias; quidam lapidati, vt Nabuteu, & Zacharias filius Ioiadæ, quem Ioas interfecit inter templum & altare. Si autem passionis participes sunt, simul & resurrectionis in gloria participes erunt: iuxta illud; *si commortui fuerimus, & conuiuemus*. Vnde Iacobus nos inuitat dicens; *Exemplum accipite fratres laboris & patientiæ Prophetas, qui locuti sunt in nomine Domini*; Et statim *sufferentiam* Iob prodit in Exemplum. Vnde & Petrus in prima Epistola: *De qua salute*, scilicet animarum, *exquisierunt atque scrutati sunt Prophetæ, qui de futura in vobis gratia Dei prophetauerunt, scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret, qui in eis erat spiritus Christi*. Si ergò de salute animarum exquisierunt, & spiritus Christi erat in eis, non immeritò ad eorum imitationem inuitamur. Eorum etenim verba Euangelica sunt. Vnde Ioannes in Apocalypsi: *Sicut euangelizauit per suos Prophetas*: Et de eorum mercede subiungens ait: *Gratias agimus tibi Domine*: Et subdit: *Aduenit ira tua, & tempus mortuorum, vindicari & reddere mercedem seruis tuis Prophetis & sanctis*.

*fort. Serrati.
2. Cor. 7.
Iacob. 5.
1. Pet. 1.
Apocalyp. 11.

Neque mirum, si mercedem Prophetarum cum mercede sanctorum enumerat; quia in spiritu sancto loquebantur. Vnde & de Zacharia dicit Lucas; *Impletus est Spiritu sancto, & prophetauit dicens*; *Benedictus Dominus Deus Israel*; & de Simeone similiter dictum est: Et de Dauid Marcus ait: *Ipse enim Dauid dicit in Spiritu sancto; Dixit Dominus Domino Deo, sede à dextris meis*. Et similiter de aliis; Vnde & dominus eos exaltauit, vt in Actibus Apostolorum ait Petrus: *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cùm essent incolæ in terra Aegypti*. Et Iudas; *Commonere autem vos volo, scientes omnia, quoniam Deus semel populum de terra Aegypti saluans: secundò eos, qui non crediderunt perdidit*. Vnde & frequenter eis apparebat, & orationes implebat. Vnde Lucas de Zacharia: *Cumque sacerdotio fungeretur*, [a] *Zacharias in ordine vicis suæ ante Deum, &c. qui* (angelus) *ait; Ne timeas Zacharia; exaudita est deprecatio tua*: Et Dominus per Ioannem ait de Abraham: *Abraham pater vester exultauit, vt videret diem meum, vidit & gauisus est*. Vnde & ad opera Abrahæ nos inuitat Dominus dicens in eodem: *Si filij Abrahæ estis, opera Abrahæ facite*.

Marci. 12.
Psalm. 109.
Actor. 13.
Luca 1.
a] *Habebat enim octauam hebdomadam, sicut & Abias in vice sua, de cuius genere fuit Zacharias.*
Ioan. 8.

ctte. Nunc autem quæritis me interficere, homo, qui veritatem vobis locutus sum, quam audiui à Deo: hoc Abraham non fecit, quem & Paulus vocat patrem, dicens ad Romanos: *Qui est pater omnium nostrum, sicut scriptum est, quia patrem multarum gentium posuit te ante Deum, cui credidisti, qui viuificat mortuos.* Vnde & ad Galatas ait; *Si autem vos Christi, ergò Abrahæ semen estis, per repromissionem hæredes: quia Abrahæ per repromissionem donauit Deus.* Et Stephanus in Actis Apostolorum ait; *Viri fratres audite. Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham.* Et Petrus in eodem ad Iudæos ait: *Vos estis filij Prophetarum, & Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros*, dicens ad Abraham: *In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.* Vnde & Dominus ad similitudinem eorum factus est sub lege, teste Apostolo, qui ait: *Factus sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.* Ad similitudinem eorum, dico: quia de eo ait Apostolus; *Tentatum autem per omnia pro similitudine absq; peccato.*

Rom. 4. *Galat. 4.* *Actor. 7.* *Actor. 3.* *Genes. 22.* *Galat. 4.* *Hebr. 4.*

Qui autem sunt illi, quos Dominus misit in suam vineam summo mane, & hora tertia, sexta & nona & vndecima? De hac vinea loquitur Psalmista dicens, *Vineam de Aegypto transtulisti, eiecisti gentes, & plantasti eam.* Operatores in vndecima hora sunt gentiles; quibus dicitur; *quid hîc statis tota die otiosi? Et dixerunt; quia* nemo nos conduxit, id est, prædicauit. Per alios operatores intelligendi sunt Iudæi, operantes primitus in vinea, qui, licet primi laborassent, primi denarium non receperunt. Et ideò dictum est; *Erunt primi nouissimi, & nouissimi primi.* Tamen in vespere seculorum, hoc est, in resurrectione Christi denarium acceperunt. Laborauerunt enim, & nos in labores eorum introiuimus. Vnde Dominus per Ioannem ait: *Ego misi vos metere, quod vos non laborastis.* Primi siquidem operatores, pluribus modis operati sunt: scilicet per innocentiam, vt Abel; per obedientiam, vt Abraham; per constantiam, vt Isaac; per tolerantiam, vt Iacob: per hospitalitatem, vt Loth; per castimoniam, vt Ioseph: per * mititiam, vt Moyses, per misericordiam, vt Dauid; per abstinentiam, vt Daniel, per patientiam, vt Iob; per sepulturæ exhibitioné, vt Tobias: per ducatum, vt Raab; per iniquorum depressionem, vt Iudith; per iustitiam, vt Enoch; per iræ reconciliationem, vt Noë; per sacerdotij dignitatem, vt Aaron; per Domini timorem, vt Phinees, filius Eleazari: per sanctorum inunctionem, vt Samuel; per sapientiam, vt Salomon, per orationem.

Math. 20. *Psalm. 79.* *Ioan. 4.*

* *mititiaē seu mansuetudinem: nisi* militiam *velis.*

a] *Qui Iob ab antea vocabatur: quintus fuit ab Abraham ex patre Zarā: & ex matre Bozra. Et fuit rex Edom secundus, primus .n. fuit Balaam.*

tionem, vt Ezechias; per ieiunium, vt Elias. Vnde & Iesus filius Sirach, patres Veteris Testamenti in fine sui operis commendans ait; *Laudemus* [a] *viros gloriosos, & parentes nostros in genere suo.* Et subdit: *In pueritia sua requirentes modos musicos, & narrantes carmina in scriptura: homines diuites in virtute pulchritudinis studium habentes, pacificantes in domibus suis. Omnes isti in generationibus gentis suæ gloriam adepti sunt, & in diebus suis habentur in laudibus.* Et iterum subdit: *Corpora ipsorum in pace sepulta sunt, & nomina eorum viuent in generationes & generationes:* Et postea de singulis nominatim loquens ait: *Enoch* [b] *placuit Deo, &c. & translatus est in paradisum, vt det gentibus pœnitentiam. Noe inuentus est perfectus, iustus & in tempore iracundiæ factus est reconciliatio. Testamenta seculi posita sunt apud illum, ne deleri posßit diluuio omnis caro. Abraham magnus pater multitudinis Gentium, & non est inuentus similis illi in gloria; qui conseruauit legem Excelsi, & in carne eius Dominus fecit stare Testamentum,* in tentatione inuentus *est fidelis. Ideò iureiurando dedit illi semen in gente sua. Isaac eodem fermè modo fecit propter Abraham patrem ipsius: benedictionem omnium gentium dedit illi, & testimonium confirmauit super caput Iacob. Dilectus à Deo & hominibus Moyses, cuius memoria in benedictione est. Similem illum fecit in gloria Sanctorum, & in verbis suis monstra placauit. Ostendit illi gloriam suam, sanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne, Excelsum fecit Aaron fratrem eius, Et similem sibi de tribu Leui. Statuit ei Testamentum æternum, & dedit ei sacerdotium gentis, & beatificauit illum in gloria. Compleuit Moyses munus eius, & vnxit illum oleo sancto,* & propter ipsum consumpti sunt Dathan, Core, & Abiron, qui ei inuidebant.

Eccles. 44. 45. 46.

a] *Aug. in vltima parte sola.* Sicut in Veteri Testamento quidam spiritales; ita & in nouo quidam carnales inueniuntur.

b] *Gregor in Moral. Vocat eos stellas fulgentes in cælo, tempore noctis; quousq; verus lucifer appareret.*

Phinees filius Eleazari tertius in gloria est, imitando eum in timore Domini, & stando in reuerentia gentis, in bonitate & alacritate animæ suæ placuit Deo Israel. Fortis in bello Iesus Naue, Successor Moysi in Prophetis, qui fuit magnus secundum nomen suum, maximus in salutem Electorum Dei, cuius oratione impeditus est Sol, & vnus dies factus est quasi duo. Inuocauit Altißimum potentem in oppugnando inimicos, & audiuit illum magnus & sanctus Deus, qui impetum fecit cum grandine, *vt cognoscant gentes potentiam eius.*

Dilectus à Domino suo Samuel Propheta Domini, renouauit imperium, & vnxit Principes in gente sua: & in fide sua probatus est Propheta, & cognitus est in verbis suis fidelis; quia vidit Deum lucis, vt

oraret in bello. *Intonuit de cælo Dominus*, & contriuit hostes Philisthiim. *Dauid cum Leonibus & vrsis in iuuentute sua lusit velut cum Agnis ouium.* Deuicit Goliath in funda. *Sic in decem millibus glorificauit eum, & laudauit illum in benedictionibus Domini, offerens illi coronam gloriæ, Christus purgauit peccata ipsius, & exaltauit in æternum cornu eius. Salomon imperauit in diebus pacis, cui subiecit Deus omnes hostes, vt conderet domum in nomine suo, & pararet sanctitatem in æternum.* Sed quia peccauit; subdit. *Deus autem non derelinquet misericordiam suam, & non corrumpet, nec delebit opera sua, neque perdet à stirpe nepotes Electi sui. Surrexit Helias Propheta quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui vnxit Reges, ad pœnitentiam; Et Prophetas fecit successores post se, qui in turbine tectus est, & in Helisæo completus est spiritus eius. Ezechias fecit, quod placuit Deo. & fortiter iuit in via Dauid patris sui; quam mandauit illi Isaias Propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. In diebus ipsius retro rediit Sol, & addidit Regi vitam. Memoria Iosiæ in compositione odoris facta in opus pigmentarij. In omni ore, quasi mel indulcabitur eius memoria, & velut Musica in conuiuio vini. Gubernauit ad Dominum cor ipsius, & in diebus peccatorum corroborauit pietatem. Præter Dauid, & Ezechiam, & Iosiam omnes peccatum commiserunt. Ezechiel, qui vidit conspectum gloriæ, quam ostendit illi in curru Cherubim. Zorobabel ipse, quasi signum in dextra manu Israel, Et Iesus, Iosedech cum eo. Ioseph Rector fratrum, cuius ossa prophetarunt etiam post mortem. Sem & Seth apud homines gloriam adepti sunt, & super omnem animam in origine Adam. Simon Oniæ filius Sacerdos magnus, quasi Stella matutina in medio nebulæ, quasi luna plena in diebus suis. Porrexit manum suam in libatione, & libauit de sanguine vuæ.* His autem finitis, Iesus filius Sirach in oratione Salomonis ad Dominum, opus suum consummauit.



Quod

Quod ille qui dedit legem Moysi, sit verus Deus & omnipotens.

CAPVT III.



RETEXTA igitur veterum serie, in paternis laudibus aliquantulum commorati, in eos, qui contra Deum calcitrant, leuantes calcaneum incalcantem, vt saltem calcaneum retrahant, stilum acuamus. Deum enim patrum nostrum, qui legem dedit Moysi, qui locutus est cum Prophetis, *qui firmauit orbem terræ*, Deum verum esse negant. Eum etenim *ioculatorem* esse dicunt, quemadmodum ioculatori Moysi respondit dicens; *Ego sum, qui sum.* Et iterum; *Qui est, misit me ad vos.* Sed illud, quod tertiò dicitur, non recolunt: *Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum tuorum, &c.* Si autem ideò *ioculatorem* esse dicunt; similiter & Christum, filium eius ioculatorem possunt appellare: cùm ipse dicat ad Iudæos: *Si non credideritis, quia, ego sum; moriemini in peccatis vestris*, dixit, *quia ego sum*; & nihil addidit; & alibi: *Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*; Ecce in his verbis filius benè consonat patri, & pater filio; quia, vnum sunt.

F. Moneta lib. 2 cap. 6.

Exod. 4.

Mag. Petrus in Psalt. Et sperent in te, qui nouerunt nomē tuum. Nomen Dei est, ꝙ est. Quod nomen rectè intelligit, qui spem non ponit in reb. quæ ferè nihil sunt, id est, temporalibus. Nomen autem scitur, cùm ille, cuius est, noscitur, *Ioan. 8.* Sed hæretici Deum non agnoscunt; ideo nomen eius nesciunt. *Ibidem.*

Sed vt omninò eos conuincamus, quare sic locuti sunt, videamus. Esse [a] enim nulli melius conuenit, aut verius, quàm soli Deo, qui quidem & à seipso est, & semper est, & semper idem est, & ab eo omnia sunt, sine quo nihil est. Aliæ autem res, etsi sint, non ex se habent esse: nec semper esse; sed permutant suum esse. Vnde Dauid; *Ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum veterascent: Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Et Iacobus; *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Benè consonat seruus seruo, sicut & Dominus Domino.

a] *Apoc. 1. Gratia vobis & pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est. Simili modo loquitur in Genesi.*

Psalm. 101.

Iacob. 1.

Ipsi verò contra conditorem suum latrant, tanquam canes, Dominum ignorantes; & hinc, inde de Veteri Testamento,

quæ non intelligunt, testimonia congregantes, simplicium corda decipiunt. Aiunt enim; Ecce Deus legis & Prophetarum, videte, qualis sit: *Ego occidam*, inquit, *&, ego viuificabo: ego percutiam, & sanabo: & non est, qui eruat de manibus meis*, *Occidam*, audiunt, *viuificabo*, non intelligunt. *Pertutiam*, dicunt; sed, *sanabo* prætermittunt. Istius modi occasionibus calumniantur creatorem. Sed tamen de filio eius, illud idem dicitur per Lucam, qui ait: *Ecce, positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum in Israel.* Ruinam quare non notant, sicut & *occidam*. A Christo enim ruina durior est, quàm corporis occisio. Qui enim occidit corpus hominis, non est potens animam occidere; solus enim Deus potens est, animam perdere: quæ perditio, magna est occisio. Quid nunc facient hæretici? Cùm enim aliquid inueniunt, quod eis placet, ad allegorias, non currunt, imo planè legunt. Cùm autem molestum quid inueniunt, ad tropologias confugiunt. In quibus enim possunt accusare, parum intelligentes accusant: quæ autem excusari debent, non excusant. *Occidam* enim dixit pater, propter veteris hominis occisionem: Vnde & *viuificabo* dixit, nouo homini nouam tribuens sanitatem. Hoc modo *occidere* Apostolus nos permittit dicens: *Mortificate membra vestra, quæ sunt super terram.* Tamen etsi verius intueamur, illum, qui occidit, debemus timere, & confiteri. Vnde Lucas ait; *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab ijs, qui occidunt corpus, & post hoc non habent amplius, quid faciant. Ostendam autem vobis, quem timeatis. Timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in Gehennam.*

Luca 2. — *Coloss. 3.*

Gregor. in Moral. ait: Sæpe aliquid à maioribus dispensatoriè agitur: quod à minoribus error putatur. Quod benè bobus calcitrantibus inclinata arca Testamenti signauit, quia, quidam casuram credens, erigere voluit, & mox sententiam mortis accepit. *Luca. 12.*

Iob. 13. Ex hoc ergò habemus, quod Deus occidit; Et iterum benè concordat filius Patri, in occisione. Melius considerauit Iob, qui ait: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo; Et ipse erit saluator meus.* *Ibidem.* Ecce, quod, licet occiderit, saluat. Vnde, in eodem: *Increpationem Domini ne reprobes; quia, ipse vulnerat, & medetur: percutit, & manus eius sanat. Excelsior cælo est, quid facies? profundior inferno; vnde cognosces? longior terrâ mensura eius, & latior mari. Si subuerterit omnia, vel in vnum coartauerit, quis contra dicet? Vel, quis dicere ei po-*

ei potest, cur ita facis? Si destruxerit, nemo est, qui ædificet: si inclu-serit, nemo est, qui aperiat, qui multiplicat gentes, & perdit eas, & subuersas eas in integrum restituet.

Et Anna[a] mater Samuel, nō filia Phanuel, in Psalmo suo ait; *Dominus mortificat & viuificat, deducit ad inferos & reducit.* Quosdam enim occidit, vt sanet, quosdam autem, vt exemplum timoris incutiat. Vnde Dauid; *Destruxisti nos, iratus es, & misertus es nobis*: Et subdit: *Dedisti metuentibus te significationem, vt fugiant à facie arcus.* Ex his patet, quod hæretici sunt, tanquam lutum contra figulum insultans. Vnde & ipsi confringentur, iuxta illud: *Tanquam vas figuli confringes illos*: Et iterum; *Tanquam lutum platearum delebis eos.* Ipse enim est, de quo Iacobus ait: *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare.* Et Iudas: *Deus semel populum de terra Ægypti saluans, secundò eos, qui non crediderunt, perdidit.* Si Iacobus non mentitur; qui legem dedit, perdere potest & saluare. Vnde Paulus ad Romanos ait de Abraham: *Patrem multarum gentium posui te, ante Deum, cui credidisti; qui viuificat mortuos.* Patet ergò, quòd Deus Abraham mortuos viuificat. Vnde Dominus in Euangelio Matthæi ait: *Non legistis, quod dictum est à Domino, dicente vobis: Ego sum Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob; non est Deus mortuorum, sed viuentium.* In hoc satis respondet seruus Domino. Paulus enim ait; *viuificat mortuos*: Dominus verò ait; *non est Deus mortuorum, sed viuentium.*

a] *Sacra scriptura quinque memorat Annas; Matrem Samuel, vxorē Tobiæ, vxorem Raguel, Auiā Domini, Annam Prophetissam.*

1. Reg. 2.
Psalm. 59.
Psalm. 17.
Iacob. 4.
Roman. 4.
Matth. 22.
Rom. 4.

Sed obiiciunt iterum; quia dixit; *oculum pro oculo, & dentem pro dente.* In hoc Deum patrem accusant: sed, filium in quo excusant; cùm illud idem in Matthæo ait: Non enim solummodò aliis oculum eruere iubet; imò, quod grauius est, & molestius, tam sibi, quàm aliis oculum eruere commonet, & hortatur. Nec solùm de oculo, imò, de pede, & manu. Tunc autem oculum pro oculo eruimus, cùm oculis mentis tenebrosum eruimus, & lucidum inserimus. De quibus oculis loquitur Lucas, cùm ait: *Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, & corpus tuum tenebrosum erit.* Bonus enim intellectus, bonus oculus est: de quō idem ait: *Lucerna corporis tui, est oculus tuus.* Si ergò *oculus tuus scandalizat te, erue eum,* id est, si habes trabem in oculo, erue eum, dicit filius, in quo non dissonat à patre, qui ait, *oculum pro oculo.* Et si filius dixit;

Matth. 5.
Matth. 18.
Luc. 11.
Ibidem.
Matth. 5.

Diligite inimicos vestros, benefacite his, qui oderunt vos, benedicite maledicentibus vos: orate pro calumniantibus vos: Et; *qui te percusserit in dexteram maxillam, præbe ei & alteram: Et; ab eo, qui aufert tibi vestimentum, etiam tunicam noli prohibere.* Et; *Omni petenti te, tribue: qui aufert, quæ tua sunt, ne repetas.* Similiter & pater dixit in Isaia: *Quiescite agere peruersè, discite benefacere; quærite iudicium, subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite viduam.*

Isaie. 1.

Sed iterum [a] obiiciunt dicentes; Prior dixit; *non occides: qui autem occiderit, reus erit iudicio:* Christus autem dicit; *qui irascitur fratri suo; reus erit iudicio: qui dixerit racha; reus erit concilio: qui dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Prior [b] dixit; *non mœchaberis:* Christus verò ait; *qui viderit mulierem ad concupiscendum eam; iam mœchatus est eam in corde suo.* Prior dixit; *qui dimiserit vxorem suam, det illi libellum repudij.* Christus verò ait: *Omnis, qui dimiserit vxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari.* Et; *qui dimissam duxerit, adulterat.* Prior [c] dixit; *Non periurabis. Reddes autem Domino iuramenta tua.* Christus verò ait: *Non iurare omninò: neque per cælum, neque per terram; quia cælum thronus Dei est; neque per terram, quia scabellum pedum eius est. Neque per Hierusalem; quia ciuitas est magni regis: neque per caput tuum: quia non potes vnum capillum album facere, aut nigrum.* Prior [d] dixit: Oculum pro oculo, dentem pro dente; Christus verò ait; *Non resistere malo.* Prior dixit; *Diliges proximum tuum; & odio habebis inimicum tuum.* Christus verò ait: *Diligite inimicos vestros, &c.*

a] *Obiectio vt probent, Christum non esse filium eius: qui dedit legem Moysi.*
Exod. 20.
Matth. 5.
b] *In Exodo:* Non desiderabis vxorē proximi tui, non seruum, non ancillam.
Exod. 20.
Matth. 19.
c] *In Ex.* Non iunges manū tuam, vt pro impio dicas falsum testimonium.
Matth. 5.
d] *In Leuitico.* Non quæres vltionem; nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum.

Hæc omnia, ô hæretici, quæ obiicitis, nil nocent. Dicitis enim; quòd ille, qui locutus est antiquis sic; non est pater Christi: quod si pater eius esset, vnum & idem cum eo diceret; nec ab eo, in aliquo dissonaret. In hoc autem erratis eodem modo penitus, vt Iudæi. Iudæi enim hoc audientes, Christum legis esse destructorem asserebant. Similiter & vos, Christum in hoc legi, & legis datori contrarium esse asseritis. Cum Iudæis ergò errare non timetis, quia Christus in hoc, neq; legis est destructor, neque patri contradictor.

Possumus autem respondere vobis illud, quod Dominus respondit per Matthæum ad Pharisæos tentantes eum, & dicentes: *Si licet homini dimittere vxorem suam, quacunque ex caussa;* Et cum Dominus dixisset; *quod Deus coniunxit, homo non separet:* Dixerunt iterum: *Quid ergò Moyses mandauit dari libellum repudij, &*

Matth. 19.

dij, & dimittere? Quibus Dominus respondit: quod Moyses *ad duritiam cordis eorum* hoc fecit. Similiter & nos dicimus, quòd Deus pater, locutus est, tanquam rudibus rudia, vt per noua nouos, & rudes erudiret rudimenta. Christus verò tanquam perfectos, perfectiorem edocet disciplinam. Vnde & in fine eiusdem prædicationis ait: *Estote ergò & vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est.* Aliter enim loquendum est inter rudes: aliter inter perfectos. Vnde Paulus; *sapientiam loquimur inter perfectos.* Rudibus verò ait: *Ego autem fratres non potui vobis loqui quasi spiritalibus, sed quasi carnalibus, tanquam paruulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam.* *Matth. 5.* *1. Cor. 2.* *1. Cor. 3.*

Sed tamen omnia possumus concordare hoc modo. Pater enim dixit; *Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Filius verò ait; qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio;* Nonne, qui prohibet irasci, prohibet occidere? Et, qui prohibet occidere, prohibet irasci, ne occidat. In hoc ergò satis conueniunt. Pater dixit; *Non mœchaberis*: filius verò ait; *qui viderit mulierem, &c.* Nonne, qui prohibet videre mulierem ad cōcupiscendum, prohibet mœchari? Et qui prohibet mœchari; prohibet videre mulierem ad concupiscendum, ne mœchetur? Et similiter in hoc consentiunt: Pater dixit; *qui dimiserit vxorem, det illi libellum repudij;* filius autem dixit; *qui dimiserit vxorem, exceptâ fornicationis causa, facit eam mœchari.* Filius non prohibet dimitti vxorem, si fornicetur: Pater verò de fornicaria similiter intellexit, cum ait: qui dimiserit vxorem, det illi libellum repudii. Neque in hoc dissentiunt. Pater dixit; *Non periurabis; Reddes autem Domino iuramenta tua.* Filius verò ait: *Non iurare omninò; neque per cælum, neque per terram, neque per caput.* Nonne, qui prohibet iurare omninò, prohibet periurare? Et, qui prohibet periurare, prohibet iurare omninò? Iurare enim omninò est tam de re incerta, quàm de re certa iurare. Sicut enim, qui omninò homo est, mendax est; ita & qui omninò iurat, periurat. Et sicut Deus non prohibet, me hominem esse; sed prohibet me hominem omninò esse. *Leuit. 19.*

Eodem modo non prohibet [a] iurare; sed prohibet iurare omninò. Vnde & iurare prohibet per cælum, per terram, per ciuitatem sanctam, per caput: quia, creatori debemus reddere iuramentum, & verbis suis, non creaturæ: sed, qui iurat, videat, neo-

a] *Isid. in lib. sentent.* Non est contra Dei præceptum, iurare; sed, dū vsum facimus iurandi, per iurii crimen aliquando incurrimus.

*ὅλως. *Psalm.* 14.

ne * omninò iuret. Vnde Dauid; *qui iurat proximo ſuo, & non decipit: hic habitabit in monte ſancto eius.* Neque in hoc diſcrepant. Pater enim dixit; *Oculum pro oculo, dentem pro dente.* Filius verò ait: *Non reſiſtere malo.* Si oculum pro oculo eruimus: aut dentem pro dente; ſicut paulò antè diximus; malo non reſiſtimus: Et ſecundum hoc, non diſcordant.

Pater [a] dixit; *Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum.* Filius autem; *diligite inimicos veſtros.* In dilectione proximi, ſatis conueniunt. Quod autem pater odire inimicos iubet, de inimicis ſpiritalibus dicit; quos odire, & mortificare, & occidere exhortatur. Quod autem filius inimicos diligere iubet; inimicos carnales intelligit, id eſt, homines nefarios, detractores, maleficos; ſic ergò diligere hominem debemus, quia eſt creatura Dei, vt eius vitia odio habeamus, quæ ſunt nobis inimica. Diligere ergò poſſumus inimicos, hoc eſt, homines malos, & odire inimicos, hoc eſt, hominum peccata. In hoc autem, vt & in aliis, miro modo vnanimes ſunt.

a] *Lex enim quaſi ouum in nido compoſuit, cum dixit;* Oculum pro oculo, dentem pro dente; *ſed pullos produxit, cum dixit:* Nõ quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuiũ tuorum. *De lege tamen dictum eſt;* Non tenebis eam cum filiis: ſed abire patieris, captos tenens filios. *Hiſtoria quandoq; prætermittenda: & ſenſus myſtici retinentur; Matrem enim dimittentes pullos edimus, cum hiſtoria exempla dimittimus, & ex ea allegorias mente retinemus.*

Ne dicamus ergò alterũ alteri aduerſari: Vnum enim ſunt. Si enim malignus ſpiritus eſſet, vt aſſerunt Arriani, quomodò dixiſſet: *Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non periurabis. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & proximum tuum ſicut te ipſum.* Diabolus enim inſtigator malorum eſt, & nequam. Deus autem legis & Prophetarum, ſemper iuſtus, & nulla in eo iniquitas. Vnde Paulus ad Romanos ait: *Quid ergò dicemus? Nunquid* [b] *iniquitas apud Deum? abſit.* Moyſi enim dicit; *Miſereor, cuius miſerebor, & miſericordiam præſtabo, cuius miſertus fuero.* Igitur, *non volentis, neque currentis, ſed miſerentis eſt Dei.* Ecce, quod Paulus eum vocat Deum: & quod iniquitas apud Deum non ſit, atteſtatur. Quod enim Deus ſit, omnis ſcriptura clamat. Vnde Dominus ad * hæreticos ait; *Quare & vos tranſgredimini mandata Dei, propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: honora patrem tuum, & matrem: Et; qui maledixerit patri aut matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: qui dixerit patri, aut matri, munus, ſiue* [c] *corban quodcunque ex me, tibi proderit; & non honora-*

b] *Vnde in Geneſ. (18.) cùm Abraham loqueretur ad Dominum de Sodomorũ deſtructione, Dominus ad eum dixit:* Non delebo propter decem, *id eſt, ſi decẽ fuerint iuſti, non delebo eos.*

Rom. 9.

Matth. 15.

* *Phariſæos.*

c] *Quod in lib. Reg.* 4. *Vocatur*

honorabit patrem suum aut matrem; & irritum fecistis mandatum Dei, propter traditionem vestram. Ecce, mandatum Dei, dicit. — minsach *sabbati: quia minsacha est conuentus populi in die sabbati.*

Sed notandum, quod Matthæus dicit, *Dei*; Marcus verò, *Moysi*; Per hoc patet, quod Moyses à Deo habuit, quidquid dixit: Et iterum in Matthæo. *Non legistis, quid fecerit Dauid, quando esuriit, & qui cum eo erant? quomodo intrauit in domum Dei ad Achimelech sacerdotem, & panes propositionis comedit, quos non licebat edere, nisi solis sacerdotibus.* Et hic, similiter *domum Dei* dicit templum. Et in Marco iterum Dominus ad Saducæos ait: *Non legistis in libro Moysi, super rubum, quomodo dixerit illi Deus, inquiens; Non est Deus mortuorum, sed viuorum.* Vos ergò multum erratis. Ecce Deum cum Moyse locutum esse, super rubum, dicit. Et Lucas de Zacharia ait; *qui, cum sacerdotio fungeretur ante Deũ (legis) Angelus Domini apparuit ei dicens: Ne timeas Zacharia; exaudita est deprecatio tua.* A Deo ergò, quem orabat, meruit exaudiri. Et Paulus ad Romanos ait; *Ergò eloquium Dei, lex est*: Et paulò ante dixerat: *Scimus, quæcunque lex loquitur, his, qui in lege sunt, loquitur, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo.* Et subdit: *Dico, Christum Iesum ministrum fuisse circumcisionis, propter veritatem æterni Dei.* Ergò, qui dedit legem, æternus Deus erat, & veritas in eo. Et idem; *per scripturas Prophetarum, secundum præceptum æterni Dei.* Et iterum ad Galatas, *Abrahæ per repromissionem donauit Deus.* Et Iacobus ait; *Sufferentiam Iob audistis, & finem Domini vidistis, quia misericors est Dominus, & miserator.* Ecce, qui Iob tentauit, misericordiam habuit. Et Petrus in 2. Epistola: *Non enim voluntate humana allata est prophetia, sed spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ecce, quod Prophetæ Spiritu-sancto inspirati locuti sunt, & sancti homines sunt, & Dei sunt. Et Stephanus in Actis Apostolorum: *Eodem tempore, natus est Moyses, qui fuit gratus Deo.* Deinde, vocat * eum, cui gratus fuit Moyses. Et Petrus in eodem: *Deus plebis Israel elegit patres nostros, & plebem exaltauit, cùm essent incolæ in terra Ægypti.* Et subdit: *Dauid enim in sua generatione cum administrasset voluntati Dei, dormiuit, &c.* Et iterum: *locutus est Dominus Deus, per os sanctorum suorum à seculo, & prophetarum.* Habemus igitur, quod ille, qui locutus est ad Prophetas, & per Prophetas, & dedit legem, Deus est, & Dominus est, non habens iniquitatẽ in se.

Marci. 7. Matth. 12. Marci. 11. Luca 1. Rom. 3. Rom. 16. Galat. 3. Iacob. 5. 2. Pet. 1. Actor. 17. * Deum forsè. Ibidem.

Quod autem pater Iesu Christi sit; sic probamus. Domi-

Ioan. 8. nus enim per Ioannem ait ad Iudæos: *Est pater meus, qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus noster est, & non cognouistis eum. Ego autem noui eum.* Ecce, de eo, quem Iudæi dicebant Deum suum esse, Christus patrem suum dicebat esse, quem Iudæi non cognoscebant; quia filium, qui præsens erat, ignorabant. Vnde subdit manifestius: *Nonne scriptum est in lege vestra, quia ego dixi, dij estis, si illos dixit Deos, ad quos sermo Dei factus est; & non potest solui scriptura; quem pater sanctificauit & misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas; quia dixi, filius Dei sum.* Ecce legem vocat sermonem Dei, qui factus est ad Prophetas, qui *deificati erant*: Et patrem vocat eum, qui dedit legem, qui solui non potest, vt sæpè dictum est. *Matth. 5.* Vnde ipse dicit: *Non veni legem soluere, aut Prophetas.*

Et etiam Christum eius filium esse, multis modis probare possumus. *Heb. 1.* Vnde Paulus ad Hebræos. *Multifariam,* [a] *multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis; nouißimè diebus istis locutus est nobis in filio suo,* qui est Christus. Et subdit: *Considerate Apostolum & Pontificem confeßionis nostræ Iesum, qui fidelis est ei, qui fecit illum, sicut & Moyses in omni domo illius.* Et paulò post ait: *Hebra. 11.* *Moyses quidem fidelis erat in tota domo illius, tanquam famulus.* Et subdit: *Christus verò tanquam filius.* Et Petrus in Actibus Apostolorum ait ad Iudæos: *Actor.* *Viri Israëlitæ, quid admiramini.* Et subdit: *Deus Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus patrum nostrorum glorificauit filium suum, &c.* Et post pusillum ait: *Deus, qui prænunciauit per os omnium Prophetarum. pati Christum suum, impleuit sic.* Et Stephanus in eodem ait: *Actor. 7.* *Viri fratres & patres audite: Deus gloriæ apparuit patri nostro Abraham.* Et Petrus in eodem ad Iudæos ait: *Actor. 3.* *Vos estis filij Prophetarum, & Testamenti, quod disposuit Deus ad Patres nostros dicens ad Abraham: In semine tuo benedicentur omnes familiæ terræ.*

a] *Hoc satis alludit historiæ; vbi Isaac cœpit fodere puteos, quos foderant pueri & pastores eius. Et Palæstini obstruxerunt os humo. Ita Christus puteum legis fodit, quem foderant Prophetæ. Quos hæretici obstruunt, magis appetentes humum, quàm aquam. Fodit ergo Isaac nouißimè nouum puteum, imò primus Isaac, id est, IV. Euangelista.*

Ecce, [*b*] quem Petrus dicit disposuisse Testamentum, & benedixisse semen Abrahæ: Stephanus dicit, Deum esse gloriæ, & Abrahæ patri nostro apparuisse. Patet igitur, quod vnus Deus est cum Christo: non enim duos Deos gloriæ credimus: imò, vnum.

b] *Sed obijciūt iterum illud Exod.* Ego sum Deus fortis & Zelotes, *id est, amorosus,* Vi-

vnum. De quo etiam ait Isaias: *Attendite ad Abraham Patrem vestrum, & ad Saram, quæ peperit vos: quia, vnum vocaui eum; & benedixi ei; & multiplicaui eum.* Ecce, quod Propheta ab eo non discrepat. Vnde & in persona Patris idem Isaias ait: *Prope est iustus meus; egressus est saluator meus: & brachia mea populos iudicabunt.* Et iterum: *Cæli, sicut fumus liquescent, & terra, sicut vestimentum atteretur: salus autem nostra, id est, filius meus, in sempiternum erit, & iustitia nostra non deficiet.* Et rursus: *Quomodo descendit imber & nix de cælo, & illuc vltra non reuertitur, sed inebriat terram; & infundit eam, & germinare eam facit & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit verbum meum, quod egredietur de ore meo; id est, filius meus, non reuertetur ad me vacuũ, sed faciet, quæcunq; volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud.* Vnde, & in persona filij idem loquitur dicens; *Deus aperuit mihi aurem, ego autem non contradico: retrorsum non abij.* Ac si diceret: Omnia, quæ scripsit in lege, & Prophetis, compleuit: Vnde subdit: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* Patet ergò, quòd tam pater, quàm filius locutus est per Prophetam, tanquam vnus & idem Deus.

Quod autem duo Testamenta ab vno & eôdem Deo inuenta sint, scilicet à patre & filio, qui sunt vnus Deus, sic probamus. Paulus enim Hieremiam imitatus, ait ad Hebræos: *Consummabo super domum Israël, & super domum Iuda Testamentum nouum. Non secundum Testamentum, quod feci patribus eorum, in die, qua apprehendi manum illorum, vt educerem illos de terra Ægypti; quoniam ipsi non permanserunt in Testamento meo.* Ecce, quod ille, qui Testamentum fecit Patribus, Testamentum nouum consummauit filiis. Et ille idem misericors & iustus: quia subdit; *propicius ero iniquitatibus eorum, & peccatorum illorum, iam non memorabor.* Cui Hieremias satis consonat, dicens; *Ecce dies venient dicit Dominus, feriam domui Israël & domui Iuda fœdus nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum; pactum, quod irritum fecerunt.* Vnde & Iacobus ait: *Vnus est legislator & iudex, qui potest perdere, & liberare.* Legislator, Pater est: Iudex, filius est: Pater autem & filius, vnus Deus. Vnde Paulus in Actis Apostolorum ait ad Præsidem: *Sic deseruio patri Deo meo, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt*: se enim seruire patri sic, dicebat: duorum etenim testamentorum vnus est magister; sicut duorum filiorum, videlicet Ismaël & Isaac: Vnus est pater

sitans peccata patris in filios in tertiam & quartam generationem. *Dicunt enim id esse iniustũ; vt pro peccato alterius quis puniatur, cùm scriptum sit:* Filius nõ portabit iniquitatẽ Patris. *Sed è contra, in his mitis apparet; quod etiam hoc nomine* visitans *innuitur. Ex pietate enim visitamus infirmos; Et ipse, ex pietate, nõ statim peccatum punit, sed expectat in tertiam & quartam generationem, quandiu scilic solent patres viuere.*

Isa. 51.
Ibidem.
Ibidem.
Isa. 50.
Ibidem.
Hebr. 8.
Ibidem.
Hier. 31.
Iacob. 4.
Actor. 24.

Galat. 4. Abraham: quia Paulus ait; *Hæc enim sunt duo Testamenta.* Vnde
Ezech. 1. & Propheta dicit, se vidisse *rotam in medio rotæ, quæ cum euntibus*
a] Hiero. super *ibant, cum stantibus stabant animalibus, & earum vnus erat auriga.*
hunc loc. Quod enim semel dicitur, vno modo dicitur; quia vnum & idem in nouo Veterique Testamento præcepit. Duo sunt Testamenta, sed vnum dicunt. Vnde illud; Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.

Psalm. 61. Vnus enim Deus duo regit testamenta. Vnde Dauid: [a] *Semel lo-*
Apocalyp. 1. *cutus est Deus; duo hæc audiui.* Vnde in Apocalypsi: *Gladius vtraque parte acutus de ore eius* dicitur *exire.* De quo gladio Apostolus
Ephes. 6. ait; *Et gladium spiritus, quod est verbum Dei.* Vnde & Paulus ad E-
Ephes. 2. phesios ait; *Superædificati supra fundamentum Apostolorum & Prophetarum.* Fundamentum dicit singulariter; ergò in vno & eodem fundamento, fundauerunt Apostoli & Prophetæ [illegible]ia,
Ioan. 6. de residuo quinque panum Moysi, impleti sunt Cophini XII.
Rom. 7. Apostolorum. Vnde & Apostolus ait: *Condelector enim legi Dei secundum interiorem hominem.*

Sed ipsi hæretici, omnia exterius intelligunt, nil autem interius, & ideo legisdatorem accusant; tamen canticum Moysi
Apocalyp. 15. & cantatur & recolitur cum cantico Agni in cælis, vt ait Ioannes in Apocalypsi, & etiam Prophetæ de Euangelio locuti sunt, & quidquid locuti sunt, Euangelium est, id est, bona annunciatio,
Rom. 1. iuxta illud Pauli ad Romanos: *Segregatus in Euangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis de filio suo.* Hæc sola oratiuncula, omnia claudit: scripturam enim sanctam, vocat *legem*: Christum, vocat filium eius, qui locutus est, per Pro-
Rom. 3. phetas, quia, vnus Deus. Vnde ad eosdem ait: *quoniam quidem vnus Deus, qui iustificauit circumcisionem ex fide, & præputium per fidem.* Circumcisionem iustificauit pater in Abraham ex fide: præputium filius in gentibus, per fidem.

Dicunt autem hæretici, quòd ille, qui iurauit, malignus spiritus est. Sed ossa eorum confringamus in ore ipsorum. Qui
Hebr. 7. enim iurauit, eius fuit sermo iurisiurandi. Sed Paulus ait ad Hebræos: *Lex homines constituit sacerdotes infirmitatem habentes: sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.*
Psalm. 109. Patet ergò, quòd ille, qui iurauit, Christum filium sacerdotem in æternum constituit. Vnde Dauid: *Iurauit Dominus, & non pœ-*
Ioan. 2. *nitebit eum, &c.* Non dicit, secundum ordinem Aaron; quia aqua mutata in vinum, id est, lege commutata in melius, & sacer-

dotium

dotium in melius commutatur. Vnde Paulus ad Hebræos ait; *Si ergò consummatio per sacerdotium Leuiticum erat; populus enim sub ipso Legem accepit; quid adhuc necessarium fuit, secundum ordinem Melchisedech alium surgere sacerdotem, & non secundum Aaron?* Et subdit: *Translato enim sacerdotio, necesse est, vt legis translatio fiat.* Vnde & Daniel. *Cùm venerit sanctus sanctorum*, cessabit vnctio Iudæorum scilicet. Et hæc de lege & Prophetis, & de legis datore dicta, etsi minus plena, sufficiant. *Heb. 7. Daniel. 9.*

Quod domus lapidea vocari debeat Ecclesia: & de tonsura capillorum.

CAPVT IV.

APOSTOLORVM, nec non Prophetarum destituentes stabilimenta, vniuersalis Ecclesię ventosi fluctuantes, arenosi, nituntur diruere fundamentum: Et quas beatissimi Patres, Apostoli & Doctores instruxerunt Ecclesias, hi destruunt. Nec iam Ecclesias vocant, sed *speluncas*, & quod dictu terribile est, & auditu; verbis inhonestis, & etiam execrandis, Ecclesiarum pastores, & eorum vestimenta, altaria & vasa contaminant sacrosancta. *Sub lingua enim eorum, labor & dolor, venenum aspidum sub labiis eorum.* Sed, quod indignatione plenum est, de errore suo nituntur suggerere rationem, quòd ferè mihi nauseam commouet, & tædium indignanti. Obiiciunt enim; *Dominus non in manu factis habitat: & ideo Ecclesia manu facta, Dei habitatio non est.* Sed, in hoc errant: quia, Deus vbique locorum est. Vnde Dauid: *Quò ibo à spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? si ascendero in cælum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Et Iob: *Excelsior cælo est, quid facies; profundior inferno, vnde cognosces? Longior terra, mensura eius: & latior mari.* *F. Moneta lib. 5. cap. 8. Psal. 13. Psal. 138. Iob. 11.*

Qui igitur [a] vbique est, est etiam apud inferos, implens omnia; in domo manu facta, quare non esset? Et, si nihil sine co stare potest; domus manufacta, sine eo quomodo staret? Possumus autem dicere, quod omnia manu facta sunt. Vt homines, iuxta illud; *Manus tuæ, Domine, fecerunt me;* Et illud; *Pelle & car-* *Iob. 10. Ibidem.*

a] *Vnde in Moral.* Ipse manet intra omnia; ipse, extra omnia: ipse, super omnia; ipso, infra omnia.

Psalm. 91. *nibus vestisti me: ossibus & neruis compegisti me; &, sicut caseum me coagulasti.* Et alibi: *Ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Et secundum hoc, in hominibus non habitaret, nec etiam in cælis, cùm sint
Psal. 8. manu facti cæli? Vnde Dauid; *Quoniam videbo cælos tuos, opera* digitorum tuorum; quorum vtrumque est falsissimum.

Exponamus igitur illud, quod obiiciunt, melius intelligentes, quam ipsi, vt oportet. Paulus enim in Actibus Aposto-
Actor. 17. lorum ait: *Deus qui fecit hunc mundum, & omnia, quæ in eo sunt: hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templi habitat,* id est, in idolis; quod dixit, propter idolorum cultores. Non enim dixit in *manufactis templis,* sed *templi,* tamen magis contra eos est, quàm contra nos. Non enim credunt in Deum, qui fecit hunc mundum.

3. Reg. 6. Sed iterum obiiciunt; *In domo Domini, non est audita vox mallei.* Trahunt autem exempla ex illis, quæ non recipiuntur. Faciunt autem sicut illi, qui emunt gladios, quibus iugulantur. Nesciunt autem quare hoc dictum est. Cùm enim Salomon templum Dei strueret, lapides quadrati & politi à [a] longinquis partibus afferebantur, & parati, ita vt vel sine malleo, aut ferro possent locari in ordine maceriei. Et ideo dictum est; *in domo Domini non est audita vox mallei, neque securis.*

a] *Vnde in lib. Reg. 3.* Domus autem, cum ædificaretur lapidibus de dolatis, & perfectis ædificata est, & malleus & securis & omne ferrũ non sunt audita in domo cum ædificaretur.

Dicunt autem, quod bonus homo, aut bona fœmina, aut congregatio vtriusque, Ecclesia est: & ideo domum manu factam, negant esse Ecclesiam. Nos verò, quod concedunt, concedimus; sed, quod negant, non negamus. Dicimus enim, quod & homo, & fœmina, & domus etiam manu facta potest di-
Genes. 8. ci Ecclesia. Vnde semper, aut sæpe in sanctis scripturis per *arcam,* aut per *nauem* figuratur Ecclesia, scilicet per rem inanimatam, res inanimata: per rem manu factam, res manu facta, quia, sicut in arca Noë octo animæ congregatæ sunt: aut, sicut quotidie in naui congregantur: ita & in domo Dei, quæ est Ecclesia, vt inferius ostendemus, homines cum mulieribus adunantur. Non enim homo in se ipso, aut in alio congregatur. Et sicut [b] piscatores in naui stantes piscantur, ita doctores in Ecclesia prędicant.

b] *Ecclesia autem hæreticorũ naues sũt Tharsis. Tharsis enim exploratio gaudiorum, scilicet temporalium. Vnde Propheta;* In spiritu vehementi conteres naues Tharsis.

Quod autem domus orationis manu facta, appelletur Ecclesia, testatur Paulus; qui ait ad Corinthios in 1. Epist. *Nunquid domos non habetis ad manducandum, & bibendum? aut, Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent?* Ad eos
1. Corinth. 11. enim,

enim, qui in Ecclesiis comedebant, dicit; quorum alter esuriebat; alter inebriabatur. Vnde subdit: *Itaque fratres mei, cùm conuenitis ad manducandum, inuicem exspectate, si quis esurit, domi manducet; vt non in iudicium conueniatis.* Et paulò ante dixerat: *primùm quidem vobis conuenientibus in Ecclesiam, audio scissuras esse: Et, ex parte credo.* In Ecclesia dicit, non, in *homine*, aut in *fœmina*. Nisi forsitan & vos in *feminas* conueniatis: & ex parte credo. Malè enim intelligitis illud penultimum in Apocalypsi. *Ex vtraq; parte fluminis lignum vitæ, afferens fructus duodecim per menses: singula reddentia fructum suum: & folia ligni ad sanitatem gentium.* Sed hactenus inuidiæ respondimus. Attrahe lora.

Ibidem.

Apocalyp. 22.

Et iterum, quod domus manu facta, Ecclesia sit, vult Paulus loquens ad eosdem in eadem Epistola dicens; *Mulieres in Ecclesia taceant*: Et paulò post: *Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia. Si quid autem volunt dicere; domi viros suos interrogent*: cùm in Ecclesia tacere debeant. Vbi enim viri: ibi congregatio. Et ad Thessalonicenses ait Paulus in secunda Epistola de Antichristo: *Ita vt in templo Dei sedeat, ostendens se tanquam sit Deus.* In anima autem iusti non sedebit; sed, in domo manu facta, quam templum Dei appellat. Et iterum ad Timotheum ait: *Si autem tardauero, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari; quæ est Ecclesia Dei viui.* Ecce *domum* vocat Ecclesiam Dei viui: De qua domo Dominus per Ioannem ait ad vendentes: *auferte ista hinc: & nolite facere domum patris mei domum negociationis.* Ecce, [a] quod dixit *domum*, & *patris mei*, dixit: notanda sunt singula. Matthæus autem vocat *templum* dicens; *Intrauit Iesus in templum Dei, & eijciebat vendentes & ementes in templo.* Quòd, primò *domum patris* sui vocauit *templum Dei* vocat. Si ergò templum Dei est, Ecclesia est. Et post pusillum, *domum suam* vocat dicens: *Domus mea, domus orationis vocabitur*: Et Marcus adiunxit; *omnibus gentibus.* Dixit; *domus mea*; ergò in ea habitat, vt in domo sua.

1. Cor. 14.

D. XX. III. Mulier quamuis docta, & sancta, viros in conuentu docere non præsumat. Laicus autem, præsentibus Clericis nisi, ipsis rogãtibus, docere non audeat.

2. Thessal. 2.

1. Timoth. 3.

Ioan. 2.

a] *Vnde in lib. Reg. 3. Dominus ait ad Salomonē*: Sanctificaui domum hanc, quam ædificasti vt, ponerem nomen meum ibi in sempiternum: & erunt oculi mei, & cor meum ibi cunctis diebus.

Matth. 21. Ibidem. Marc. 11.

O domus Dei euersores, extra domum Dei exulantes, de domo Dei non estis. Verè, ex illis estis, qui magis approbant aurum templi, quàm templum: & donum altaris, quàm altare: quibus Dominus ait; *Stulti & cæci; quid maius est, aurum, an templum? quod sanctificat aurum? Cæci, quid maius est? donum; an altare, quod*

Matth. 23.

re, *quod sanctificat donum?* Ecce, quod aurum sanctificatur à templo; & *donum ab altari*, si Marcus non mentitur. Sed nihil est, quod sanctificet, nisi ipsum sanctum sit. O hæresis immunda, quid ergò redarguis sacrosancta? Quod enim diruis, [*a*] ædificare pium est. Vnde Lucas ait de senioribus qui rogabant Iesum pro centurione dicentes: *Dignus est, vt hoc illi præstes. Diligit enim gentem nostram; & synagogam ædificauit nobis.* Et si de synagoga pium est; multo magis de Ecclesia. Vnde & in Ecclesia thura cremare dignum est: Vnde Lucas de Zacharia ait: *Sorte exijt, vt incensum poneret: ingressus in templum Domini*: Angelus Dei apparuit ei dicens; *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua.* Ecce, quod ponens incensum in templo meruit exaudiri. Vos non legistis illud, quod in Apoc. legitur: *Alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens turibulum aureum: & data sunt ei incensa multa.* Secundum hoc autem & altare, & incensum, & turibulum, ad figuram saltem eorum, quæ diximus, habere debemus. Quæ enim in Ecclesia sunt vasa, aut vestimenta, mystica sunt, & bonorum figuratiua, sicut in speculo Ecclesiæ plenius assignatur. Quæ autem mysticè facimus, subsannatis,* & factores, nihil mysticum est in vobis. Nobis autem datum est, nosse mysterium Dei, aliis autem in parabolis.

Quod autem Prælatis, nostræ Ecclesiæ obedire debeant, probare possumus: sed primò ad ea, quæ obiiciunt, respondendum est. Dicunt enim, *quòd fornicatores sunt, adulteri, mendaces, raptores & cupidi.* Hæc enim dicunt, secundum oculorum visionem iudicantes. Sed & hoc eis non sufficit. Petrus enim ait: *Serui subditi estote, in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis*, hoc est difficilioribus & peruersis. Si enim [*b*] aliquis Iudæus, aut paganus, aut hæreticus etiam, quod peius est, in Cathedra Moysi resideret, factus sacerdos, aut Episcopus, ei obedire teneremur. Etiamsi dicant bona, & nihil boni faciant, tamen eorum mandata debemus corde tenus seruare, & in operibus complere, & facere, licet nihil compleant, aut faciant, Domino teste, qui ait de Iudæis per Matthæum; super *Cathedram Moysi sedent scribæ & Pharisæi: Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum verò opera eorum nolite facere; dicunt enim, & non faciunt.* Ecce, quòd Iudæis, qui erant Pharisæi, & nihil eorum, quæ dicebant, facientes, obedire iubebat Dominus: multò magis ergò prælatis nostræ Ecclesiæ obedire

Marc. 7.
a] *Caus. XII. q. 1. Melch. Papa.* Vir religiosissimus Constantinus, licentiam dedit suo de gentib. impio, non solum fieri Christianos, sed & fabricandi Ecclesias, & prædia constituit tribuenda.
Luca 7.
Luca. 1.
Apocalyp. 8.
* *Locus corruptus.*
Caus. XII. q. 1. Constantinus ait: Clerici à nemine iudicari debent: solius Dei iudicio reseruãtur, dii etenim vocati sunt.
1. Pet. 2.
b] *Gelas. in 9l. partic.* Satis indignũ est, quẽcunq; hãc obseruantiam refutare, quam B. Petri sedem & sequi videt, & docere. Vbi Dominus totius Ecclesiæ posuit fundamentum.
Matth. 23.

dire tenemur, qui Iudæi non sunt, nec Pharisæi, etsi non omninò, aliquid tamen agant boni: si autem peccant; homines sunt. Salomon enim ait: *Septies in die cadet iustus, & resurget: Impij autem corruent in malum.* Et idem: *Non est homo in terra, qui faciat bonum, & non peccet.* Nunquid (non) Dominus, qui sine peccato erat, voluit esse subditus Ioseph & matri suæ, * qui sine peccato non erant? Vnde Lucas; *Et erat subditus illis.*

Prouerb. 24.
Eccles.7.
Luca.2.

* *Hæc ad solum Iosephum referenda, ea locutionis figura; qua latrones Christum in cruce pendentem blasphemasse, cum Vnus tantum huic culpæ affinis fuerit; & discipuli Vnguentum illud pretiosum in caput & pedes Christi effusum, ægrè tulisse feruntur Matth. 26. Marc. 14. cum solus Iudas contra murmurauerit, Vt ex cap. 12. Ioannis liquet.*

Ab eo ergò sumere exemplum debent; quia ipse ait; *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* Et secundum hoc obedire debent Prælatis & doctoribus nostris: Cùm Paulus dicat ad Ephesios: *Et ipse quosdam quidem dedit Apostolos, quosdam autem Prophetas; alios verò Euangelistas, alios pastores & doctores, ad consummationem sanctorum in opus ministerij.* Quos ergò Dominus posuit & poni iussit, tenemur venerari. Vnde Paulus ad Hebręos: *Obedite præpositis vestris, & subiacete eis: Ipsi enim peruigilant, quasi rationem pro animabus vestris reddituri.* Vnde & Iesus Filius Sirach: *Presbytero humilia animam tuam, & magnati humilia caput tuum.* Et iterum idem: *In multitudine presbyterorum prudentiū sta, & sapientiæ illorum ex corde coniungere; vt omnem narrationem Dei possis audire.* Et subdit: *Noli verbosus esse in multitudine presbyterorum.* Et idem: *In tota anima tua, time Deum, & sacerdotes illius sanctifica; honora Deum & sanctifica sacerdotes.* Vnde & alibi de sacerdotibus legitur; *Si peccauerit homo,* scilicet per ignorantiam, *rogabit pro eo sacerdos: si autem in Deum peccauerit, quis orabit pro eo?* Et illud; *Presbyteri duplici honore digni sunt, maximè qui laborant in verbo & doctrina Dei.* Vnde illud; *Non alligabis os boui trituranti.*

Matth. 11.
Ephes.4.
Hebr. 13.
Eccles. 4.
Eccle.6.
Eccles. 7.
1. Reg. 2.
1. Timoth.5.
1. Corinth.9.

Sed iterum obiicitis: quia, oratio eorum nullius momenti est: dicentes; *quia Dominus peccatorum preces non exaudit,* propter illud Salomonis: *Non est speciosa laus in ore peccatoris.* Sed nullius valoris est hæc obiectio. De illis enim dicitur, qui voluntatē non habent laudandi Deum, aut orandi, sunt enim quidam, licet delinquant, in orationibus aliquando se delectant: quibus laus Dei speciosa est. Sunt alij, qui nullo modo in orationibus se de-

Eccles. 15.

lectant, nec delectari potest animus eorum in orando. De quibus dicitur: quia in ore eorum laus Dei speciosa non est: quia, nunquam laudant. Non autem solummodò iusti, imò omnes creaturæ laudare, & benedicere debent Deum. Dominus autem non solùm iustos; sed etiam peccatores aliquando exaudit. Nunquid (non) dæmones exaudiuit, cùm eos in gregem porcorum misit? Et alibi, cùm Iob tentari permisit? Nunquid Cornelium Centurionem, qui paganus erat, (non) exaudiuit, vt in Actibus Apostolorum legimus; cùm Angelus ad eum dixisset: *Orationes tuæ, & eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei*: Multò magis presbyter, quàm paganus promeretur exaudiri: qui & manus habet sanctas. Vnde Paulus ad Timotheum: *Noli negligere gratiam, quæ data est tibi per Prophetiam, cum [a] impositione manuum presbyterij*. Ecce, quod impositio manuum eorum, sancta est, & reuerenda.

Matth. 8. Actor. 10. 1. Timoth. 4.

a] Gregorius hom. 14. Sacerdotes cùm per exorcismi gratiam, manum credentibus imponunt; & habitare malignos spiritus in eorum mentes contradicunt; quid aliud faciunt, nisi quod dæmones eiiciunt?

Quod autem sacerdotibus peccata debeamus confiteri, non creditis. Quod si malum esset: nequaquam Dominus leprosos mundatos ad sacerdotes mitteret, dicens; *Ite, ostendite vos sacerdotibus*; Ac si diceret: Confitemini peccata vestra, coram eis. Nam & Paulum, cùm de cælo eum vocasset, ad sacerdotem, hoc est, ad Ananiam eum misit, qui illum instrueret. Et, cùm Lazarus ab eo suscitaretur, vt scriptum est, erat ligatus institis, sacerdotibus, qui aderant, præcepit dicens: *Soluite eum, & finite abire*. Nam peccator, cùm per compunctionis gratiam suscitatur; necesse est, vt sacerdotali sententiâ absoluatur, quibus Dominus ait: *quæcunque [b] ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælis, &c.*

Lucæ. 17. Actorum. 9. Ioan. 11. Matth. 18.

b] Vnde in lib. Numer. Balac. ad Balaam: Noui enim, quod benedictus sit, cui benedixeris: & maledictus, in quem maledicta congesseris.

Sed videant, ne, illud Propheticum super eos cadat: *Viuificabant animas, quæ non viuunt: & mortificabant animas, quæ non moriuntur.* Quia magnum quid est sacerdotium, vt testatur Ezechiel Propheta, qui ait: *Vestient se vestimentis alijs; & non sanctificabunt populum in vestimentis suis. Caput non radent, neque comam nutrient: sed tondentes attondeant capita sua, & præcepta mea in omnibus solennitatibus meis custodiant. Victimam pro peccato & pro*

Ezech. 13. Ezech. 44. Ibidem.

delicto

delicto ipsi comedent; & omne votum in Israël, ipsorum erit; & primitiua pecorum, & omnia libamenta ex omnibus, quæ offeruntur, sacerdotum erunt. Primitiua ciborum vestrorum dabitis sacerdoti. Omne morticinum & tactum à bestia, de auibus & pecoribus non comedent sacerdotes. Ecce habemus de vestimentis sacerdotalibus auctorem: Et; quod sacerdotes sanctificant; & quod primitiua pecorum, habere debeant.

Et, quod vobis ridiculosum est; de [a] coronis in capite auctorem reperimus non solùm Ezechielem, imò & Hieremiam, qui ait: *Tonde capillum tuum, & proijce:* Et subdit: *quia Dominus visitabit super omnes, qui adtonsi sunt in comam habitantes in deserto,* hoc est, in cœnobio. Qui enim in cœnobio est, omnia mundana deserit. Tamen multi sunt, qui coronantur; nec se tales exhibent, vt debent. De quibus ait Dauid: *sicut nouacula acuta fecisti dolum.* Sunt enim quidam, qui sitienti dant potum; esurienti, cibum; nudo, vestimentum; sed fide præcipitantur. Ecce, hi capillos radunt, id est, superflua pauperibus erogant; sed nouacula acuta facit in eis dolum, per fidem, quam non habent: sicut in illis, qui radunt caput, sub obtentu religionis, & religionem nullam habent.

a] *Isid. in lib. Offic.* Tonsuræ Ecclesiasticæ vsus à Nazaræis exortus est: qui caput radebant, & capillos in ignem sacrificii ponebant.

Hier. 7.

Psalm. 51.

Nec solùm autem Prophetas, imò & Apostolum producamus in exemplum. Ait enim Paulus ad Corinthios. *Omnis vir orans, aut Prophetans velato capite, deturpat caput sum. Omnis autem mulier orans aut Prophetans, non velato capite, deturpat caput suum. Idem est enim, ac si decaluetur. Nam etsi non velatur mulier, tondeatur. Vir quidem non debet velare caput suum; quoniam [b] imago & gloria est Dei.*

1. Cor. 11.

Quod autem de velamine capillorum dicat, ostendens subdit: quòd *vir quidem, si comam nutriat, ignominia est illi: mulier verò, si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine ei dati sunt.* Secundum hoc ergò capilli hominis pro velamine dati non sunt, sed tonderi debent. Et corona, quæ fuit data Christo causa improperij, nobis causa honoris debet esse. Vnde Paulus ad Hebræos: *Exeamus igitur extra castra ad eum, improperium eius portantes.* Et in Actis Apostolorum legimus: *Cum eo*, videlicet Paulo, Priscilla & Aquila, *qui sibi totonderant caput in Cenchris: habebant enim votum, &c.* Ecce, quod in tonsura capillorum votum exhibetur.

b] *Caus. XII. q. 1. Hiero.* Clerici in Deo regnum habent: quod designat corona capillorum. Rasio verò capitis, est temporalium depositio.

Hebr. 13.

Actor. 18.

Cantilenas etiam in Eccleſiis dedicatis deridere non ceſſatis, dicentes, *eas vanas eſſe, & ab hominibus inuentas, & contra Dei mandatum inſtitutas.* Quod probare nitimini ex eo, quod in Apocalypſi legitur in ſine; *Conteſtor ego omni audienti Verba prophetiæ libri huius, ſi quis appoſuerit ad hæc; apponet Deus ſuper plagas iſtas, qui ſunt in libro iſto: Et, ſi quis diminuerit de verbis Prophetiæ libri, auferet Deus partem eius, de ligno vitæ, & de ciuitate ſancta, & de his, quæ ſcripta ſunt in libro iſto.* O inſenſati; baculus iſte, vos percutit.

Luc. 10.

Nos enim Apocalypſi Ioannis nihil addimus, aut ſubtrahimus: ſed nummos, quos Samaritanus dedit ſtabulario, ſupererogamus.

Ibidem.

Dominus enim ait; *quodcunque ſupererogaueris, ego, cum rediero, reddam tibi.* Ergò ſupererogare, bonum eſt, ſupererroganti enim ſeruo dictum eſt:

Matth. 25.

Euge ſerue bone, & fidelis. Erat, qui non ſupererogauit, & illi dicitur; *Serue nequam & piger, ſi tu erogares pecuniam meam, ego veniens cum vſuris exigerem.* Nunquid (non) Paulus ſupererogabat, cũ dicebat:

1. Cor. 7.

De Virginibus autem præceptum Domini non habeo; conſilium autem do, &c. Et, cùm dixit: vt Euangelium prædicans, de Euangelio viueret. De quo conſilio Salomon ait in Parabolis:

Prouerb. 3.

Cuſtodi legem meam & conſilium; & erit vita animæ tuæ, & gratia faucibus tuis.

Si autem dixeritis; quòd noua ſunt ea, quæ canimus, & nouiter inuenta, quid noui poſſumus addere? ſi enim aliquid addatur boni; non eſt nouum; cùm Salomon dicat:

Eccleſ. 1.

Nihil ſub ſole nouum: & non valet quiſquam dicere; ecce, hoc recens eſt. Vnde & quidam ſapiens dixit contra eos, qui crucem blaſphemant: *Non ſunt noua Sacramenta, nec recenter eſt inuenta crucis hæc religio.* Si autem dixeritis, quod nihil addi debeat in ſcripturis, præter illud, quod in Euangelio legitur; tamen multi addiderunt ſuas Epiſtolas; Et Lucas, in Actibus Apoſtolorum: & etiam multa fecit Deus, quæ nondum ſunt ſcripta, nec etiam poſſunt ſcribi, ſi machina mundi eſſet Pergamenum, & aqua maris *incauſtum.* Sic illè; qui laudauit Amaſiam; nunc loquitur, ſed verius: Vnde

Ioan. 21.

Ioannes ait: *Multa quidem & alia ſigna fecit Ieſus in conſpectu diſcipulorum ſuorum, &c.* Et idem in ſine: *Sunt autem & alia multa, quæ fecit Ieſus; quæ, ſi ſcribantur per ſingula, nec ipſum mundum arbitror capere eos, qui ſcribendi ſunt, libros.* Nihil autem canimus, niſi ea, quæ ſcripta ſunt in ſcripturis ſanctis Quod ipſe Paulus monet ad Epheſios, dicens:

Epheſ. 5.

Implemini [a] *ſpiritu ſancto, loquentes vobis-*

a] *In Cõc. Tol.* Hymnos in laudem Dei compoſitos, nullus veſtrũ improbet.

vobismet ipsi in Psalmis, & hymnis, & canticis spiritalibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino.

Septies autem oramus in die: quia, septies cadit iustus in die, & resurget per orationem, vt diximus: quod & Dauid faciebat, qui septies in die clamabat ad Dominum. Quod autem cantemus, mouemur per Dauid, qui ait: *Cantate Domino canticum nouum; laus eius in Ecclesia sanctorum.* Et Ioannes in Apocalypsi ait: *Post hæc audiui quasi vocem magnam turbarum multarum in cælo dicentium, alleluia.* Ecce vocem magnam quasi turbarum exaltare debemus dicentes, *alleluia.* Et subdit: *Iterum dixerunt alleluia*: Et rursum; *Adorauerunt sedentem super thronum, dicentes; Amen, alleluia.* Ecce, exempla habemus, quod dicere debeamus, a] *alleluia, & Amen*: & canere tanquam tuba, aut tonitrua. Lucas etiam monet; qui ait: *Cœperunt omnes turbæ descendentium discipulorum gaudentes laudare Deum voce magna.* Quomodo voce magna, nisi cantando? Et subdit: *dicentes; Benedictus qui venit Rex in nomine Domini, pax in cælo, & gloria in excelsis.* Vnde Dominus ad Pharisæum, qui arguebat cantilenas, ait: *Si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Et Lucas ait: *Subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis, laudantium Deum & dicentium; Gloria in altissimis Deo, & in terra pax hominibus, bona voluntas.* Ergò possumus laudare Deum hæc eadem dicendo. Et in Apocalypsi de quatuor animalibus: *Requiem non habebant die ac nocte dicentia: sanctus, sanctus, sanctus, Deus omnipotens, &c.* Et Propheta; *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam.* Et de leproso mundato dicitur: *Regressus est cum magna voce glorificans Deum.* Magna voce, dixit: *quia, vnusquisque quantum amat, tantum clamat.* Et Isaias Propheta: *Post LXX. autem annos erit Tyro quasi canticum meretricis; sume citharam, circui ciuitatem meretrix obliuioni tradita: benè cane, frequenta canticum, vt memoria tui sit.* Et de Ezechia: *Domine, saluum me fac, psalmos nostros cantabimus, &c.* Et Salomon in * libro Sapientiæ. *Stare fecit cantores contra altare, & in sono eorum dulces fecit modos.* Et in Apocalypsi: *Cantantes canticum Moysi, & canticum Agni dicentes*: vt diximus in Tractatu primo. Et Dauid: *Paratum cor meum Deus, cantabo & psalmum dicam.*

Psalm. 118. *Psal. 149.* *Apoc. 7.* *Ibidem.*

a] *Isid. Etym. Amen, & Alleluia;* hæ duæ (voces) tantæ sunt dignitatis, vt quisquã ab idiomate proprio transferre non audeat in aliud idioma.

Luca. 19. *Ibidem.* *Luca. 2.* *Isaia. 58.* *Luca. 17.* *Isaia. 23.* *Isaia. 38.* *Ecclesi. 47.* *Apoc. 15.* *Psal. 107.*

* *Vocat Ecclesiasticum* librũ Sapientiæ *eo modo, quo Ecclesia in Missalibus omnes lectiones desumptas ex Parabolis, Canticis & Ecclesiastico, ait desumptas ex libro Sapientiæ.*

Quare autem obiicitis Dauid, qui laudes Domini continuas suaui melodia decantare constituit: tanquam dicentes: *quæ nobis pars in Dauid, aut quæ hæreditas in filio Isai?* Et hæc de cantilenis sufficiant.

3. Reg. 12.

Sed & orationes nostras parui penditis, dicentes; *Vos, melius orare*. Erratis: quia vosmetipsi nescitis, quid oretis, aut quid orare debeatis, teste Apostolo, qui ait: *Nam, quid oremus, sicut oportet, nescimus: sed, ipse Spiritus sanctus postulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus*. Vestræ autem orationes execrabiles sunt; cùm Moysi legem non recipiatis. Vnde Salomon; *qui obturat aures suas, ne audiat legem; oratio eius erit execrabilis*.

Rom. 8.

Vos autem dicitis, quia orare non debemus *Pater noster*: quia, sic mentimur, Deum patrem vocantes; cùm alibi dicatur: *Vos ex patre diabolo estis*: probantes in hoc; quia filij eius non sumus. Malè autem intelligitis illud, quod in libro Sapientiæ legitur; *Tu autem Deus noster, suauis & verus es, patiens, & in misericordia disponens omnia: Etenim, si peccauimus, tui sumus, scientes magnitudinem tuam*. Et illud, quod Lucas ait: *Si ergo vos, cum sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris; quanto magis pater vester de cælo dabit spiritum bonum petentibus se*. Ecce, malis dixit, *pater vester*: Ergò pater est & malorum. Similiter Abraham ad diuitem; *Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala*. Diues autem ad Abraham: *Rogo ergò te pater*. Igitur non mentimur, si Deum, patrem vocemus: cùm ipse Deus, nos vocet filios, licet peccemus. Quod autem dixit: *Vos ex patre diabolo estis*: diabolus, iniquorum pater esse dicitur per imitationem, non per [a] creationem. Deus autem pater bonorum & malorum per creationem: bonorum tantùm, per vnitionem. Orantes igitur dicere possumus; *Pater noster*, de creatione, non mentientes. De imitatione autem, in Deo est.

Ioan. 8. Sapien. 5. Luca. 11. Luca. 16.

a] *Caus. 1. q. 1. Ambros.* Iudæi ex patre diabolo sunt, non vtique carnis successione, sed criminis.

Sed aliud obiicitis; quia, Dominicam orationem permutamus, cùm dicimus; *panem nostrum quotidianum*; & dimittimus tacentes illud; *quia tuum est regnum, &c.* Vel; quia sacerdos in celebratione prætermittit; *sed libera nos à malo*. O speculatores iniqui. Nunquid Lucas illud idem non facit? Si tacuissetis, Philosophi essetis. Non enim Græcos imitatur Lucas.

Sed iterum obiicitis; quia, longas orationes facimus; longissimam autem orationem Deus fecit, sicut Ioannes testatur in Eu-

Ioan. 17.

in Euangelio: *Sublatis Iesus oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, &c.* vsque ad passionem. Etiam Apostoli longam fecerunt orationem, vt in Actibus Apostolorum legimus, dicentes: *Domine, qui fecisti cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, &c.* vsq; ad illud: *Et cum orassent, motus est locus.* *Actor. 4.*

Inuenimus autem multis in locis Apostolos orantes; nec dicebant Dominicam orationem. Omnis enim oratio bona, si non fuerit contra fidem. Nec etiam Publicanus orabat sicut vos; qui, vt ait Lucas, *Percutiebat pectus suum dicens; Deus propitius esto mihi peccatori*: & tamen iustificatus abiit, & non Pharisæus; qui dicebat, *se non esse, sicut cæteri hominum, non adulterum, non rapacem*; sed ieiunabat bis in sabbato: cui nihil profuerunt ieiunia. Paulus autem orare nos docet, dicens ad Timotheum: *Obsecro igitur primum omnium fieri oblationes, & orationes, & obsecrationes, postulationes & gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus, & omnibus, qui in sublimitate sunt constituti.* Et subdit: *hoc enim bonum & acceptum est coram saluatore.* *Luca. 8.*

Et in [a] templo orare debemus. Vnde Lucas de Apostolis ait in fine (5. cap.) *Et erant semper in templo laudantes & benedicentes Deum. In templo* dicit; non, *in coquina*, iuxta ollam bullientem. Sed partita hæreditas nostra, & chaos firmatum est. Nobis enim dicitur, *Euge*; vobis, *Væ*. In libro enim, quem comedit Ezechiel, *scripta erant, lamentationes, & carmina, & væ.* Nostræ autem sunt lamentationes, pœnitentiæ, & carmina iustorum, hoc est; *Euge*: Vestrum verò sit *væ* miserorum. Et meritò illud *væ*, vestrum debet esse. Carmina autem prohibetis, ne canamus, laudantes Dominum. Lamentationes reiicitis, dicentes; quasi pro mortuis orare non debeamus. Sed rationibus scripturarum conuicti taceatis. Quia, in Actibus Apostolorum legimus de Tabitha, quæ mortua erat; tamen fletibus viduarum & orationibus suscitata est. Similiter & Matthæus de Archisynagogo; qui ait ad Dominum: *Filia mea modò defuncta est; sed veni, impone manum super eam, & viuet.* O miseri: nunquid Prælati Ecclesiæ orantes pro mortuis, *Archisynagogi* appellantur? Vos autem estis serui nequam, dicentes ad Archisynagogum: filia tua mortua est: quid vltra vexas magistrum? Vexare enim debemus, & pulsare, vt tandem Dominus dicat; *Tabitha cumi: id est, tibi dico puella, surge.* Et alibi de vidua, cuius filius mortuus erat; *quam* *Ezech. 2.* *Actor. 9.* *Matth. 9.* *Luca. 7.*

a] *D. l. de Consecr.* Iudæi loca, in quibus Deo sacrificabant, diuinis habebant supplicationibus consecrata; nec in aliis, quàm Deo dicatis locis munera Domino offerebant.

cum

cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit: Noli flere. Postea, suscitauit eum. Ecce, quòd orationes pro mortuis, valent; & eleemosynæ, sicut de Iuda Machabæo legimus: *Vir fortissimus Iudas, &c. iustè & religiosè de resurrectione cogitans. Sancta ergò & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.* Et Tobias de oblatione pro mortuis loquens ait: *Panem tuum & vinum super sepulturam iusti constitue: & ne communicaueris ex eo cum peccatoribus.*

2. Machab. 12.

Sed obiicitis illud; *lignum in quamcunque partem ceciderit, siue ad austrum siue ad aquilonem, ibi erit*; quia, vbi te inuenero, ibi te iudicabo. Sed, hoc de die iudicij dictum est; non de die mortis. Si enim die iudicij cadat quis in infernum, ibi semper erit iudicatus ad damnationem: si in gloria; ibi semper erit iudicatus ad salutem. Sed anima, quando à corpore separatur, non statim in locum sibi semper debitum tendit: sed orationibus & eleemosynis ei aliquando succurritur, vel saltem pœna minuitur.


Sequentia sine dubio sunt à Græcissante librario, non ab Auctore.

Græci enim sic dicunt Pater noster; Πάτερ ἡμῶν, ὁ ἐν ταῖς οὐρανοῖς· ἁγιασθήτω τὸ ὄνομά σου· ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου· γενηθήτω τὸ θέλημά σου, ὡς ἐν οὐρανῷ, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς· τὸν ἄρτον ἡμῶν, τὸν ἐπιούσιον δὸς ἡμῖν σήμερον, καὶ ἄφες ἡμῖν τὰ ὀφειλήματα ἡμῶν, ὡς καὶ ἡμεῖς ἀφίεμεν τοῖς ὀφειλέταις ἡμῶν· καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰσπειρασμόν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ τοῦ πονηροῦ· ὅτι σοῦ ἐστιν βασιλεία, καὶ ἡ δύναμις, καὶ ἡ δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

F. Moneta. lib. 1. cap. 8.

Quod Deus omnipotens creauit omnia visibilia & inuisibilia.

CAPVT V.



Erum etiam creatorem diffitentes, Deum omnipotentem esse negant. Duos etenim esse Deos dicunt. Vnum Saluatorem & benignum, in quem se credere confitentur. Alterum, creatorem rerum, & hominum plasmatorem, sed malignum, in quem se credere non fatentur. Dicunt autem, quod Saluator dixit:

Ioan. 8.

dixit: *Ego non sum de hoc mundo*: Et alibi, ad discipulos: *Vos de mundo non estis; ideo odit vos mundus.* Secundum hoc dicunt, quod mundi factor malignus est; & eius factura, maligna. Sed nihil est. In his enim omnibus *mundus*, pro mundi amatoribus ponitur. Ioan. 15.

Sed iterum obiiciunt illud, quod ait Isaias de creatore: *faciens pacem, & creans malum.* Ecce, *creans malum*; audiunt: sed, *faciens pacem*, non intelligunt. Sed omnipotens Deus creasse malum dicitur; non quòd malum sit in creatione; quia in Genesi legitur: *Vidit Deus ea, quæ fecit, & erant valdè bona*, sed imitatione operis & exhibitione. Alibi enim inuenimus: quia *sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret*, pro mundo. Vnde Ioannes ait: *In mundo erat.* Et Dominus alibi ait; *Non venit filius hominis, vt perdat mundum, sed vt saluetur mundus per eum.* Et Paulus Apostolus: *Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi*: Et quod Ioannes subdit: *Mundus per ipsum factus est*; ad situm orbis terrarum pertinet. Iuxta illud; quod Dominus ait in Euangelio; *Euntes in mundum vniuersum, &c.* Quod autem infert: *mundus eum non cognouit*, ad mundi amatores pertinet; de quibus Dominus ait: *Pater iuste, mundus te non cognouit.* Quod autem Dominus omnipotens omnia fecerit, probare possumus per Paulum, qui ait ad Romanos: *Ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Et ad Corinthios in prima Epistola: *Vobis autem vnus Deus pater, ex quo omnia; & vnus Dominus Iesus Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Et ad Ephesios. *Quæ sit dispensatio sacramenti absconditi à seculis in Deo, qui omnia creauit*, Et ad Colossenses: *quia in ipso condita sunt vniuersa in cælis & in terra, visibilia & inuisibilia. Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant.* Et ad Hebræos: *qui autem omnia creauit, Deus est.* Et in Actibus Apostolorum Paulus ait: *Annuntiantes vobis ab his vanis conuerti ad Dominum Deum viuum, qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt.* Et iterum: *Deus, qui fecit hunc mundum, & omnia, quæ in eo sunt. hic cæli & terræ cùm sit Dominus, non in manufactis templis habitat, &c.* Et subdit: *fecitque ex vno, omne genus hominum, habitare super vniuersam faciem terræ.*

Isa. 45. Genes. 1. Ioan. 3. Ioan. 1. Ioan. 3. 2. Corinth. 5. Ioan. 1. Matth. 28. Ioan. 1. Rom. 11. 1. Corinth. 8. Ephes. 3. Coloss. 1. Hebr. 3. Actor. 14. Actor. 17.

Et in Apocalypsi: *Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam & honorem, & virtutem, quia tu creasti omnia.* Et iterum; *adorate eum,* Apocalyp. 4. Apocalyp. 14.

te eum,

te eum, qui fecit cælum & terram, mare & fontes aquarum. Et Sa-
Prouerb. 8. lomon: *quando præparabat cælos, aderam, cũ eo cuncta componens.* Et
Psalm. 23. Dauid: *Domini est terra & plenitudo eius, &c.* Et alibi: *Verbo Do-*
Psalm. 32. *mini cæli firmati sunt.* Et Iesus filius Sirach: *qui manet in æternum,*
Eccle. 18. *creauit omnia simul.* Et Dominus creatorem cæli & terræ vocat
Matth. 11. patrem dicens per Matthæum: *Confiteor tibi pater cæli & terræ, &c.*
Matth. 5. Et iterum: *Dico vobis non iurare omninò: neque per cælum, quia thronus Dei est, &c.* Secundum hoc; cælum, sedes Dei est: *terra, scabellum pedum eius.* Omnipotens autem non indiguit, vt alius ab eo faceret ei *sedem*, aut *scabellum.* Non enim omnipotens es-
Ioan. 1. set, si eo indigeret. Et Ioannes: *In mundo erat, & mundus per i-*
psum factus est, & mundus eum non cognouit. Et iterum: *Omnia*
Ibidem. *per ipsum facta sunt, &c.* Græcus tamen manifestius ait: vbi nos dicimus, *sine ipso*; Græcus non dicit, *ἄνευ αὐτοῦ*, id est, *sine ipso*, sed, *χωρὶς αὐτοῦ*, hoc est, *extra ipsum*: Nihil extra ipsum factum est, id est, extra suæ potestatis terminum.

Quod autem homines [a] fecerit, probamus per Lucam,
Luca. 3. qui ait: *Qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei.* Et secundum
Ephes. 1. hoc, Adam fuit factura Dei. Vnde Paulus ad Ephesios ait: *Ipsius enim sumus factura, creati in Christo Iesu.* Et ad Corinthios
1. Corinth. 11. in 1. Epist. *Vir non debet velare caput suum, quoniam imago & gloria est Dei*: quod satis respondet ei, quod legitur in Genesi: *Faciamus hominem ad* [b] *imaginem & similitudinem nostram.* Et Dauid:

Psal. 94. *Ploremus coram Domino, qui fecit nos.* Et Isaias: *Non est populus sa-*
Isa. 27. *piens; propterea non miserebitur eius, qui fecit eum, & qui formauit*
Isaia. 64. *eum, non parcet ei.* Et idem: *Nunc Domine, pater noster es tu, & fictor noster; nos verò lutum, & opera manuum tuarum omnes nos.* Et Salo-
Prouerb. 14. mon: *Qui calumniatur egentem, exprobrat factorem eius, honorat eum, qui miseretur pauperis.* Et subdit: *Aurem audientem, & ocu-*
Prouerb. 22. *lum videntem Dominus facit vtrumque.* Et idem: *Diues & pauper*
Eccles. 2. *obuiauerunt sibi; vtriusq; operator est Dominus.* Vnde Ecclesiastes:

Quid

a] *Homo tribus modis dicitur; per naturam; vt ibi*: Faciamus hominem ad imaginem, &c. *Per culpam; vt ibi:* Vos autem sicut homines moriemini, *id est, sicut delinquentes: Et Paulus*: Nonne carnales estis, & secundum hominem ambulatis. *Per infirmitatem, vt ibi:* Maledictus homo, qui ponit spem suam in homine, *id est, in infirmitate.* [b] *Obijciunt illud in Genes.* Ecce Adam factus quasi vnus ex nobis, sciens bonum & malum. *Ecce Deus ille sciens malum erat: cum filius dicat in Euangelio de malis. Amen dico vobis, nescio vos. Scire malum dicitur Deus, id est, reprobare, scire bonum, id est, eligere. Vnde Propheta de Christo: Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

Quid est inquam homo, vt sequi posset regem factorem suum? Et idem, *Solummodò hoc inueni, quod fecit Deus hominem rectum; & ipse se infinitis miscuerit quaestionibus.* Et iterum: *Memento creatoris tui in die iuuentutis, antequam veniat tempus afflictionis.* Et in libro Sapientiæ: *quoniam Deus creauit hominem inexterminabilem, & ad imaginem suæ similitudinis fecit illum.* Et subditur: *quoniam pusillum & magnum ipse fecit: & æqualiter cura est illi de omnibus.* Et iterum: *Omnium enim artifex docuit me sapientia.* Et rursus: *Deus patrum nostrorum, & Domine misericordiæ, qui fecisti omnia Verbo tuo, & sapientia tua constituisti hominem, vt dominetur creaturæ tuæ, quæ à te facta est.* Et idem: *Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti? nec enim est alius Deus; quàm tu, cui cura est de omnibus.* Et Iesus filius Sirach: *In omni virtute dilige eum, qui fecit te, & ministros eius, ne derelinquas.* Et idem: *Initium superbiæ hominis apostatare à Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor eius: quoniam initium peccati, est omnis superbia.* Et iterum; *Deus de terra creauit hominem, & secundum imaginem suam fecit illum, & dedit illi potestatem eorum, quæ sunt super terram. Creauit ex ipso adiutorium simile sibi: bona & mala ostendit illis; & addidit illis disciplinam, & legem vitæ hæreditauit illis,* Et Iob: *Manus tuæ plasmauerunt me, & fecerunt me totum incircuitu.* Et hoc idem dicit Dauid: *Manus tuæ fecerunt me.*

Eccles. 7. Eccles. 12. Sapien. 2. Ibidem. Sapien 7. Sapien. 9. Sapien 12. Eccles. 7. Eccles. 10. Eccles. 17. Iob. 10. Psal. 118.

Sed, ne quis putet, Deum fecisse bonos tantum; diabolum verò malos, propter illud: *Vos ex patre diabolo estis*; audite Ecclesiasten, qui ait; *In die bona, fruere bonis, & malam diem præcaue. Sicut enim hanc, sic & illam fecit Deus.* Et Iesus filius Sirach: *Bona & mala, vita & mors, paupertas & honestas à Deo sunt.* Et Eliu ad Iob dixit: *Ecce & me, sicut & te fecit Deus; & de eodem luto, ego quoque formatus sum.*

Ioan 8. Eccles. 7. Eccles. 11. Iob. 33.

Ecce tot exemplis probauimus Deum omnipotentem fecisse homines tam bonos, quàm malos: & in præcedenti Capitulo similiter probatum est. Vbi ostensum; tam bonos, quàm malos debere dicere orationem Dominicam. Si enim diabolus fecisset hominem; Christum factum hominem cognouisset; saltem, quia eum non fecisset. Nunquid non diabolus creatura est, sicut & omnes Angeli? Absit ergò, vt creatura, ab initio sui, sit creator. Si autem diabolus omnem hominem creasset; creaturam eius quis redimere vellet? quis, pro eius creatura mori ve-

niret? Quis creaturam eius in currum igneum, super cælos portaret? quis in creaturam eius Spiritum sanctum mitteret? quis creaturæ eius similis fieri dignaretur? Quis creaturæ eius pedes ablueret? Ac, si creasset fructus terræ, Christus quomodo de creaturis eius manducaret? aut biberet? aut vestiretur?

Si enim omnia creasset diabolus, non dixisset ad Dominum tentans in Luca, & dicens: *Tibi dabo potestatem hanc vniuersam, & gloriam illorum; quia, mihi tradita sunt.* Ecce, dicit ea sibi esse tradita. Patet ergò, quòd non fecit ea; sed, qui tradidit ea, fecit ea. Pater ergò alicuius dicitur esse diabolus, non creatione, vt diximus, sed imitatione: quem enim sequimur, patrem vocare solemus. Iuxta quod ait Propheta ad Iudæos: *Pater tuus Amorrhæus, & mater tua Cethea.* Tamen Amorrhæi & Cethei Iudæi non erant, sed gentes per se. Nunquid (non) Ioannes testatur, Dominum creasse cæcum à natiuitate, vt manifestentur opera Dei in illo? Et secundum hoc cæcitas illius, opus Dei fuit. Dæmones enim nihil creant, neque bonum, neque malum: sed admonitores tantùm mali sunt. Vnde illud: *Omnes dij gentium dæmonia; Dominus autem cælos fecit.* Et iterum: *Dij, qui cælum & terram non fecerunt, pereant è terra.* Deus ergo, qui non perit, fecit cælum & terram & omnia.

Sciendū, quod Voluntas Satanæ semper iniusta: sed aliquando potestas iusta. Nam Voluntas à se ipso: Potestas à Domino. Vnde in lib. Reg. Spiritus Domini malus irruebat in Saul. *Spiritus Domini per licentiā potestatis: Iste malus, per desiderium voluntatis iniusta: Timeri ergò non debet, qui nil, nisi permissus, potest. Luc.4. Ezech.16. Ioan.9. Psa.97.*

Psal.8. Vnde Dauid; *quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum, &c.* *Psal.118.* Et iterum: *Ordinatione tua perseuerat dies, &c.* Quod patet per Ezechiam; qui, dum orauit ad Dominum, qui fecit cælum & terram, & sedet super Cherubim, statim prolongauit *4. Reg. 20.* ei Dominus dies eius; & signum dedit, faciens solem retroire *Isaia 38.* per X. gradus in horologio Achaz. Vnde & Isaias ait: *Isaia. 40.* *qui mensus est pugillo aquas, & cælos palmo ponderauit: qui appendit tribus digitis molem terræ, & librauit in pondere montes, & colles in statera.* *Ibidem.* Et subdit: *Leuate in excelso oculos vestros, & videte, quis creauit hoc.* *Isaia. 42.* Et idem: *Hæc dicit Dominus cælos creans, & extendens eos, firmans terram, & quæ germinant ex ea.* Et iterum: *Ego Dominus, & non est alter, formans lucem, & creans tenebras, faciens pacem & creans malum. Ego Dominus faciens omnia hæc.* *Isaia. 45.* Et rursus; *Hæc dicit Dominus, creans cælos, ipse Deus, formans terram, & faciens eam. Ipse plastes eius: non in vanum creaui eam: sed, vt habitaretur, formaui eam.* Et subdit: *Deus iustus & saluans, non est præter me; in memetipso*

metipso iuraui; Egredietur de ore meo iustitiæ verbum: Mihi curuabitur omne genu: & iurabit omnis lingua. Et Hieremias ait: Qui facit terram in fortitudine sua, præparat orbem in sapientia sua, & prudentia sua extendit cælos. Ad vocem suam dat multitudinem aquarum; in cælum: & eleuat nubes ab extremitatibus terræ; fulgura & pluuiam fecit, & educit ventum de thesauris suis; Et subdit: Nunquid sunt in sculptilibus, qui pluant? aut cæli possunt dare imbres? Et idem: Hæc dicit Dominus, qui dat solem in lumine diei, ordinem lunæ [a] & stellarum in lumine noctis; qui turbat mare, & resonant fluctus eius: Dominus exercituum nomen illi: Quibus & Matthæus non dissentit, qui ait: qui solem suum oriri facit super bonos & malos: & pluit super iustos & iniustos. Et Paulus in Actibus Apostolorum: De cælo dans pluuias, & tempora fructifera, implens orbem. Et Salomon: Dominus sapientiâ fundauit terram; stabiliuit cælos prudentia. Sapientia illius eruperunt abyssi, & nubes rore concrescunt. Et idem: Vniuersa propter se ipsum operatus est Dominus; impium quoque ad Diem malum.

Et subdit: Pondus & statura iudicia Domini sunt, & opera eius omnes lapides seculi. Et sicut diuisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini. Et iterum idem: Quis ascendit in cælum, atque descendit, quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligauit aquas quasi in vestimento? Quis suscitauit omnes terminos terræ? quod nomen eius? & quod nomen filij eius, si nosti: qui diceret; nemo nouit: generationem eius, quis enarrabit? Et Iesus filius Sirach: Vide [b] arcum, & benedic, qui fecit illum. Valdè speciosus est in splendore suo; imperio suo accelerat niuem: & accelerat emittere coruscationes iudicij sui: in magnitudine sua posuit nubes, & facti sunt lapides grandinis. Gelu sicut salem effundit super terram. Frigidus aquilo flauit, & gelauit crystallus ab aqua: In sermone eius composita sunt omnia. Vnde Dauid; Ipse dixit, & facta sunt; ipse mandauit, & creata sunt. Et Iob ait: qui [c] præcipit soli, & non oritur, & stellas claudit, quasi sub signaculo. Qui extendit cælos solus, & graditur super fluctus maris. Qui facit Arcturum & Orionem & Pleiadas, & interiora Austri. Qui fecit ventis pondus, & aquas appendit mensura. Quando ponebat pluuijs legem, & viam procellis sonantibus.

Et quid vltra dicam? Omnia fecit: & sine ipso, nihil. Ipse enim

Hierem. 10.

a] Hæretici autem de luna dicunt; quia pessimũ quid est: cum faciat homines lunaticos: sed nõn ex vitio lunæ fiũt lunatici. Imò dæmones, eos vexantibus temporibus, vt per lunam infament lunæ conditorem: quos imitantur etiam hæretici in hoc.

Matth. 5.

Actor. 14.

Prouerb. 3.

Prouerb. 16.

Prouerb. 30.

Eccles. 43.

b] Arcus est signum duorum iudiciorum. Aqua ne timeatur: ignis, vt exspectetur. Vnde cæruleus color exterior est; quia aqua iudicium præteriuit. Rubeus interior: quia, futurus est ignis.

Psal. 148.

Iob. 9.

c] In Deuter. Ne fortè oculis eleuatis ad cælum videas solem, & lunam, & omnia astra cæli; & errore deceptus adores ea; & colas, quæ creauit Dominus Deus tuus, in ministerium cunctis gentibus.

enim & secula fecit, quasi omnium seculorum hæres. Vnde Paulus ad Hebræos: *Quem instituit hæredem vniuersorum, per quem fecit & secula* Ipse enim & ciuitates fecit sanctas. Vnde Matthæus: *Tunc assumpsit eum diabolus in sanctam ciuitatem.* Et paulò pòst: *Dico vobis, non iurare omninò, &c. Neque per Hierosolymam: quia, ciuitas est magni Regis.* Non autem est aliquis vermiculus in terra, qui à Deo factus non sit. Vnde illud; *Bestiæ, & dentes scorpij, & serpentes, omnia in vindictam creata sunt.* Omnia enim propter hominem creauit, quædam in vsum: quædam in figuram. In vsum, vt pisces, volatilia, & iumenta syluatica, aut domestica. In figuram; vt formicas, muscas, & araneas: Et quædam in vindictam malorum; vt serpentes & reptilia.

Heb. 1. *Matth. 4.* *Matth. 5.* *Eccles. 31.*

Sed obiiciunt illud, quod legitur in Ecclesiaste: *Didici quidem omnia, opera quæ fecit Deus, perseuerant in perpetuum.* Sed Dominus dicit in Euangelio; *Cælum & terra transibunt, verba autem mea non transibunt.* Si ergò transibunt cælum & terra; omnipotens non fecit ea; cùm ea, quæ fecerit, perseuerent in perpetuũ.

Eccles. 3. *Matth. 24.*

Ad quod [a] respondemus sic: quod cælum & terra transibunt; non, desinendo esse, sed immutando, & innouando suum esse, vt testatur Ioannes in Apoc. *Vidi cælum nouum, & terram nouam.* Sicut enim aurum, cùm excoquitur, nouum dicitur: ita cælum & terra igne iudicij combusta & purificata, nouabuntur. Vnde illud; *Et renouabis faciem terræ.* Quod autem dicitur; *sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum;* non reuerâ obscurabuntur diminutione luminis, sed comparatione veræ lucis: cùm Isaias aiat: *Et erit lux lunæ sicut lux solis; & lux solis erit septipliciter sicut lux septem dierum.* Quod autem Ecclesiastes dicit, *Omnia quæ fecit Deus in perpetuum perseuerare;* concedimus. Dominus enim omnia, quæ fecit, præuidit in mente sua, quæ à Græcis νοῦς appellatur: Et ita ab æterno omnia fuerunt in * νοῦ, & antequam fierent: & erunt, postquam interierint. Omnia enim præterita & futura ante Deum sunt præsentia.

a] *Vnde illud:* (*Eccles. 1.*) Generatio vadit, & generatio aduenit, terra verò in æternũ stat.

Apocalyp. 21. *Psalm. 103.* *Matth. 24.* *Isa. 30.* *Eccles. 3.*

* *νῷ, vel νῦ.*

Sed [b] iterum obiiciunt; *quòd omnipotens creauit animas: diabolus autem, corpora immunda.* Sed nesciunt illud, quod in Luca legitur: *Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod de intus est, fecit?* Nunquid (non) pascit corpora, teste Matthæo, qui ait: *Respicite volatilia cæli; quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa.* Et subdit:

b] *Vnde Iob:* Manus tuæ fecerunt me, *ait,* Quantum ad animam: & plasmauerunt me in circuitu; quantum ad corpus.

Luca. 11. *Matth. 6.*

dit: *Si autem fœnum agri, quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quanto magis vos modicæ fidei.* (Ibidem.) Vnde & Dauid: (Psal. 135.) *qui dat escam omni carni, &c.* Et alibi; (Psalm. 145.) *qui dat iumentis omnem escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Si autem pater cælestis dat escam omni carni, & herbas vestit; patet, quod ea, quæ fecit, pascit. Non enim alius facit, & alius nutrit. Ipse etenim terram fœcundat: Vnde ad Hebræos; (Hebr. 6.) *Terra generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accepit benedictionem à Deo.* Scilicet iterum terra benediceretur à Deo, si creatura maligni esset? neque cum terra saliuam suam miscuisset. (Ioan. 9.) Et, si aquam malignus creasset, aquæ lauacrum non doceret dicens: (Ioan. 3.) *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei.*

Quod pueri nondum loquentes baptizari debeant.

(F. Moneta lib. 4. cap. 3. & 4.)

CAPVT VI.



De baptismo autem mentione facta, baptismi Sacramentum exsequimur. Ipsi etenim in eo, quod paruuli receperunt, aberrantes sacramento; & Ioannis baptismum pro nihilo reputantes, aquæ regenerationem & lauacrum paruipendunt Papæ nouum: (Matth. 3.) nuptias prohibent; baptismum remouent; quid super est, ex quo nasci & renasci interdicunt? Legimus tamen in Matthæo; quod filius Dei à Ioanne voluit baptizari, & in aqua, iuxta illud; *Venit Iesus à Galilæa in Iordanē ad Ioannem,* [a] *vt baptizaretur ab eo. Baptizatus autem Iesus confestim ascendit de aqua, & vidit Spiritum Dei.* Intenditis; quia post baptismum Ioannis voluit videre spiritum Dei. Baptismum autem, quem recipit, ausi estis renuere. Vnde Lucas vos innuit esse Pharisæos dicens; (Luca. 7.) *Omnis populus audiens & publicani, iustificarunt Deum, baptizati baptismo Ioannis. Pharisæi autem & legis periti consilium Dei spreuerunt in semetipsis, non baptizati ab eo,* hoc est, à Ioanne. Ecce, quòd Pharisæi estis, consilium Dei, & baptismum Ioannis, negligentes. Vnde & subdit vobis dicens; (Matth. 21.) *Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis.*

a] *Tres sunt caussæ, cur baptizatus est Iesus à Ioanne: Prima, vt baptismum Ioannis approbaret. Secūda, vt humilitatem impleret, & implendam doceret. Tertia, vt tactu sui corporis vim regeneratiuam conferret aquis.*

Non Ioannes autem solus baptizabat in aqua, imò & alij, quod probat Ioannes dicens: [a] *Quanquam Iesus non baptizabat, sed discipuli eius.* Tamen Dominus nos in aqua baptizari monet. Vnde idem Ioannes subdit de Domino & cæco: *Hæc cùm dixisset, exspuit in terram, & fecit lutum ex sputo, & liniuit super oculos eius, & dixit: Vade, laua, in Natatoria Siloe, quod interpretatur, missus.* Quid per *Natatoriam*, nisi aquæ baptismum intelligimus? Per sputum quid, nisi vnctionem chrismatis designamus?

a] *Dist. 1. de cōsecr. Aug.* Cùm tantum valeat baptismus per hominem cōtemptibilem, quantùm per Apostolū datus: ita nec illius esse, sed Christi cognoscitur: *Et subdit*: Alius alio maius, minusue baptizatus dici non potest, siue ab inferiore, siue à maiore baptizetur. *Ioan. 9.*

O literæ adiacentes, litera vos occidit. Quòd autem per aquæ lauacrum salui simus, Petrus dicit: *In diebus Noë, cùm fabricaretur arca, in qua pauci, id est, octo animæ saluæ factæ sunt per aquam, quod & nos nunc similis formæ saluos fecit baptisma.* Similis formæ, id est, aquæ. Et subdit: *Non* [b] *carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum, per resurrectionem Iesu Christi, qui est in dextera Dei patris.* Non ideò enim mergimur in fonte baptismi, vt lauemus carnem, sed spiritum. Sicut enim Elisæus in Spiritu sancto Naaman Syrum curauit à lepra per aquæ intinctionem in Iordane: ita & ab originali peccato purgamur interius, per aquæ baptismum & fidem. Scriptum est enim: *Qui crediderit, & baptizatus* [c] *fuerit, saluus erit.* Vnde & in Actis Apostolorum de Eunucho: *Ecce aqua. Quis prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus; Si credis ex toto corde, licet.* Ecce, quod oportet credere, qui baptismum vult recipere. Sic enim lauabitur à peccato. De qua lotione loquitur Psalmista dicens; *Lauabis me, & super niuem dealbabor.* Et alius dicens in persona Christi: *Cùm sanctificatus fuero in vobis, congregabo vos de vniuersis terris; & effundam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris; & dabo vobis spiritum nouum.* Ecce, quod ab omni inquinamento mundat aqua munda.

Sed notandum, quia primò dicit, *aquam*; postea, *spiritum*. Cui Dominus satis consonat, dicens ad Nicodemum per Ioannem. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei. Ex aqua*, dicit; & *Spiritu sancto*; tanquam Prophetiæ respondens. Qui autem baptismum aquæ reiicit; pœnitentiam abiicit: quia, in baptismo aquæ, pœnitentia intimatur.

1. Pet. 3.

b] *Augu*st. *Vlt. particula.* Verus baptismus constat non tam absolutione corporis, quàm fide cordis; sicut Apostolica tradit doctrina dicens: fide mundans corda eorum.

4. Regum 5.

Matth. 28.

Actor. 8.

c] *Aug. dist. 1. de consec.* Non est aqua profana, vel adultera, super quā nomen Domini inuocatur, quia, nec ipsa creatura; nec ipsum nomen adulterum est.

Psal. 50.

Ezech. 36.

Ioan. 3.

matur. Vnde Matthæus de Ioanne ait: *Fuit Ioannes in deserto baptizans, & prædicans baptismum pœnitentiæ, in remissionem peccatorum.* Ecce etiam, quòd remittuntur peccata, in aquæ lauacro. Vnde & Ioannes ait ad eos, qui veniebant, vt baptizarentur ab eo. *Progenies viperarum, quis demonstrauit vobis fugere à ventura ira?* Secundum hoc autem, per aquæ baptismum à ventura ira nos posse fugere attestatur. Ioannes enim in prima Epistola ait: *Hic est, qui venit per aquam & sanguinem, & spiritum Iesus Christus. Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine: quia tres* [a] *sunt, qui testimonium dant in terra, spiritus, aqua & sanguis, & hi tres vnum sunt* in Christo Iesu. Sed hæretici duo testimonia exstinguunt: sanguinem, in sacrificio; aquam, in baptismo, non credunt. Tertium ergò quomodo haberent? hoc est, Spiritum sanctum; qui in eis non est, quia baptismum non credunt, quem receperunt. Priusquam enim Spiritus sanctus superueniat in aliquem, oportet eum baptizari, aut baptismum credere, sicut legimus in Actis Apost. de Samaritanis. 1.* *Qui, cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu.* Ecce, quod baptizati erant; antequam reciperent Spiritum sanctum: Et etiam Spiritus sancti receptio non sufficit, nisi aquæ lauacrum affuerit, quod, si sufficeret, Petrus in Actibus Apostolorum, non dixisset de Cornelio & sociis: *Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi, qui Spiritum sanctum receperunt, sicut & nos?* Licet enim Spiritum sanctum receperunt, voluit eos in aqua baptizari in remissionem peccatorum: quia, vt diximus, remissio peccatorum fit in aquæ lauacro.

Septem modis enim fit, remissio peccatorum. Primò, per pœnitentiam: vnde ait Apostolus: *Pœnitemini, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.* Secundò, per charitatē teste Apostolo, qui ait: *Charitas operit multitudinem peccatorum.* Tertiò, cùm aliis dimittimus. Vnde Dominus ait: *dimittite, & dimittemini.* 2.* Quartò, per eleemosynam iuxta illud; *sicut aqua exstinguit ignem, ita eleemosyna, &c.* Quintò, per martyrium: sicut Ioannes ait: *hi sunt, qui venerunt ex magna tribulatione.* 3.* Sextò, per

Matth. 3.
1. Ioan. 5.
a] *Hac de causa fit trina demersio in baptismo: vel, vt Augustin. ait: Trina demersio typum dominicæ exprimit sepulturæ: per quam Christo consepulti sumus in baptismo: Et cum Christo resurgimus in fide. Et Ambros. in Catech. Fit trina interrogatio, credis in Deum? Abrenuncias satanæ? Vis baptizari? Similiter trina immersio, in vertice, in scapulis, in pectore.*
1.* *Petrus & Ioannes.*
Actor 8.
Actor. 10.
Actor. 3.
1. Pet. 4.
Luca. 6.
Eccl 3. sensu.
Apoc. 7.

2.* *Quomodo Eleemosyna remittat peccata, vide apud Gregorium de Valentia Tom 3. Comment. Theolog. Disp. 3. q. 9 p. 2.*
3.* *Hoc per se capiendum est de remissione peccatorum venialium, ad quæ in animo non amplius viget affectus. Vide Greg. de Valentia Tom. 4. Disp. 6. q. 7. p.*

Ioan. 6.

Euchariſtiæ perceptionem; domino dicente: *Niſi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis.* Septimò, per Sacramentum baptiſmatis in aqua, vt ſuperius dictum eſt: quotiens enim in ſacra ſcriptura legimus diſcipulos lauiſſe retia; nihil aliud datur intelligi; niſi homines in aqua regenerari.

a] *Volunt facere ſicut Arabes; qui nō circumcidunt vſque ad XII. annum; quia, Iſmael, qui eorū auctor fuit; eo anno circūciſus eſt. Mat. 28.*

Sed iterum [a] obiiciunt illud, quod diximus: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui crediderit*, dixit primò, & poſtea, *baptizatus fuerit.* Primò ergò oportet credere, quàm baptizari: Ergò [b] & puer, qui non credit, nec credendi habet intellectum, baptizari non debet, quouſque rationem habeat. Sicut cæcus à natiuitate; de quo dixerunt parentes ad ſcribas; *Ætatem habet; pro ſe loquatur.* Pro ſe ergò loqui debet, qui vult baptizari.

b] *Auguſt. Nulla, præter baptiſmum ſalus promittitur Infantibus, quia infantes, ſi per ſacramentum, quod ad hoc diuinitus eſt inſtitutum, in credentium numerum non tranſeant, in tenebris manent.*

Geneſ 17.

Proinde dici poteſt; Paruulos ſine baptiſmo decedentes in mitiſſima omnium futuros pœna

c] *Magi. Petr.* Octauo die fiebat (circūciſio) petrino cultro, quia in reſurrectione, quæ erit octaua ætate per petram, id eſt, Chriſtum omnis ab electis abſcindetur corruptio.

Rom. 8.

Lucæ 1.

Hieremi. 1.

Ad quod reſpondemus, quia illud, quod fiebat in patribus per circumciſionem præputij: nunc fit in filiis per vndam baptiſmatis, qui enim tunc dicebat in Geneſi: *Maſculus cuius caro circumciſa non fuerit; exterminabitur de populo ſuo*: Nunc clamat; *Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, &c.* Octauo autem [c] die circumcidebant pueros: ergò octauo die, pro circumciſione poſſunt baptizari. Ne ergò præoccupentur; in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti baptizantur: in quo ab originali peccato ſaltem mundantur. Paulus enim ait: *Quos vocauit, hos & prædeſtinauit.* Si ergò Dominus vocat aliquem, aut prædeſtinat, antequam naſcatur; non eſt mirum, ſi cùm natus fuerit, baptizatur. Lucas enim atteſtatur, quod Ioannes Baptiſta adhuc ex vtero matris ſuæ Spiritu ſancto repletus eſt, Angelo teſte, qui ait: *Erit magnus coram Domino, vinum & ſiceram non bibet; & Spiritu ſancto replebitur adhuc ex vtero matris ſuæ.* Vnde illud: *Priuſquam te formarem ex vtero, noui te, &c.* Et illud idem de Hieremia legimus. Nunquid [non] & Ioannes ex vtero matrem Domini ſalutauit, ſaltem motu, ſi non voce? Vnde Elizabeth: *Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ, &c.* Nunquid [non] & Nicolaus, dum adhuc lactaretur, ſeruabat ieiunia? Vnde illud; *ad papillas cœpit ſumma promereri gaudia.* Nunquid [non] dum Ambroſius adhuc in cunis iaceret, apes in ore eius fecerunt examen?

examen? Ecce, & pueros inspirat Dominus. *Spiritus enim vbi vult, spirat.* Quis ergò prohibet eos baptizari? Ioan. 4.

Similiter & discipuli increpabant Dominum, cum ei offerrentur pueri, vt imponeret manus super eos, sicut legimus in Matthæo, quibus Dominus ait: *Sinite paruulos venire ad me: & nolite eos prohibere, talium est enim regnum cælorum: & cùm imposuisset eis manus; abijt inde.* Si ergò super pueros [a] imposuit manus ipse Dominus; quis non imponeret manus suas ad baptizandum eos? Vnde & Matthæus: *Nisi conuersi fueritis, & efficiamini, sicut paruuli, &c.* Quos autem Matthæus hîc dicit *paruulos*; Marcus dicit *pueros*; Lucas verò *infantes.*

Matth. 19.

a] *Vrbanus Papa in Vr. parte* Manus impositio, & sacramentū baptismatis vtrumque magnum est: Et ita coniuncta sunt hæc duo; vt ab inuicem nisi morte præueniente, nullàtenus possint segregari. Paruulus, quem statuit Dominus in medio discipulorum, vt quidam tradunt, fuit Marcialis Episcopus Lemouicarum. *Marc. 10. Luc. 18.*

Quod autem dicunt de pueris, quia non habent intellectum, quid abest, aut quid obest? Nunquid (non) patrinorum [b] fides pro eis facit sponsionem & fiduciam? sicut & de paralytico legimus. *Et videns Iesus fidem illorum, dixit paralytico: confide fili, remittuntur tibi peccata tua.* Ecce, quod fide aliorum Paralyticus peccatorum remissionem consecutus est. Quare & puer aliorum fide non baptizaretur? Nunquid corui natura estis? Corui enim pullis suis pastum negant, quousque nigrescant, & parentibus similes fiant; similiter & pueris pastum vitæ negare vultis quousque intelligant. Sed Dominus misericors est, & pius, vt columba: qui non solùm coruos, imò, & pullos coruorum pascit, iuxta illud: *qui dat iumentis escam ipsorum, & pullis coruorum inuocantibus eum.* Pullos enim ad pastum duxit; cum pueros adhuc lactentes ab Herode interfectos, tanquam primitias frugum, genitori exhibuit, adhuc infans infantes pro se patri obtulit, tanquam noua Xenia. Qui, in sanguine suo baptizati sunt, tanquam Protomartyres [c] à bimatu & infra, vt testatur scriptura. De quibus in Apocalypsi legitur: *Hi cum mulieribus non sunt coinquinati; Virgines enim sunt:* Et subdit: *Hi empti sunt ex hominibus primitiæ Deo & Agno.* Vnde Dauid: *Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem tuam:* Vnde & Salomon in Parabolis.

b] *Isid. de Offic. Paruuli, alio profitente, baptizantur; sicut ægri, muti & surdi, quorum vice, alius profitetur: quia vt ait sibi.* *Augu.* Fideles vocantur non solùm ipsam rem mente annuendo, sed ipsius rei Sacramentum percipiendo.

Matth. 9.

Psal. 146.

c] *Innocentes quidem martyres dicuntur laxato vocabulo: non, quia testes Christi sunt; sed, quia pro Christo occisi sunt: quem si non loquendo, moriendo confessi sunt; Pro quibus etiam Ecclesia solennizat, licet ad inferos descenderint, sed in eorum festiuitate lætitia cantica subticentur. Ad inferos, hoc est, ad limbum. Apoc. 14. Ibidem. Psalm. 8. Prouerb. 23.*

lis. *Noli subtrahere à puero disciplinam; si enim percutis eum virga, non moritur. Tu, virga percutis eum, & animam eius de inferno liberabis.* Virga enim puero iniungitur; quando fides à patrinis promittitur. Et cum ei dicitur: *Abrenuncia satanæ, & omnibus pompis eius.* Vnde in Canticis Canticorum: *Soror nostra parua est, & vbera non habet. Quid faciemus sorori nostræ in die, quando alloquenda est? si murus est, ædificemus super eum propugnacula argentea.* Ecce, *animam lactantis* vocat *sororem*: quæ, vbera non habet, hoc est, intellectum vtriusque Testamenti, siue vtriusque dilectionis. Huiusmodi autem debemus ad baptismum inuitare: Et per patrinos fidem iniungere, hoc est enim propugnacula super murum ædificare argentea.

Cantic. 8.

Vos autem hæretici, ex illis estis, qui videntes pueros clamantes in templo, & dicentes: *Osanna filio David*; indignati sunt: quibus ait Iesus per Matthæum: *Non legistis? Ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem.* Audistis, quia dixit, *lactentium.* Non solùm enim paruulos, sed & *lactentes* laudem Dei perficere attestatur. Nonne & pueros curabat? Vnde Matth. 17. *Exijt ab eo* [a] *dæmonium, & curatus est puer ex illa hora.* Si ergò pueros curabat; licet pueros baptizari.

Matth. 21. Psalm. 8.

a] Dist. 4. de Consecr. Augu. Paruuli exsufflantur, & exorcizantur, vt pellatur ab eis diaboli potestas inimica. *Idem*; Sal benedictum in os datur; vt sale typico conditus, fœtore careat iniquitatis: nec vermibus peccatorum vltra putrefiat.

Vnde & Petrus in prima Epistola ad infantium imitationem nos inuitat dicens: *Deponentes igitur omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones; sicut modò geniti infantes, rationabile, sine dolo, lac concupiscite, &c.* Vnde Ioannes in prima Epistola, non tantùm adultis se dicit scribere; imò & infantibus, dicens: *Scribo vobis patres; quoniam cognouistis, qui ab initio est. Scribo vobis adolescentes; quoniam vicistis malignum. Scribo vobis infantes: quoniam cognouistis patrem.* Vnde Isaias. *Ecce ego, & pueri, quos mihi dedit Deus.* Si ergò eos dat Deus; recipi debent. Bonum est enim Dei datum. Si autem minus intelligentes sunt, non ideo reiiciendi sunt. Suos enim habent angelos, Domino teste, qui ait: *Angeli eorum semper vident faciem patris.* Qui ergò eos abiicit, & Angelos eorum abiicit. Nunquid (non) & illi, qui summo mane operati sunt in vinea, *denarium* acceperunt? Qui sunt isti, nisi pueri, qui ab vtero se ca-

1. Pet. 2. 1. Ioan. 2. Esaia. 8. Matth. 18. Matth. 20.


re castigant, benè viuentes, sicut de quibusdam prædiximus. Vnde & *de propè* venire dicuntur quidam, vt pueri; quidam autem *de longè*, vt senes; qui in extremis diebus suis Deo se reconciliant. Vocauit autem Dominus Hieremiam, vt puerum; *qui dixit ad Dominum: a, a, a, Domine Deus; ecce, nescio loqui, quia puer sum. Cui Dominus ait; Noli dicere, puer sum: quoniam ad omnia, ad quæ mittam te, ibis.* Per hoc autem nobis innuitur, quod & paruulos vocare debemus ad fidem per baptismum.

Sed opponunt: cùm puer non possit saluari sine baptismo, quare Iob ait? quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero, non statim perij? *se esse abortiuum optauit. Et subdit:* Nunc enim dormiens silerem, & somno meo requiescerem. *Sol. Quatuor peccandi genera insinuat, dicens,* quare non in vulua, &c. *in corde suggestionem notat:* Egressus ex vtero, *delectationem:* Exceptus genibus; *consensum:* lactatus vberibus; *defensionem.*

Quod licitum sit nubere, & à Deo datum.

F. Monetæ fusissimè lib. 4.

CAPVT VII.



Vt autem omnia aboleant, non solùm autem vetera, imò & noua; Veteris, nouæque legis recalcitrant sacramentis. Nuptias interdicunt; & cùm aliis sacrosanctæ Ecclesiæ mysteriis nuptiale damnant Sacramentum; humani generis hostes, qui humanum genus nituntur abolere. Cùm Dominus dixerit in Genesi; *Crescite* [a] *& multiplicamini.* Nihil autē Christus redemisset; nisi Christo filios & filias generasset Ecclesia. Si eorum valuisset inuidia, ipsi etiam nihil essent. Vnde Iesus filius Sirach: *honora patrem tuum, & gemitus matris tuæ, ne obliuiscaris; memento; quoniam nisi per illos non fuisses.* [*b*] Qui ergò nubere prohibet, & hominem nasci prohibet, qui autem nasci prohibet, prohibet & renasci: sed renasci, est bonum; ergò nasci & nubere bona sunt.

a] *Caus. XII. quæ. 1. Hieron.* Laicis concessum est vxorē ducere, terram colere, inter virum & virum iudicare; causas agere, oblationes super altaria dare: decimas reddere; & ita saluari poterunt. *Eccles. 7.*

b] *Vnde sic in Deut. legimus: heretici debēt discalciari, & expui in faciem; & domus illorum domus discalceatorum debet appellari.*

Sed obiiciunt illud; quod Matthæus dicit: *Qui viderit mulierem, ad concupiscendum eam, &c.* Si ergò videre mulierem, est mœchari; ergò & tangere eam, grauius est. Ipsi autem in hoc decipiuntur, quia verba non notant. Dixit enim; *qui viderit mulierem ad concupiscendum*; non, ad concupiscendum filios, aut filias. Non enim mœchari dicitur, qui causa generandi, legitimam viderit mulierem.

Matth. 5.

1. Cor.7. Sed iterum obiiciunt illud, quod ad Corinthios legitur. *Reliquum est, vt qui habent vxores, tanquam non habentes sint.* Dicunt enim hoc, quia putant omnem concubitum esse immundum, * sicut tactum omnem à tactione sic dici. Sed falsum est. Hoc autem dixit Paulus propter quosdam, qui de omnibus, quæ faciunt, coram hominibus gloriantur. Alioquin enim illud, quod sequitur, nihil esset dictu. Subdit enim: *Et qui flent, tanquam non flentes sint: & qui gaudent, tanquam non gaudentes.* Vnde, sic est intelligendum. Qui gaudet in sanctitate sua, coram hominibus non gaudeat: qui flet in pœnitentia, in abscondito fleat. Qui habet vxorem, tanquam in abscondito habeat, non luxurians coram hominibus, vt quidam delectantes in iocis, lasciuis in amplexibus, in basiis, in tactibus: Sed, cum quadam castitate generet filios ex ea, non luxuriando in vanum, hoc est enim habere vxorem, tanquam non habere: sic flere, tanquam non flere. Vnde ad Corinthios ait; *Vxori* [a] *vir debitum reddat; similiter autem & vxor, viro.* Viri enim debitum est, generare: Vxoris autem, concipere, aut parere: vtriusque autem, gignere. Vnde quidam; *Vir generat, mulierque parit: sed gignit vterque.* Quod autem dicit Paulus; *Tribulationem tamen carnis habebunt huiusmodi*: Si tribuletur caro, non tribuletur spiritus. Caro enim sæpe tribulatur; fame, siti, morbo, frigore, aut calore: ab illis tamen spiritus non immutatur. Similiter, si quis generat filios carnis immutatione, non immutetur spiritus in generationis delectatione. Tunc enim spiritus immutatur; quando non caussa generandi, sed gratia delectandi coitus excitatur. De quo coitu Apostolus paulò ante locutus erat dicens: *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu,* [b] *ad tempus, vt vacetis orationi. Ex consensu,* dixit; &, *ad tempus.*

Opponit autem illud; quod dicit Paulus ad Corinthios: *Nam cæteris ego dico, non Dominus.* Non ergò à Domino est illud, quod dicit. Quod falsum est: licet enim Dominus non dicat, tamen à Domino; non enim contra Dominum est. Vnde scriptum est: *Qui aduersum vos non est, pro vobis est.* Si ergò aduersus Dominum non est, illud, quod supererogat Paulus, pro Domino est. Dominus enim ait; *quodcunque supererogaueris, ego, cùm*

** Locus mendosus & corruptus.*

Ibidem.

a] *In Gen. legimus, quod Iudas ad Onan filium suũ ait; Perge ad vxorem fratris tui Her, vt suscites semen illius. Ille sciens, non sibi nasci filios, intrans ad vxorem fratris, semen fundebat in terram; ne liberi fratris nomine nascerentur: & ideo, percussit eum Dominus, quod rem detestabilem faceret.*

b] *Vnde in ingressu Arcæ dictum est,* Ingredieris Arcam, tu, vxor tua, & vxores filiorum tuorum. *Ecce disiunctũ, quia tempore afflictionis, vacandum est ab amplexu mulieris. In egressu autem dictum est: Egredere de Arca, tu & vxor tua. Ecce coniunctum; quasi diceret; Nunc redit tempus amplexandi:* Crescite & multiplicamini: *Et ideo dicit, ad tempus.* *Luc.9. Luc.10.*

tùm rediero, reddam tibi. In multis autem inuenimus Paulum supererogasse; vt dictum est quarto capite.

Similiter adhuc obiiciunt illud; quod subdit Paulus; *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est*: quia sic intelligunt: qui habet vxorē, non cogitat, nisi de mundanis, & de vxore; & diuisus est à Deo. Sed ideò sunt hæretici, vt malè intelligant. Nos autem duplicem vitam in hoc assignamus, actiuam scilicet, & contemplatiuam. De contemplatiua dicit; *Qui sine vxore est, solicitus est, quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo*; quod fecit Daniel, Ioannes & Maria: quos non *diuisos* dicit esse: De actiua aūt dicit: *qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori*, sicut erant Noë, Iob & Martha. Non autem dicit; solicitus est solummodò, quæ sunt mundi, pauperibus subueniendo, & mundana erogando. Sed *diuisus est*, hoc est, partim mundanis inhians, vt pauperibus subueniat, partim Deo, vt per erogantiam mundanorum, lucretur cælestia. Et meritò actiua vita in *mundi* nomine intelligitur: quia, cum mundo incipit; & cum mundo finitur. Contemplatiua autem, licet cum mundo inchoet, cum mundo non finitur. Vnde & de Ioanne legitur: *Sic eum volo manere, donec veniam.* Sanctior verò est contemplatiua vita, quàm actiua; Vnde idem subdit de volentibus nubere: *beatior tamen erit, si sic permanserit, secundum meum consilium.*

1. Cor. 7.

Ibidem.

Ibidem.

1. Corinth. 7.

Sed quia hucusque satis respondimus, ad propositum redeamus. Primò probantes, quod licitum sit, nubere, & filios procreare. Nunquid non, Matthæo attestante, & Angelo approbante, mater Iesu fuit Ioseph desponsata? Nonne illa desponsatio bona, vtilis & necessaria? & ab Angelo approbata; qui ait: *Ioseph fili Dauid, noli timere, accipere* MARIAM *coniugem tuam*; dixit, *coniugem.* Notate verba, signate mysteria. Et paulò post ait: *Exsurgens autem Ioseph, fecit, sicut præcepit Angelus Domini, & accepit coniugem suam.* Angelico præcepto resultare non debemus. Nunquid non & Dominus Apostolos suos docens, dixit per Lucam? *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, &c.* Ecce, Dominus non prohibet eos venire ad nuptias; sed, discūbere in primo loco prohibet, quod si de nuptiis Agni dixisset; non in primo loco Apostolos sedere prohiberet, Non enim honoratiores, quàm

Matth. 1.

Ibidem.

Luc. 14.

Aposto-

Apostoli ad illas nuptias sunt venturi. Ergò de nuptiis corporalibus dixit: quæ, si essent illicitæ, nec ad eas venire, nec in eis discumbere Apostolos, mandasset: Neque, vt legimus, nuptias in Cana Galileæ factas, primitiis suorum miraculorum consecrasset; aquam in vinum faciens, futuri signaculum sacramenti præfigurans, quod fit ex aqua & vino.

Matt. 2.

Ipsi autem hæretici nubere [a] prohibent; sub obtentu vanæ religionis, quasi dicerent; *non mœchamur, neque mœchari volumus.* Sed, si quis intueatur altius; & mœchantur, & mœchari faciunt. Animam enim fidelem, quæ Dei sponsa est, ad infidelitatem perducentes, vt creatorem suum non agnoscat, alterius sponsam faciunt, & cum mœcho eam mœchari faciunt: quod Paulus non faciebat dicens: *Despondi enim vos vni viro, &c.* Vel, mœchantur, sicut Dominus ait per Matthæum; *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui dimiserit vxorem, excepta fornicationis causa, facit eam mœchari: & qui dimissam duxerit, mœchatur.* Vel etiam tertio modo possunt mœchari per auaritiam; quia, auari sunt. Est enim auaritia idolorum seruitus, id est, nummorum. Colunt enim nummos, & seruiunt nummis magis, quàm Deo. Non enim sunt sicut Horatius, qui ait; *Et mihi res, non me rebus * submittere conor:* Aut sicut Cato, qui ait: *Dilige denarium, sed parcè dilige formam.* Ipsi autem colunt formam metalli: & ita mœchantur cum metallo. Vnde Hieremias loquens ad Idololatras ait: *Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: tamen reuertere ad me dicit Dominus: & ego suscipiam te.* Et subdit: *Contaminauit terram, & mœchata est cum lapide, & cum ligno.* Sed hæretici, non cum lapide aut cum ligno, imò cum argento fornicantur: nescientes fornicationem nisi in mulierem.

a] *Isid. Etym. Tribus de causis ducitur vxor: Primò, causa prolis; de qua legitur in Gen.* Benedixit eos Deus dicens; crescite & multiplicamini. *Secundò causa adiutorij, vt in Genes. Non est bonum esse hominem solum; faciamus ei adiutorium. Tertiò causa incontinentiæ. Vnde Apo.* qui se nō continet, nubat.

1 Corinth. 7.

Matth. 19

* *M. S.* Sub. iungere.

Hier. 3.

Quod autem bonum, & licitum sit, nubere; &, quod concubitus legaliter nubentium, non sit fornicarius, testatur Paulus ad Corinthios in prima Epistola dicens: *Bonum est homini mulierem non tangere: propter fornicationem autem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaque, suum virum habeat. Vxori vir debitum reddat: similiter autem & vxor viro.* Et subdit: *Mulier potestatem corporis sui non habet; sed, vir. Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier.* Item: *Dico autem non nuptis & viduis; Bonum est illis, si sic permaneant, sicut ego: quod si se* [b] *non continent,*

1. Corinth. 7.

Ibidem.

b] *Caus. XII. q. 1. Gregorius:* Si qui verò sūt Clerici extra sacros Ordines constituti, qui se non possunt continere, sortiri vxores possunt.

continent, nubant. Melius est enim nubere, quàm vri. His autem, qui matrimonio iuncti sunt præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit; manere innuptam; aut, viro suo reconciliari: & vir vxorem non dimittat. Ecce vxores dimitti prohibet Paulus. Vnde & Dominus ad hæreticos, de dimittendi vxores licentiã perscrutantes, reprehendit per Matthæum: *Non legistis, quia, qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos.* Sed notandum; vbi Matthæus dicit, *qui*; Marcus dicit, Deus. Et subdit; *Propter hoc dimittet homo patrem &* [a] *matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro.* Ecce, quod de nuptiis agni, qui spiritales sunt, non potest intelligi, sed de carnalibus: dicit enim: *Erunt duo, in carne vna.* Et subdit: *Quod ergò Deus coniunxit, homo non separet.* O [*b*] prophani; sacramentum hoc ausi estis profanare, quod ex duobus vnum facit: rumpere Dei vinculum ausi estis: soluere corrigiam calceamenti vultis: cuius rei se indignum Ioannes affirmabat. Sed, quia duri cordis estis: illud, quod sequitur, vobis dicitur: *Moyses ad duritiam cordis vestri permisit vobis dimittere vxores vestras; ab initio autem non fuit sic.* Melius autem intellexit Ecclesiastes, quàm vos, cùm dixit: *Melius est duos simul esse, quàm vnum. Si vnus ceciderit, ab altero fulcietur. Væ soli; quoniam cùm ceciderit, non habet subleuantem.* De hac autem subleuatione loquitur ad Corinthios in prima Epistola, dicens: *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo; non dimittat eam. Et, si qua mulier habet virum infidelem; & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem; & sanctificata est mulier infidelis, per virum fidelem, aliòqui filij vestri immundi essent. Nunc autem sunt sancti.* Et subdit. *Sicut in omnibus Ecclesiis doceo*

Matth. 19.

a] *Hoc sic intelligendum; quantum ad literam, id est, effectum unum magis dirigat homo ad procreationem filiorum, quam ad curam parentum.*

Ibidem.

b] *In Genesi, cùm Hemor filius Sichē dormisset cum Dina Iacob filia; ibidem legitur,* & anima illius conglutinata est cum ea.

Eccles. 4.

1. Corinth. 7.

Ecce, quòd si alter eorum ceciderit, ab altero fulcitur. Vnde & Iesus filius Sirach: *Noli discedere à muliere sensata & bona, quam sortitus es. Trade filiam tuam, & grande opus feceris, & homini sensato da illam. Mulier si est tibi secundum animam tuam, non proijcies illam. Mulieris bonæ beatus est vir: pars bona, mulier bona: In parte bona timentium Deum dabitur viro pro factis bonis. Gratia mulieris sedulæ delectabit virum suum, & ossa illius impinguabit. Donum Dei est mulier sensata & tacita. Amicus & sodalis in tempore conueniunt; sed super vtrosque mulier cum viro.* Vnde & idem alibi

Eccles. 7.

Ibidem.

Eccles. 26.

Ibidem.

Eccles. 40.

Eccles. 25.

N ait:

ait: *In tribus est beneplacitum spiritui meo; quæ sunt probata coram Deo & hominibus; concordia fratrum, amor proximorum, vir cum muliere benè sibi consentientes.* Quod autem dicit; *Trade filiam tuam, homini sensato da illam;* illud idem monet Paul. ad Corinth. dicens; *De virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do tanquam misericordiam consecutus à Domino, vt sim fidelis. Existimo enim hoc bonum esse propter instantem necessitatem: quoniam bonum est homini, sic esse. Alligatus es vxori, noli quærere solutionem. Solutus es ab vxore, noli quærere vxorem. Si autem acceperis vxorem, non peccasti Et; si nupserit virgo, non peccauit.* Et subdit: *Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta, & ita oportet fieri; quod vult, faciat; non peccat, si nubat. Igitur, & qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit; &, qui non iungit, melius facit.* [a] *Mulier autem alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit; quod si dormierit vir eius, liberata est à lege viri, cui vult, nubat; tantùm in Domino. In Domino* enim non nubit, qui causa generandi non nubit. *Beatior tamen erit, si sic permanserit, secundum meum consilium: puto autem quod & ego spiritum Dei habeam.*

1. Corinth. 7.

Ibidem.

a] *Vnde in Genes. Dominus ad mulierem:* Sub viri potestate eris: & ipse dominabitur tui.

Et ad Romanos de eodem loquens ait: *Nam, quæ sub viro mulier est, viuente viro, alligata est legi* [b] *Si autem mortuus fuerit vir eius; liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Et ad Corinthios ait in prima Epistola. *Volo autem vos scire, quòd omnis viri caput Christus est: caput autem mulieris, vir: caput verò Christi Deus.* Hoc autem dictum est de nubentibus, non nubentibus enim caput Christus est. Vnde subdit: *Mulier autem gloria est viri non est enim vir ex muliere; sed mulier, ex viro. Etenim non est creatus vir propter mulierem; sed mulier, propter virum. Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Domino. Nam sicut mulier de viro, ita vir de muliere: omnia autem ex Deo.* Et de eodem ad Ephesios: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino; quia vir caput mulieris: sicut Christus caput est Ecclesiæ.* Et subdit: *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam.*

Rom. 7.

b] Si autem mortuus fuerit vir, soluta est à lege viri: igitur viuente viro, vocabitur adultera; si fuerit cum altero viro.

1. Corin. 11.

Ibidem.

Ephes. 5.

Sed super hoc obiiciunt: *quia Christus non habet rem cum Ecclesia, neque vir cum vxore, rem debet habere.* Nihil autem (hoc) est, stultè enim obiiciunt, vt stulti. Ecclesia enim parit filios Christo spiritaliter: at mulier parere debet carnaliter, vt ex carnali partu procedat spiritalis.

Et ite-

Et iterum subiungit dicens: *Ita* [a] *viri debent diligere vxores suas, vt corpora sua*: quia, qui suam vxorem diligit; seipsum diligit. Vnde illud ad Corinthios: *Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus est: qui autem fornicatur*, id est, ad alteram mulierem accedit, quàm suam, *in corpus suum peccat*, hoc est, in mulierem suam, quæ est cum eo corpus vnum, & caro vna, vt diximus. Vnde ad Ephesios ait super Genesin, *propter hoc relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ: & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico, in Christo, & in Ecclesia.* Veruntamen & vos singuli vnusquisque suam vxorem, sicut seipsum diligat. Vxor autem, vt (se) diligat virum.

Sed quia de nuptiis sufficienter diximus; reliquum est, vt de generatione filiorum aliquid dicamus: eam esse licitam disputantes, & ab auctoribus approbatam. Vnde Paulus ad Timotheum in prima Epistola: *Adam primus formatus est; deinde Eua: Et Adam non est seductus; mulier autem seducta in præuaricatione fuit: saluabitur autem per filiorum generationem; si permanserit in fide.* Ecce, [b] quòd generatio filiorum matrem saluat, si fuerit fidelis, sancta & sobria. Et paulò post ait: *Volo ergò iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias esse.* Secundùm hoc autem generatio filiorum bona est. Et ad Titum alibi: *Iubeo adolescentulas, vt viros suos ament, filios diligant, prudentes, castas, sobrias*: Ecce, & cum castitate filios possumus procreare. Cùm autem de Vetulis loqueretur; *vt viros amarent, aut filios diligerent*, non dixit; cum frigidæ sint, & steriles, & emortuæ. Vnde & ad Romanos legimus de Sodomitico vitio; *Nam* [c] *feminæ eorum immutarunt naturalem vsum, in eum vsum, qui est contra naturam.* Patet ergò quod copula viri cum muliere naturalis (est) & habet, esse, ex natura. Quid est autem natura nasci faciens? sed eis relinquo, qui in omnibus hærent; quare & hæretici appellantur. Et de eodem subdit: *Quare tradidit eos Deus in reprobum sensum, vt faciant ea, quæ non conueniunt.* Per hoc enim innuit; quod naturalis vsus conueniens sit. Vnde & Hieremias ait: *Accipite vxores, generate filios & filias, date filiis vestris vxores, & filias vestras date viris; & pariant filios & filias; & multiplicamini ibi.* Vnde Salomon

Ibidem.

a] *Caus. XXX. II. Hieron.* In aliena vxore amor turpis: in sua, nimius. Sapiens iudicio debet amare coniugem, non affectu. Nihil est fœdius, quam vxorem amare, quasi adulteram. Ergo quidem honesta est amoris, sed magnitudo deformis.

Ibid. Eph. 5. Genes. 2. 1. Timoth. 1.

b] *Caus. XXX. II. q. 4. Hier.* Liberorũ procreatio in matrimonio laudatur Meretricia voluptas etiam in vxore damnatur.

Ibidem. Tit. 2. Rom. 1.

c] *Caus. XXX. II. Ambro.* Melius est secundũ naturam coire quã contra naturam delinquere. Vnde in lib. Iud. senex, cũ quo hospitatus est Leuita, ait ad Beniamitas: Habeo filiam virginem & hic homo habet concubinam: Educam eas ad vos, vt humilietis eas: tantum obsecro, ne scelus hoc contra naturam operemini in virum. *Ibid. Rom. 1. Hier. 29.*



Prouerb. 12. lomon in parabolis: *Mulier diligens corona est viro suo*: Et subdit:
Corona senum filij filiorum; & gloria filiorum patres eorum. Nun-
quid autem Dominus ad discipulos interrogantes de cæco à na-
Ioan. 9. tiuitate, per Ioannem ait? *Neque hic peccauit, neque parentes eius.*
Ecce, licet, quòd cæcus nasceretur, nascendo non peccauit.

Plures autem nati sunt & concepti Angelico monitu: quod
quidem Angeli non monerent, si (parere) peccatum esset. Vn-
Luca. 2. de Lucas: *Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino*
Isaia. 45. *vocabitur.* Et Isaias ait: *Væ, qui dicit patri, quid generas, & mulieri,*
quid parturis? Et subdit: *Vtinam attendisses mandata mea; & fuisset*
Isaia. 66. *sicut arena semen tuũ, & stirps vteri tui, sicut lapilli eius.* Et idem ite-
rum: *Nunquid ego, qui alios parere facio, non pariam, dicit Dominus?*
Luca. 1. *Qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero?* Ipse autem Dominus
Genes. 18. steriles parere monuit per Angelum, sicut legimus de Elizabeth,
Rom 4. & Sara. Vnde Paulus ad Romanos ait de Abraham: *nec conside-*
rauit corpus suum emortuum, cum ferè centum esset annorum: & emor-
tuam vuluam Saræ, in repromißione autem Dei, non hæsitauit diffiden-
tia, sed confortatus est fide dans gloriam Deo; plenißimè sciens, quia,
quodcunque promisit, potens est & facere; & ideo reputatum est illi
ad iustitiam. Et Petrus in prima Epistola de Sara loquens ait:
Sic enim aliquando & sanctæ mulieres sperantes in Deo, ornabant se,
subiectæ proprijs viris: sicut Sara obediebat Abrahæ Dominum eum vo-
cans. Cuius estote filiæ benefacientes, & non timentes vllam perturba-
1. Pet. 3. *tionem.* Et ad Romanos de Rebecca legimus: *Non solùm autem il-*
Rom 9. *la; sed & Rebecca ex vno concubitu habens, Isaac patris nostri. Cùm*
autem nondum nati fuissent, aut aliquid egissent boni, vel mali, vt se-
cundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex
vocante dictum est ei; maior seruiet minori. Ecce, quod huius tria
exempla optima sunt: in 2. & 3. & 5. Capitulo, & in præsenti, si
quis benè notet verba.

Vnde in Gene. Putasne sexe-nario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Emortua erat verè. Vnde in Genes. desierant Saræ fieri muliebria, id est, menstrua.

Ephes. 6. Si autem generatio filiorum vtilis non esset; nequaquam
Paulus ad Ephesios dixisset; *Filij obedite parentibus vestris in Do-*
mino: hoc enim iustum est. Et subdit: *Honora patrem tuum, & ma-*
trem tuam: quod est mandatum primum in promißione, vt benè sit tibi,
Ibidem. *& longæuus sis super terram.* Et; *Patres nolite ad iracundiam pro-*
1. Timoth. 5. *uocare filios vestros.* Et in 1. ad Tim. *Si qua autem vidua filios aut*
nepotes habet: discat primùm domum suam regere, & mutuam vicem
reddere parentibus, hoc enim acceptum est coram Deo. Et postea lau-
dat vi-



dat viduam LX. annorum, quæ fuerit vnius viri vxor, in operibus bonis testimonium habens; *Si filios educauit.* Et in Actibus Apostolorum Paulus ait in Tyro: *Inuentis autem discipulis, mansimus ibi diebus septem:* (qui Paulo dicebant per spiritum, ne ascenderet Hierosolymam:) *Et expletis diebus, profecti fuimus, deducentibus nos omnibus cum vxoribus & filiis vsq; foras ciuitatem, &c.* Ecce discipulos dicit habere vxores, & filios; non dicit; *credentes,* sed, *discipulos.* Quid enim esset, nisi generatio filiorum fuisset? Audiamus Paulum alloquentem Romanos, sicut prædixit Isaias. *Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, sicut Sodoma facti essemus, & sicut Gomorrha similes essemus.*

Actor. 21. *Rom. 9.* *Isaia. 1.*

Quod autem generatio peccatum non sit, ostendit Iob dicens: *Si deceptum est cor meum super muliere; & si ad ostium amici mei insidiatus sum: scortum sit alterius vxor mea, & super illam incuruentur alij.* Ecce, se negat esse deceptum super muliere; tamen filios habebat & filias tres. Patet ergò, quod vxoris concubitus legalis est, & non decipit cor hominis. Si autem opinio vestra crederetur, falsum esset illud, quod legitur in Ecclesiaste: *generatio præterit, & generatio aduenit, terra verò in æternum stat.* Credamus igitur Iesu filio Sirach, qui ait; *Perfruere vita cum vxore, quam diligis cunctis diebus vitæ tuæ.*

Iob. 31. *Ecclesi. 1.* *Eccles. 9.*

De hostia sacrificij; quod sit ipsum corpus Dominicum.

F. Moneta li. 4.

CAPVT VIII.



SACRÆ quidem Cœnæ mysteria nescientes, panis benedictionem à Deo nobis collatam floccipendunt. Dixit enim; *Hoc facite in meam commemorationem.* Et quod Christus [a] corpus suum esse dixit; tanquam Iudæ successores, corpus Christi non affirmant, imò negant. O alterius corporis membra. Recolite Matthæum dicentem, *Cœnantibus autem eis, accepit Iesus panem, & benedixit, ac fregit, deditque discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite; Hoc est corpus meum. Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens; Bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus, &c.* Ecce, quod

Luca. 22.

a] *Dist. 1. Alex. Papa:* Nihil in sacrificiis maius esse potest, quam corpus & sanguis Christi: nec vlla oblatio hac potior est.

Matth. 26.

Lucæ 22. quod panem, non ante benedictionem; sed, postquam benedixit, corpus suum esse dixit: Vinum verò, sanguinem. Et Lucas de eodem loquens ait; *Accepto pane, gratias egit, & fregit, & dedit eis dicens: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Ecce, quod semetipsum dedit ad manducandum, vt hostiam veram: Et sic facere nos admonuit.

a] *Opponunt illud Mal.* Offertis super altare meum panem pollutũ. *Sol. Non dicit pollutum in se; sed pollutum in offerente.*

Psalm. 109.

Quare ergò sic facientes redarguitis? & cum sic fecisse renuitis? In hoc enim Missam celebrauit, tanquam verus sacerdos secundum ordinem Melchisedech. Quid est enim Missa, nisi sacrificium panis & vini? Si enim sciretis quid est Missa, eum etiam Missam celebrasse, sciretis. Sed neque hoc, neque illud nouistis. Cæci enim estis in scripturis. De quibus scriptum est: si cæcus cæcum ducat; nonne ambo in foueam cadunt? *Fodistis enim vobis foueam, non vineam,* quia & Paulus ad Corinthios de eodem loquens ait: *Quoniam Dominus Iesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite, & manducate, hoc est corpus [b] meum. &c. Similiter & calicem postquam cœnauit dicens: hic calix noui testamenti, &c. quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat.* Panem hunc dixit, ostendens panem, non manum pectori apponens, sicut vos [c] mentimini. Et subdit: *Qui enim manducat & bibit [d] indigne: iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Ecce, quòd panem, corpus Domini appellauit. Adhuc hæsitatis filij alieni.

1. Cor. 11.

b] *Hilar.* Corpus Christi, quod sumitur, & figura est in specie, & veritas in substantia.

c] *Dicũt enim; quod corpus suum & pect⁹ ostendebat, cũ diceret panem hunc.*

d] *Cẽturio ait: Domine non sum dignus, vt intres sub tectũ meum: Zachæus autem suscepit eũ gaudens: vterq; tamen peccator. Et ideò, quotidie Eucharistiã recipere nec vitupero nec laudo. Manna enim secundum voluntatẽ cuique sapiebat in ore.*

Super prædicta autem sic possumus argumentari: Dominus enim accepit panem: panem autem, quem accepit, benedixit ac fregit: de pane autem benedicto & fracto dixit: qui panem hunc manducat, mortem Domini annunciat. Non enim ioculator est Dominus, vt panem teneat, & alium panem demõstret, dicens; hoc est, corpus meum. Si quis autem de [e] communi pane comedat, non oportet hominem se ipsum probare; neque iudicium sibi manducat.

Sed obiiciunt increduli dicentes; quia, *verba sancta,* dicunt *esse panem*: quia cibus animæ sunt verba Euangelica, iuxta illud; *Verba, quæ ego loquor: spiritus sunt, & vita*: Et qui huiusmodi verba au-

e] *In lib. Reg. Sacerdos Abimelech, antequam daret panes propositionis, interrogauit Dauid, Vtrum pueri mundi essent à muliere, non vtique aliena; sed, à coniuge. Et, nisi audisset ab heri & nudius terti⁹ vacasse; panes nõ concessisset. Multò magis ergò de corpore Christi oportet fieri.*

ba audit, aut docet indignè: iudicium sibi manducat, & bibit.

Quod, nihil est: nesciunt enim, quid balbutiunt. De pane enim dixit; *accepit, benedixit, ac fregit.* Verba autem non franguntur, aut benedicuntur, aut in manibus accipiuntur. De pane autem, quem tenebat, & benedicebat, dixit: *hoc est corpus meum.* Verba autem Euangelica, quæ scribuntur, aut leguntur, corpus Christi non sunt.

Si autem dixerint, quod manducare panem illum, aut bibere sanguinem, nil aliud est, quàm eius verbum audire; absit. Non enim in aures, sed in ora *bucellam* dabat. Vnde, & post buccellam panis intrauit Satanas in cor Iudæ. Vnde credendum est, in fide Catholica, quod ille idem panis, quem comederunt Apostoli, crucifixus est à Iudæis in cruce. Et, ille idem sanguis, quem biberunt, effusus est à [a] latere eius. De pane enim, quē comederunt, dixit: hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; De calice autem ait, quem biberunt; *hic est sanguis meus, qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum.* Et ille idem panis & sanguis quotidie comeditur & bibitur in Ecclesia; quæ est domus orationis super altare. Credere autem est satis. Non est nostræ facultatis soluere corrigiam. *Hæc enim est dispensatio sacramenti absconditi à seculis*, de qua loquitur Paulus ad Ephesios: sicut enim Iudæi videbant hominem, non, Deum in homine; ita & infideles panem vident, nec diuinitatem in pane considerant. De quo pane Salomon futuri præscius ait; *Venite, comedite panem meum, & bibite vinum, quod miscui vobis.* Ipsi autem famelici, huiusmodi cibo & potu non vtuntur. Non enim intelligunt Paulum, qui ait ad Corinthios. *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Non [b] dicit de verbis: Verba enim non benedicimus, neque frangimus. Vos enim dicitis, panem illum, & sanguinem esse *verba*: quibus obuiat Dominus per Ioannem dicens: *Panis, quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Et iterum: *Nisi manducaueritis carnem filij hominis, &c.* Ecce, dicit, quòd panis caro sua; & vinum, sanguis suus, (sit.) Panis tamen non est sanguis; neque sanguis, est panis. Si autem panis & sanguis, verba essent; quis distingueret inter panem, & sanguinem? Vnde enim & idem verbum cibus & potus est animæ: Panis autem solummodò cibus est: sanguis

a] *Quare à latere? quia, Vnde culpa; inde gratia. Culpa per fæminam; gratia per Christum. Femina de latere Viri dormientis: sanguis de latere Christi pēdentis.*

Ephes. 3.

Prouerb. 9.

1. Corinth 10.

b] *Aug. Manducetur Christus: viuit mãducatus: quia surrexit occisus.*

Ioan. 6.

sanguis verò solùm potus? Non igitur de verbis intelligendum est. Si quis enim scripturas reuoluat, non inueniet, quod verba scripta, aut ab ore prolata, sint caro & sanguis. Dominus tamen ait; *Caro mea* [a] *verè est cibus, &c.* Verba enim sancta, spiritus sunt & vita; cibus & potus: non tamen caro, aut corpus Christi.

Ioan. 6.
a] *Hoc optimè probat confessio Berengarij Andegauensis Diaconi in decretis; qui fuerat hæreticus.*

Sed forsitan obiiciunt illud: *Verbum caro factum est*: & ideo dicunt, cibum carnalem animæ, esse verbum. Sed maximè in hoc hæretici sunt. Dictum est enim illud de incarnatione filij Dei. Verbum enim accipitur pro filio, sicut in Prophetis sæpissimè legimus. Vnde & Lucas ait de pastoribus; *Transeamus vsq; Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est*; hoc est, hunc filium, qui factus est (caro.) Et Ioannes ait: *Deus erat Verbum.* Vnde & Verbum, quod Deus est, caro factum est, id est, Deus homo factus est. In quo Græcus manifestius dicit; Cùm enim dicimus: *hoc erat in principio apud Deum.* Græcus dicit; ὖτος, id est, *hic*: Et potest referri ad vtrumque, ad *Verbum* scilicet, & Deum, hæc enim duo nomina θεὸς & λόγος, id est, *Deus*, & *Verbum*, apud Græcos masculini generis sunt. Verba ergò Euangelij; Dei sunt, sed, non Deus; neque caro, aut sanguis, quod patet; quia, singulariter dixit; *Verbum caro factum est.* Si quis enim pluraliter dicat; *Verba carnes factæ sunt*, mutatus est sensus: & nihil est dictu. Si autem *verba spiritus sunt, & vita*, vt diximus; non ideo caro sunt: aut carnem habent; ipso Domino dicente; *spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere*: multò minus, verba.

Ioan. 1.
Luca. 2.
Ioan. 1.
Ioan. 6.
Luca. 24.

Non autem solummodò Verba eius, sed ipsum totum manducare debemus, sicut ipse per Ioannem ait: [b] *Qui manducat me, & ipse viuet propter me. Me*, dixit, &, *meam carnem*; non, *mea verba.* Vnde Paulus ad Hebræos ait; *Habemus altare, de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt.* Hoc tabernaculum vocat Ecclesiam. Si autem obiiciant illud; Tabernaculum videri, quod finxit Deus, & non homo: Respondemus; quod Deus omnia fingit; homo, nihil.

Ioan. 6.
b] *Hieron. ad Edibiam*: Nec Moyses sanctus dedit nobis panem verum. Sed Dominus Iesus, ipse conuiua & conuiuium: ipse comedēs, & qui comeditur.

Sed quasdam euasiones prætendunt, & quædam subterfugia, dicentes; *quia sacerdos immundus, mundam non potest facere hostiam*; iuxta illud: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus, nil mundum.* Quod autem legunt, non intelligunt. Sacerdos enim non sanctificat, siue iustus sit, siue iniustus. Verba san-

Hebr. 13.
Titum. 1.

ba sancta sanctificant. Vnde Paulus ad Timoth. in prima Epistola. *Nihil reijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per Verbum Dei & orationem.* Hac etenim de causa, bona verba dicimus, & orationes in præparatione sacrificij corporis Christi. Sicut enim anima, cùm sit mortua in peccatis, tamen viuificat corpus, ita & sacerdos, licet sanctus non sit, tamen verba eius sanctificant & orationes. *1. Timoth. 5.*

Si obiiciant; *Non est* [a] *speciosa laus in ore peccatoris*: huic obiectioni satis respondimus in quarto capite, vbi de sacerdotibus locuti sumus. Nunquid autem non exorcistæ, filij Iudæorum dæmonia eiiciebant per inuocationem sancti nominis Dei? quod Dominus insinuat dicens: *Si ergò in Beelzebub eijcio dæmonia; filij vestri, in quo eijciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt.* Et Lucas ait de quodam: *præceptor, vidimus quendam in nomine tuo eijcientem dæmonia; & prohibuimus eum: quia, non sequitur nobiscum. Et ait ad illos Iesus:* [c] *Nolite prohibere: qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.* Ecce, quod peccatores exaudit Deus. Si enim peccatores non exaudiret, frustra dixisset publicanus; *Deus propitius esto mihi peccatori.* Et latro; *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Ille iustificatus abiit in domum suam, hic, in paradiso collocatus est. Non ergò est mirandum; si dæmonia eijciebant infideles, per inuocationem Dei: quin & sacerdotes, per inuocationem nominis Dei, sanctificent hostiam.

Ecclesi. 15. a] *Caus. 1. q. 1. August.* Nec foris, nec intus potest quisquam, qui ex patre diabolo est, in se, vel in quoquam maculare sacramentū, quod Christus est. Neque Saul deprauauit vnctionē, quam acceperat. *Luca. 11.* b] *Mag. Petrus in Psalterio*: Non confidūt in Domino, sed in homine, qui tunc dicunt sacramenta esse sancta: cùm per sanctos dantur tantummodò. *Luc. 9.* [c] Scio, quia lapis ex aqua ferre non potest fructum: sed, per lapideos canales transit aqua ad areolas. *Luc. 18. Luc. 23.*

Sed iterum obiiciunt, probare nitentes, quod panis ille, corpus Domini non sit. Dicunt enim; [d] *Quicquid intrat per os, in ventrem vadit, & in secessum emittitur.* Item, sic argumentantur: *Ponatur; quod aliquis sacerdos ieiunet, per VIII. dies nihil comedens, aut bibens, quousque stomachus euacuetur ab omni cibo: postea accipiat tortam panis integram, & ollam vini plenam: celebret inde, & sanctificet: sic enim potest sanctificare illud totum, ac si esset minimum: manducet: videbitur, quod per secessum pars exiet.* Abominabilia quidem sunt hæc dictu & auditu, & cum magna horripilatione recitanda. Sed ideo recitamus; quod propriis auribus audiui

Matth. 5. d] *Ambrosius*: Quid quæris ordinem naturę in corpore Christi: cū præter naturā sit natus de Virgine? *Grego. in hom. Paschali*: Post consecrationem non substantia, sed species remanet. *Et subdit*; Non à quo: sed cui vel antequam offeratur, considerandum est.

audiuimus apud *Duillacum*, vt eorum falsissimam hæresim reprehendendo deleamus.

Quibus respondendum est per ordinem. Non est enim dubium escam spiritalem per os intrare, & corpus nutrire, teste Paulo, qui ad Corinthios: *Nolo vos ignorare fratres; quoniam omnes patres nostri sub nube fuerunt: & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt, in nube, & in mari: & omnes eandem escam spiritalem manducauerunt: & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. Petra autem erat Christus.*

1. Corinth. 10.

a] *In Exodo. Manna*, quod erat quasi semen coriandri album; & gustus eius quasi simila cum melle.

De [*a*] manna dicit; qui cibus spiritalis erat. Ecce, quo ille cibus spiritalis intrabat per os in nutrimentum corporis remanens, non per secessum exiens. De immundis enim dictum est; quod exeant per secessum. Si omne enim, quod intrat per os, per secessum exiret, quid corpus humanum nutriret? Quod ergò igne Spiritus sancti coctum est, statim in nutrimentum transit corporis, & etiam magis animæ; quia, spiritale est; nec indiget, vt coquatur in stomacho, aut in hepate, aut in membris. Nihil enim in eo crudum, aut impurum. Non enim, quod spiritale, igne carnali nouit excoqui, cùm sit perfectè excoctum in se, & per se, & ex se, *quia, ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia*. Neque secundum plus, aut secundum minus accipi debet, teste Apostolo, qui ait ad Corinthios: *Qui multum, non abundauit; & qui modicum, non minorauit*. Hoc enim in Exodo dictum est prius de manna.

Rom. 8.
1. Cor. 8.
b] *Hilar*. Non est quantitas visibilis in hoc æstimanda mysterio, sed virtus sacramenti spiritalis.
Vnde Abraham in Genes. Apponā buccellam panis; & confortate cor vestrum.
Buccella enim, sicut Gomor, vnum erat, de manna: verò nō licebat plus, quam . mor colligere.
Heb 7.
Ibidem.

Qualiter [*b*] autem Dominus in buccella panis totum corpus suum dabat vnicuique discipulorum? Sola buccella debet esse, qui enim plus acciperet, non abundaret; & qui minus, non minoraret. Nunquid & ij si sanctiores volunt esse, quàm, qui primus hoc modo sanctificauit? De quo Paulus loquens ad Hebræos ait; *Hic enim Melchisedech Rex Salem, qui obuiauit Abrahæ regresso à cæde Regum, & benedixit ei: cui & decimas omnium diuisit Abraham.* Primum quidem, qui interpretatur *Rex iustitiæ*: deinde autem Rex salem, quod est, *Rex pacis: sine patre, sine matre, sine genealogia: neque initium dierum, neque vitæ finem habens; assimilatus autem filio Dei manet sacerdos in perpetuum. Intueamini autem, quantus sit hic, cui & decimam dedit Abraham patriarcha?* Et subdit: *Sine vlla autem contradictione, quod minus est, à meliore benedicitur.* Et concludit: *Adhuc enim in lumbis patris erat, quando obuiauit*

niauit ei Melchisedech. De Leui dicit; qui similiter decimas accepit. In Genesi enim de Melchisedech legitur; *qui obuiauit Abrahæ, offerens panem & vinum; erat enim sacerdos Dei altissimi. Et benedixit ei dicens: Benedictus Abraham Deo excelso, qui fecit cælum & terram. Et benedictus Deus; quo protegente, hostes sunt in manibus tuis.* Genes. 14.

Eius ergò, qui tantus ac talis perhibetur, sacrificium contemnit quisquam; secundum cuius ordinem Dominus elegit esse sacerdos? In cœna enim sacerdotium Aaron consummans, transtulit in sacerdotium Melchisedech. Vnde & post cœnam non ante cœnam buccellam panis benedicti, qui est corpus Christi, dedit vnicuique discipulorum. Voluit enim primum Pascha primò celebrare: secundum verò Pascha secundò voluit assignare. Teste enim Marco; priusquam acciperet panem, & benediceret ac frangeret, manducauerat primum Pascha. Quid autem in primo Pascha manducauerat, Lucas innuit dicens: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha. Et misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, & manducemus.* Patet [a] ergò, quod aliquid occisum in Pascha manducauit. Occidi enim dixit; Et postea; *manducemus.* Vnde subsequenter ait: *Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar.* Ecce, antequam pateretur, Pascha occisum manducauit. Et paulò post: *accepto pane, gratias egit, &c.* Ecce, postquam cœnauit, communionem accepit. De qua communione Paulus ad Hebræos ait: *Beneficentiæ autem & * communionis nolite obliuisci. Talibus enim hostiis promeretur Deus.* Ecce, quod *hostiam* vocat. Et in actibus Apostolorum de conuersis ad fidem. *Erant autem perseuerantes in doctrina Apostolorum, & communicatione [b] fractionis panis, & orationibus:* quod prius *hostia* vocatum est: hic, *fractus panis* appellatur: quem orationibus sanctificari insinuat. Non autem dicit *oratione*; sed, *orationibus.* Non enim vnicam orationem, vt dicitis, imò plures orationes dicere debemus; sicut prius ostensum est in quarto Capitulo.

Luc. 22.

a] *Hieron. super Matthæũ:* Postquam typicum Pascha fuerat completum, & agni carnes comederunt, assumit panem; & ad verum Paschę transit sacramentum.

Heb. 13.

* Hospitalitatis *Vulg. Ed.*

Actor 2

b] *Ambrosius:* Antequã consecratur, panis est, Vbi autem verba Christi accedunt, corpus est Christi.

Quod in carne nostra resurgemus, non in alia.

CAPVT IX.

QVID de eorum contrarietate referam? non solùm in vita, aut in morte; imò etiam post mortem nobis isti student præliari. Sunt enim tanquam Epicurei: quibus Paulus ait in Epistola ad Corinthios; *Si (secundum hominem) ad bestias pugnaui Ephesi, quid mihi prodest, si mortui non resurgunt? manducemus, & bibamus, cras enim moriemur.* Et paulò antè dixerat: *Alioqui, quid facient, qui baptizantur pro mortuis, si omninò mortui non resurgunt.* Si autem resurgere intelligunt de anima; cùm anima non moriatur, licet puniatur: qui nunquam [a] moritur, quomodò resurget? Si autem caro resurgere non haberet; peccare, cur timeret? Resurget tamen; scriptum est enim Lucæ. 21. *Capillus de capite vestro non peribit*; multò minus caro, aut ossa.

Sed obiiciunt illud, quod ibi. ad Corin. legimus; *Dicunt aliqui quomodo resurgent mortui? qualiue corpore venient? Insipiens,* [b] *tu quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Et quod seminas, nō corpus, quod futurū est seminas, sed nudum granum; vt puta tritici, aut alicuius cæterorum Deus autem dat illi corpus, sicut vult: & vnicuiq; seminum, proprium corpus.* Ita hoc intelligunt; quod in alio corpore resurgemus; Et Deus det nobis corpus nouum. Hac autem similitudine decipiuntur: quia, pro nobis est, & nobiscum. Illud idem enim granum, quod seminatur, illud idem surgit: alteratum tamen: moritur enim, vt viuificando alteretur. Illud enim, quod moritur, viuificatur: Non, aliud moritur, & aliud viuificatur. Quod autem dicit; non corpus, quod futurum est, seminas; *quod*, id est, quale. Non enim quale futurum est, seminas. Vnde idem subdit: *Seminatur in corruptione; surget in incorruptione:*

ne: se-

F. Moneta li. 4. Gregor. Super mor. Iob. Quod quotidie resurrectionem nostram in suis elementis mūdus imitatur, quotidie lux ipsa temporalis moritur; & quotidie resurgit. Videmus etiam ramos arescere; & iterum rediuiuo decore vestiri.

1 Corinth. 15.

a] *Vnde in Moral.* Duobus modis perit res: Vel, quia non est, Vel, quia male est. Vnde & anima perire dicitur; non quia non sit, sed quia malè sit. Anima enim immortaliter mortalis est, & mortaliter immortalis.

b] *Per hoc exemplum voluit Eutychius probare apud Gregorium, quod caro non palpabilis, sed impalpabilis erit: Gregorius autem respondens ait: Dum S. Apostolus de resurrectione agens, ait, Non corpus, quod futurum est, seminas, sed nudum granum; hoc insinuat, quod videmus: quia granum, quod sine calamo & foliis seminatur; cum calamo & foliis nascitur. Ille itaque in augmento resurrectionis non dixit, grano semini deesse, quod erat: iste verò, dum verum corpus resurgere negat, nequaquam dicit adesse, quod deerat, sed deesse, quod erat.*

ne: seminatur in ignobilitate, surget in gloria. Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Seminatur corpus animale; surget corpus spiritale. Et iterum subdit; *Canet tuba; & mortui resurgent incorrupti, & nos immutabimur. Oportet enim incorruptibile hoc induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem, tunc fiet sermo, qui scriptus est, in Osee: Absorpta est mors in victoria.* Ecce dicit; *mortale hoc*, demonstrans corpus.

Sed iterum opponunt illud, quòd paulo ante dictum est ad Corinthios: *Hoc autem dico fratres; quoniam caro & sanguis regnum Dei poßidere non possunt.* Et secundum hoc, dicunt; quod caro hæc nostra non resurget in gloria. Ad quod respondemus, quod caro & sanguis non possidebunt regnum Dei, nisi immutentur. Vnde subdit: *neque corruptio incorruptelam poßidebit. Omnes enim resurgemus,* [b] *sed non omnes immutabimur.* Oportet ergò nos immutari, vt possideamus regnũ Dei. De carne enim immutata, ait *Propheta: *Videbunt omnes fines terræ salutare Dei nostri.* Quis enim negat hominem posse recuperare, quod amisit: si benè operatus fuerit? *Amisit carnis immortalitatem; recuperare eam quis negabit?*

a] *Et iterum illud obijciunt in Iob*: Putasne mortuus homo rursum viuet? *Sol. Solent iusti viri aliquando certa, quasi dubia, proferre, vt infirmiũ verba in se transferant: sed postea, quod dubiè protulerũt, confirmant. Vt Christus, vbi ait*; Pater, si possibile est, transeat à me calix iste: *Postea confirmās ait*: veruntamen non, sicut ego volo, sed sicut tu. *Ita & Iob subsequenter confirmat, vbi ait*; Cunctis diebus, quibus nunc milito, exspecto donec veniat immutatio mea. [b] *Iulianus in Prognost. lib.* Resurrectio communis omnibus erit bonis & malis. Immutatio autem solis danda est iustis: quæ vtique glorificationem insinuat æternæ beatitudinis. * *Isa. 52.*

Vnde in libro Sapientiæ legimus de sapiente, qui ait: *Intrans in domum meam, conquiescam cum illa.* Corpus enim vocat *domum.* *Sapien. 8.* Illud idem Iob satis innuit dicens: *Scio, quòd redemptor meus viuit, & in nouißimo die resurrecturus sum, &c. quem visurus sum ego ipse, & non alius*: per essentiam scilicet, non per naturam. Sicut & Deus pater, alius est à filio, non in substantiali essentia, sed persona, hoc est, quasi personali natura. Et subdit; *Et oculi mei conspecturi sunt.* Et Sibylla; *Sic animæ cum carne aderunt, quas iudicat ipse, sanctorum, sed enim cunctæ lux libera carni.* *Iob. 19.* *Ibidem.*

De eodem similiter Isaias ait: *Ingredientur, & videbunt cadauera virorum; qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis* [c] *eorum non exstinguetur; & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni.* Secundum hoc, cadauera resurgent; vt à vermibus indesinenter corrodantur. Cuiusmodi autem cadauera corroduntur, nisi ea, quæ merita sunt? Alioquin iniquitas esset *Isa. 66.*

c] Potest quæri, cum ignis nõ exstinguatur, si lumen habebũt. *Gregorius in mor*

ait: Flamma vltrix vitiorū cōcremat, sed non lucet. *Vnde Psalmista:* Super eos cecidit ignis, & non viderunt solem. *Et Iob ait:* Terra miseriæ & tenebrarum. *Et subdit:* horrendum est vtrumque, quod eis acciderit: dolor cum timore, flamma cum obscuritate.

apud Deum, quod absit: cùm scriptum sit: *Et iudicia tua æquitas.* Æquum est enim; vt caro, quæ peccauit, eadem puniatur;
[*Psal. 118.*] & quæ bene operata est, in fide glorificetur. Legimus enim: Et,
[*Apocalyp. 14.*] *opera illorum, sequuntur illos.* Oportet ergò morituram carnem
[*Psalm. 102.*] resurgere, vt, quod meruit, accipiat. Vnde Dauid: *Renouabitur*
[*Psal. 50.*] *vt aquilæ iuuentus mea.* Et idem: *Auditui meo dabis gaudium & læ-*
[*Isaia. 2[6].*] *titiam.* Et Isaias: *Viuent mortui, & interfecti mei resurgent.* Et ite-
[*Ibidem.*] rum: *Expergiscimini & laudate, qui habitatis in puluere.* Et subdit:
[*Isaia. 66.*] *Reuelabit terra sanguinem suum, & non operiet vltra interfectos suos.* Et rursum: *Veniet omnis caro, vt adoret coram facie mea.* Vnde
[*Hier. 7.*] Hieremias: *Erit morticinum populi huius in cibo volucribus cæli, &*
[*Ezech. 37.*] *bestiis terræ,* id est, dæmonibus. Et Ezechiël stans in campo ossium resurrectionem præfigurauit; & ait ad ossa; *Ecce, intromittam in vos spiritum, & viuetis: & dabo super vos neruos; & succrescere faciam super vos carnem, & superextendam in vobis cutem; & dabo vobis spiritum, & viuetis. Factus est autem sonitus, prophetante me; & ecce commotio; & accesserunt ossa ad ossa; vnum quodque ad iuncturam suam: Et ingressus est in ea spiritus, & vixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valdè:* Et sub-
[*Ibidem.*] dit: Hæc dicit Dominus: *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulcris vestris, & inducam vos in terram Israël; & requiescere vos faciam super humum vestram.* Et quidam Sapiens ait: *Quid est mori carni tuæ?* [a] *Mori carni tuæ est, amittere vitam suam. Mori animæ tuæ est amittere vitam suam. Vita carnis tuæ, est anima tua. Vita animæ suæ, Deus tuus.* Vnde secundum hoc; si moritur anima, moritur & caro. Si viuit anima, viuit & caro.

> a] *Vnde in Moral.* Sicut mors exterior ab anima diuidit carnem; ita mors interior à Deo separat animā.

Nunquid autem (non) omnia, quæ de terra sunt, in terram redeunt? Si ergò in terram redeunt corpora: qui de luto fecit hominem: de eâdem terra eandem carnem potens est reformare. Sicut enim Christus reformauit templum corporis in triduo; & resurrexit in eâdem carne die tertio: eodem modo re-
[*1 Thessal. 4.*] surgemus. Vnde Paulus ad Thessalonicenses: *Si enim credimus, quod Christus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierunt, per Iesum adducet cum eo, &c.* Et subdit: *hoc enim vobis dici-*

mus in

mus in verbo Domini, quia nos, qui viuimus, qui residui sumus in aduentum Domini, non præueniemus eos, qui dormierunt, quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cælo; & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi. Et alibi ad Romanos: *Quemadmodum surrexit Christus à mortuis per gloriam patris; ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim complantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus.* Et ad Corinthios in prima Epistola. *Si autem Christus prædicatur, quod resurrexit à mortuis, quomodo quidam dicunt in vobis; quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neque Christus resurrexit.* Et subiungit: *Nunc autem Christus resurrexit à mortuis, primitiæ dormientium, &c.* Sed in Adam mortui sumus corpore & anima: ergò in Christo viuificabimur corpore & anima. Vnde & in Apocalypsi legimus de Christo: *Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.*

Rom. 6. 1. Cor. 15. Apoc. 1.

Si ergò primitiæ dormientium Christus est, vt diximus; & primogenitus mortuorum, & primus surrexit à mortuis: plures secuturi sunt cum eo resurrecturi. Ideo enim dicitur *primus*, vt sequatur secundus, & sic deinceps. Non autem cum eo resurgerent, si in resurrectione similes ei non essent: quod vtique erimus, vt ait Ioannes in Epistola, *Scimus, quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus.* Et alibi; *Cùm apparuerit Christus, vita vestra, tunc & vos apparebitis cum eo in gloria.*

1. Ioan. 3. Colos. 3.

Patet ergò, quod sicut Christus surrexit, ita & nos resurgemus. Quod autem Christus in carne surrexit, in qua mortuus fuerat, testatur Lucas in fine, vbi Dominus ait: *Videte [a] manus meas, & pedes meos: quia, ego ipse sum. Palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quod similiter & nos resurgamus, probat Paulus ad Thessalonicenses dicens: *Ipse autem Deus pacis sanctificet vos per omnia, vt integer spiritus vester, & anima, & corpus sine querela in aduentu Domini nostri Iesu Christi seruetur.* Et ad Corinthios in secunda Epistola: *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, vt & vita Iesu in corporibus nostris manifestetur. Semper enim nos, qui viuimus,*

Luca 24.

a] Sed Eutychius ad hoc respondet: Idcirco Dominus hoc fecit, vt dubitationem resurrectionis suæ de discipulorum cordibus amoueret. *Gregorius ait*: Vnde ergò fides discipulorum confirmata: nostra est destructa? *Cui Eutychius*; Corpus palpabile habuit, quod ostendit: sed post confirmationem in subtilitatem est redactum: *Cui Gregorius*: Christus resurgens ex mortuis, iam non moritur, mors illi vltro non dominabitur.

2. Corinth. 4.

in mortem tradimur propter Iesum, vt & vita Iesu manifestetur in carne nostra mortali. Et subdit: Omnes enim nos manifestari oportet ante tribunal Christi; vt referat vnusquisque propria corporis, prout gessit, siue bonum, siue malum. Et alibi ad Ephesios: Vir caput est mulieris, sicut Christus caput est Ecclesiæ: ipse, Saluator corporis. Quod satis innuit Salomon dicens: Time Dominum, & recede à malo: sanitas quippe erit vmbilico tuo, & irrigatio ossium tuorum. Et subdit: Parata sunt derisoribus iudicia, & mallei percutientes stultorum corporibus. Et Iesus filius Sirach: Humilia valdè spiritum tuum; quoniam vindicta carnis impij, ignis & vermes.

Ibidem. Ephes. 5. Prouerb. 19. Ibidem. Eccles. 7.

Nec [a] solùm autem de corpore resurrectionem probare possumus; imò, & de vnoquoque membro. Vnde & Iacobus ait de lingua: Maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis nostræ, inflammata à Gehenna. Quomodo inflammabitur lingua, si non sit? Et Dominus de capillis ait: Omnes capilli capitis vestri numerati sunt Ad quid numerati essent, si perire omninò debent. Dictum est tamen; [b] Capillus de capite vestro non peribit. Et 1.* Matthæus de infernalibus pœnis loquens ait: Ibi erit fletus & stridor dentium. Si ibi erit fletus, ergò oculi carnei: dentes verò ex ossibus habent esse, cùm sint ossa. Alibi etiam legimus: 2.* Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis sanctorum. Vnde & Salomon ait: 3.* Oculum, qui subsannat patrem, & qui despicit partum matris suæ, effodient eum corui de torrentibus. & comedent eum filij aquilæ. Et 4.* Matthæus Expedit tibi, vt pereat vnum membrorum tuorum, quàm totum corpus tuum eat in Gehennam. Ecce & de membris, & de toto corpore fit mentio.

Iacob. 2.

a] Vnde Propheta: Descenderunt ad infernum cum armis suis: arma quippe peccantium, sunt membra corporis: Vnde Paulus: Neque exhibeatis membra vestra, arma iniquitatis peccato.

Matth. 10.

b] Hic opponitur, de monstruosis. Vtrum cũ maiore numero, vel minore, membrorum resurgant? Ad quod Augustinus respõdet, dicens: Absit, vt illum bimembrem, qui natus est in Oriense, ita resurgere æstimemus.

O hypocritæ, qui tantùm calicis mundiciem consideratis; calicem omninò perire, quomodò dicitis? Vobis enim dicit Dominus per Lucam. Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod de intus est fecit? Vos enim estis, quorum monumenta non inueniuntur. Erudimini, & intelligite, quid dicat Ioannes: Testimonium autem perhibebat turba, quæ erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Ecce, de monumento vocauit eum, anima tamen in monumento non erat.

Vnde

Et de lingua possumus idem probare: Vnde diues; Mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, & refrigeret linguam meam: scilicet qua in gulositate epulorum peccauit. Ecce & Lazarus digitum; & diues linguam habent. 1.* Matth. 8. 2.* Apoc. 7. & 21. 3.* Prouerb. 8. 4.* Matth. 5. Luc. 11. Ioan. 12.

Vnde & Matthæus in passione enucleatius ait: *Monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt: Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Ecce corpora de monumentis dicit surrexisse, non, *animas*. Vnde & ad Romanos legimus. *Qui suscitauit Iesum Christum à mortuis; viuificabit & mortalia corpora nostra, propter inhabitantem spiritum eius in vobis.* Et subdit: *Ipsi intra nos ingemiscimus adoptionem filiorum, exspectantes redemptionem corporis nostri.* *Matth. 27.* *Rom. 8.*

Habemus igitur, quod corpora resurgent: quod similiter probat Ioannes in Apocalypsi dicens: *Sed habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinauerunt vestimenta sua, & ambulabunt mecum in albis; quia digni sunt.* qui vicerit, *sic vestietur vestimentis albis.* Ecce, quòd quali veste vestimur, tali vestiemur: qui albâ, albâ; qui maculosâ, maculosâ. De albis dicit: *Mecum ambulabunt in albis.* Quid est autem vestimentum, nisi caro? Et iterum ad Philadelphiam dicit de inimicis. *Ecce faciam illos, vt veniant & adorent ante pedes tuos.* Ecce pedes & similia habebunt membra in resurrectione. Et rursus: *In circuitu sedis sedilia XXIV. & supra thronos XXIV. sedentes, circumamicti vestimentis albis, & in capitibus eorum coronæ aureæ.* *Apocalyp. 3.* *Ibidem.* *Apoc. 4.*

De vestimentis autem impiorum, subdit: *Decem cornua, quæ vidisti, & bestia; hi odient fornicariam, & desolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipsam igni concremabunt.* Idem Angelus ad aues: *Venite congregamini ad cœnam magnam Dei; vt manducetis carnes Regum, & carnes tribunorum, & carnes fortium, & carnes equorum, & sedentium in ipsis, &c. Et omnes aues saturatæ sunt carnibus eorum.* Ecce vestimenta impiorum maculosa: quibus fletus & stridor dentium, & alia peiora (parata sunt) Vnde Isaias: *Onocrotalus & ericius, & ibex, & coruus habitabunt in ea.* Et Iacobus: *Aurum & argentum æruginauit, & ærugo eorum in testimonium vobis; & manducabitis carnes vestras sicut ignis.* *Apocalyp. 17.* *Apocalyp. 19.* *Isa. 34.* *Iacob. 5.*

Ex [a] prædictis ergò concludimus, quod in carne nostra resurgamus. Sed notandum, quod scriptura aliter de resurrectione animarum loquitur: aliter, de resurrectione corporum. De resurrectione enim animarum dicit Ioannes; *sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, &c.* Illud ergò simul pater & filius operantur.

a] *Vnde Gregorius in Mor.* Ad nos Christus venit, qui in morte soli-tus, carnisque

rantur. De resurrectione autem corporum legimus; *Pater non iudicat quenquam.* Resurrectio enim animarum fit per substantiam patris & filij æternam, & incommutabilem: Resurrectio verò corporum fit per dispensationem humanitatis filij temporalem, non filio coæternam. Et rectè, filio incarnato carnis attribuitur resurrectio. Facit enim aliquid pater per filium hominis, quod non facit ex personali proprietate sua, sicut ipsum nasci, crucifigi, mori, & resurgere. Non enim aliquid horum patri contingit; sic & resurrectio corporum. Sicut autem filius in carne manens, in mundo duas resurrectiones fecit; vnam, qua resurgebant homines de infidelitate ad fidem; de iniquitate, ad iustitiam: Aliam; qua viuificabuntur corpora defuncta, & in monumentis iacentia: ita & duæ futuræ sunt in futuro resurrectiones, animarum videlicet, & corporum. Animæ enim, licet in hoc mundo resurgant de vitiis ad virtutes; tunc resurgent de sinu Abrahæ ad veri Dei visionem transeuntes in melius, ænigmatis specie vacuata. Vnde illud; *Vbicunque fuerit corpus; illuc congregabuntur & aquilæ.* Per hoc enim innuitur; quòd, sicut aquilæ renouantur in senectute in eâdem carnis substantiâ, sic & nos in eâdem carne resurgemus: Et sicut irreuerberatis oculis solem intuentur; ita & nos verum solem, sicuti est, videbimus; *non per speculũ in ænigmate. Tunc enim quod ex parte est, euacuabitur.*

Quare autem Christus in carne moreretur, nisi vt caro redimeretur? Ioannes enim in Euangelio verè ostendit resurrectionem carnis in futuro; &, resurrectionem animæ in hoc mundo. De anima enim sic ait; *Amen, amen dico vobis, quia venit hora & nunc est, &c.* De corpore autem subdit: *Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem eius, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ; qui verò mala; in resurrectionem iudicij.* Cùm de anima loqueretur, dixit; *Venit hora, & nunc est,* & vnam discretionem facit; *quia viuent, qui audient,* id est, obedient. De corporibus autem, non dicit; *venit hora, & nunc est:* sed, *qui in monumentis sunt.* Nec dicit; *qui audient, viuent;* imò, *procedent.* Nec vnam facit discretionem, imò duas: quidam enim resurgent ad bonum; quidam, ad malum.

Notandæ sunt differentiæ, quas præmisit. De resurrectione autem animæ subdit dicens; *Sicut pater habet vitam in semetipso, sic de-*

[Margin notes:] tenebamur. Vnam ad nos suam mortem detulit: & duas nostras soluit. Si enim vtramque susciperet, nos à nulla liberaret: Vnam mediator accepit, & iustè vtramque damnauit. Simplam suã duplæ nostræ contulit; Et duplam nostrã moriens subegit. Vnde, non immeritò, vno die in sepulcro & duabus noctibus iacuit, quia luce suæ simplę mortis, tenebris duplę mortis nostræ adiunxit.

Matth. 24.

Mag. Petrus in Psalterio: Duæ quippe resurrectiones sunt: Vna, animę, in præsenti, qua resurgit homo à peccatis: Vnde Apostolus: Exurge, qui dormis, & illuminabit te Christus; Altera corporis in futuro; qua, fit inpassibile & immortale.

Ioann. 5.

sic dedit & filio, vt habeat in semetipso. Ecce, quòd patri & filio attribuit illud. De corporibus autem loquens, præmisit: *Potestatem dedit ei facere iudicium: quia filius hominis est.* Ecce, quòd soli filio attribuit illud. Immutatio enim duplex est: Animæ quidem immutantur; quibus Apostolus ait; *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino.* De immutatione autem corporum loquitur Iob dicens: *Cunctis diebus, quibus nunc milito, &c.* Vnde subdit: *Immutabis faciem eius, & mittes eum.*

Ibidem. *Iob 14.* *Ibidem.*

De vtraque immutatione loquitur Salomon dicens: *Ad eloquia nostra inclina aurem tuam; vita enim sunt inuenientibus ea, & vniuersæ carni sanitas.* Et iterum: *Vita carnium sanitas cordis: putredo ossium, inuidia.* Duplex enim erit pœna; & duplex gloria: De duplici pœna loquitur Dominus in Euangelio dicens: *Eum timete, qui potest corpus & animam perdere in gehennam.* Vnde & Propheta: [a] *Duplici contritione contere eos*, id est, in corpore & anima. De duplici autem beatitudine quidam Sapiens ait: Qui corpus & animam liberare venerat; verum corpus & veram animam pro nobis suscepit.

Prouerb 22. *Prouerb. 4.* *Matth. 10.* *Hier. 17.*

a] *David*: Induantur sicut diploide confusione sua, diploidem quippe duplum vestimentum dicimus. Confusione ergò sicut diploide induti sunt, qui duplici animaduersione feriuntur.

Sed obiiciunt illud, quod legimus in Apocalypsi: *Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ, & dictum est illis, vt requiescerent adhuc tempus modicum.* Singulas stolas, dicunt singularem esse beatitudinem. Nos verò sic exponimus. Singulæ enim stolæ ante iudicij diem sanctis martyribus datæ sunt, quia sola animarum beatitudine nunc gaudent. In futuro autem secundum Prophetæ vaticinium, in terra sua duplicia possidebunt: quia anima impassibili, & carne immortali perfruentur.

Apoc. 6.

Caro igitur resurget immortalis. Vnde & de Lazaro Ioannes ait: *Lazare veni foras, & statim prodijt, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus institis.* Et Iob: *homo cum dormierit, non resurget, & non euigilabit, donec cælum atteratur, nec consurget de somno suo.* Et iterum de Deo: *Ipse ad sepulcrum deducitur, & in congerie mortuorum vigilabit.* De impiis autem idem Iob ait: *Lugebunt, quæ fecerunt omnia, nec tamen consumentur.* Sequamur ergò eum; qui de corpore proprio loquens ait: *Soluite templum hoc, & in tribus diebus reædificabo illud.* Sic enim & nos reædificabimur.

Ioan. 11. *Iob. 14.* *Iob. 21.*

Quod oblationes sacerdotibus debeant fieri, & in templo.

CAPVT X.



Blationum quoque munera retundentes, decimas & primitias apud se retinent, & furantur. O fures & latrones aliunde ascendentes in ouile. Iesum filium Sirach audite: *Oblatio iusti impinguat altare, & odor suauitatis est in conspectu altißimi. Bono animo redde gloriam Deo, & non minuas primitias manuum tuarum. In omni dato, hilarem fac vultum tuum, & in exultatione sanctifica decimas tuas: Noli offerre praua munera: non enim suscipiet illa:* Cui Apostolus consonans ait: *Hilarem datorem diligit Deus.*

Ioan. 10.
Eccles. 35.
Ibidem.
Ibidem.
2. Corinth. 9.

Nunquid [a] & Tobias laudatur primitiua sua & decimas suas fideliter offerens? Et Salomon ait: *Honora Dominum de tua substantia, & de primitiis omnium frugum, & implebuntur horrea tua saturitate, & vino torcularia tua redundabunt.* Et in lege Moyse scriptum est: *honora Dominum de tua substantia, &c.*

Prouerb. 3.

Ex his ergò habemus, quod [b] primitiæ dandæ sunt, & decimæ, & oblationes. Nunquid (non) autem Dominus oblatus fuit Simeoni in templo? Nunquid (non) par turturum, aut duos pullos columbarum obtulit, & seipsum? Matthæus enim ait de tribus Magis: *Et apertis thesauris suis obtulerunt ei munera.* Scilicet aurum, thus & myrrham. In quo, nobis insinuatur, quod similiter aurum, thus, myrrham offerre debeamus: *Vos enim potius aufertis, quàm offeratis.* Myrrham enim aufertis, cùm carnis resurrectionem abnegatis. Neque thus (datis), cum sacrificij hostiam non credatis. Aurum nequaquam (offertis) cùm regem, & omnium creatorem renuatis. Nihil igitur offerentes, malè intelligitis venerabilem presbyterum, scilicet Rabanum, qui ait: *Non solùm per circumcisionem in veteri Testamento homines saluabantur, sed etiam per hostias & sacrificia sancta. Exemplo enim patientiæ B. Iob * dicimus; qui pro se, suisque filiis quotidie sacrificium offerens, expiabat.*

a] *Caus. XVI. q. 1. Aug.* Si decimam dederis, non solùm abundantiam fructuum accipies, sed etiam sanitatem corporis consequeris. *Abrahà primus obtulit decimas. Abel verò primus primitias.*

b] *Hier. super Mal.* Quia mihi non redditis decimas & primitias, idcirco in fame & penuria maledicti estis. Ecce, annus completus est, & nihil in meos thesauros, sed in vestra horrea posuistis. *Matth. 2.* * *discimus, forte.*

Patet

Patet autem ex prædictis: quod ipse Dominus dedit oblationem, & accepit, & etiam dare monuit, ipso ad leprosum dicente per Matthæum. *Vade, ostende te sacerdoti: & offer munus, &c.* Si quis ergò benè notat ea, quæ dicta sunt; considerare potest, quod oblatio in templo fieri debeat; & etiam sacerdoti. Dominus enim non manu vacua nos ire ad sacerdotem monet, sed, cum munere. Audistis igitur quid, & cui, & vbi sit offerendũ.

Sed quomodo offerre debeamus, S. Matthæus ostendit dicens: *Si ergò offers munus tuum ad altare, &c.* Pro peccatis autem offerre debemus; Vnde Paulus ad Hebræos ait; *Qui non habet necessitatem, quemadmodum sacerdotes, prius pro suis delictis hostias offerre, deinde pro populo; hoc enim fecit semel, seipsum offerendo.* Et paulò ante; *Omnis enim Pontifex, ex hominibus assumptus, pro hominibus constituitur in his, quæ sunt ad Deum, vt offerat dona & sacrificia pro peccatis.* Dicit [a] pluraliter, ergò de aliis donis & sacrificiis est intelligendum, quam de seipso. Vnde idem subdit de eôdem: *quoniam & ipse circundatus est infirmitate: Et propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro se ipso offerre pro peccatis.* Ecce, & pro populo, & pro se ipso offerre debet Pontifex, id est, sacerdos. Vnde & solis sacerdotibus licet sacrificare, & etiam oblationes manducare, iuxta Matth. qui ait: *Non legistis, quid fecerit David, quando esuriit, & qui cum eo erant: quomodo intrauit in domũ Dei, & panes propositionis comedit, quos non licebat edere, nisi solis sacerdotibus.* De sacerdotibus enim potest intelligi illud, quod ait Apostolus; *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.* Vnde & illud; *qui altari* [b] *deseruiunt, cum altari participant.* Et illud: *qui Euangelium prædicat, de Euangelio viuat.* Vnde Ezechiel ait, *Omne votum in Israel, & primitiua pecorum, & omnia libamenta ex omnibus, quæ offeruntur, sacerdotũ erunt. Primitiua ciborum vestrorũ dabitis sacerdoti.*

Offerre [c] tamen tenemini: quia & quidam antecessor vester, Pharisæus, in hoc gloriabatur, qui ait teste Luca; *Deus gratias tibi ago, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, Decimas do omnium quæ possideo.* Ecce, quod omnia sua decimabat, sed neq; in hoc iustificatus erat. Erat enim ex illis, de quibus Lucas ait: *Væ vobis Scribæ, & Pharisæi, hypocritæ: qui decimatis menthum & anethum, & cyminum & reliquistis, quæ grauiora sunt legis, iudicium, misericordiam, fidem, hæc oportuit facere, & illa nõ omittere.*

Matth. 8.
Ex Conc. Laodicẽsi. ca. LIX. Non oportet in domib. oblationes celebrare. *August.* Munus bonæ vitæ non nisi intra Ecclesiã reperitur.
In Exodo: Primitias frugum terræ tuæ defer in domum Dei tui.
Matth. 18.
Heb. 7.
a] *Ostẽdit enim, quod homo non debet offerre, nisi seipsum.*
Ibid. m.
Matth. 12.
1. Pet. 5.
1. Cor. 9.
b] *Caus. XII. q. 1. Hieron.* Si ego pars Domini sum, & funiculus hæreditatis eius, nõ accipio partes inter cæteras tribus: sed quasi Leuita & sacerdos viuo de decimis: & altari seruiens, altaris oblatione sustentor.
Ezech. 44.
c] *In Exodo legimus*: Plus offert populus, quàm necesse est: eo quod oblata sufficerent, & superabundarent. *Sed modo non sic.*
Lucæ 18. Luc. 11.

Deteriores quidem estis, quàm est ille Pharisæus; quia, nec omnia vestra decimatis: sed cum eo; *legis grauiora relinquitis*: Iudicium enim relinquitis: malè de aliis iudicantes, & iudicium Domini *anticipantes*, quibus dictum est; *Nolite ante tempus iudicare.* Misericordiam abiicitis, eleemosynas reprimentes. Nulli enim benefacitis, nisi tantum modò domesticis vestræ nequitiæ. Cùm Dominus dicat: *benefacite his, qui oderunt vos.* Et Paulus; *Benè operemur ad omnes.* Fidem omninò omisistis, quod patet lippis & tonsoribus. Væ igitur illud vestrũ est. Et benè dico, quia misericordes non estis, cùm illud non contemplamini, quòd Matthæus ait: *Qui petit à te, da ei; & volenti mutuare à te, ne auertaris.* Si autem dixeritis, quòd vestros diligatis domesticos, & eis tribuatis necessaria; quam mercedem habere debetis; nonne & publicani hoc faciunt? Quomodo autem inimicum ausi estis vocare, cùm Dominus proditorem suum amicum appellet, dicens: *Amice ad quid venisti?* O vestiti sicut cepa. Audite Lucam, qui ait; *Qui habet duas tunicas, det non habenti: & qui habet escas, similiter faciat.* Non enim Dominus amicos, vel diuites monet inuitare in quibus spes est remunerationis mundanæ; sed, cæcos, claudos vel miseros, & occultè. Vnde Matthæus: *Te faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua.* Et Lucas; *Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia, &c.* Et iterum: *Vendite, quæ possidetis, & date eleemosynam.* Vos autem nec possessa venditis, nec eleemosynam datis, imò dare prohibetis. Nunquid autem (non) Lucas fœneratores eleemosynas dare iubet: dicens: *Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula. Æterna* dicit, non transitoria. *Eleemosyna enim extinguit peccatum.*

Caus. XVI. q. 1. Hier. Apostolicis viris & euangelizatoribus Christi in necessariis vsibus nolle tribuere; se ipsum damnare est.

Caus. XII. q. 2. Steph. Papa: Qui Christi pecunias & Ecclesiæ aufert, & rapit, homicida est.

Galat. 6.
Matth. 5.
Delictum personę in damnũ Ecclesiæ non est conuertendum.
Matth. 26.
Luca. 3.
Luca. 14.
Matth. 5.
Luca. 11.
Luca. 12.
Luca. 16.

P. Moneta li. 4.

Quod vnctio olei bona sit, & valens infirmis.

CAPVT XI.



INunctionem etiam olei subsannantes, nec chrisma, nec oleum sibi poscunt. Quid amplius? nec etiam Cœmeterij sepulturam. Si enim infirmantur, inungi respuunt. Vnde autem Christus nomen sibi vendicauit? nisi, quia

quia vnctus fuit? Non ergò [a] Christiani sunt, qui nesciunt vnctionem. *Christos* enim, i. *vnctos* appellamus. Sed nunquid (non) Apostoli inungebant teste Marco, qui ait: Vngebant oleo multos *ægros, & sanabantur.* Et Samaritanus inunxit spoliatum, sicut Lucas testatur; *Et appropians alligauit vulnera eius, infundens oleum & vinum.* Ipse etiam Dominus inunctus fuit, se ipso teste, qui ait apud Lucam: *Spiritus Domini super me, propter quod vnxit me;* hoc enim de baptismate intelligendum est: quando enim baptizatus est in Iordane; spiritus Domini apparuit ei in specie columbæ. Et Marcus de Maria ait; *fracto alabastro, effudit super caput eius.* Et paulò post Dominus ait: *quod habuit hæc, fecit, præuenit vngere corpus meum in sepulturam.* Ecce, quod inungi voluit.

a] *Ex Conc. Magunt.* Altaria placuit nō solum vnctione Chrismatis, sed etiam sacerdotali benedictione consecrari.

Marci. 6. *Luca. 10.* *Luc. 4.* *Marci. 14.*

Vnctionem [b] laudauit, & vngentem. Quod Dominus laudat & recipit, non laudatis? Nunquid (non) & *mulieres emerunt aromata, vt venirent, & vngerent Iesum?* Nobis igitur aromate, oleo, & vnguento licet vngere. Vnde & Iacobus ait de infirmis: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit* [c] *infirmum, & alleuiabit eum Dominus; Et, si in peccatis sit, dimittentur ei.* Vnde illud, quod legitur in Apocalypsi hæretico homini dicitur; *Vinum & oleum non læseris*: hæretici enim vinum & oleum lædunt, dum spiritalia Ecclesiæ re negant sacramenta. Et Dominus ait per Lucam ad Simonem; *Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos: propter quod dico tibi; remittuntur ei peccata multa.* Ecce habemus, quod per vnctionem & fidem remittuntur peccata.

b] *Dist. 1. de consecr.* Tabernaculū Moysen sacrasse, & sancti olei vnctione, Domino iubente, perhibuisse, legimus.

Matth. 28. *Iacob. 5.*

c] *Cùm constet, quod aliquādo pro peccatis ægrotat homo: Medicus visitans eū, primo debet ægrum monere ad pænitentiam & confessionem, ne peccato manente, tanquam ferro in vulnere, frustra sit, malagma apponere. Sicut de Paralytico primò (patet,) cui remisit Dominus peccata, quæ fuerant causa morbi. Apoc. 6. Luc. 7.*

Et ipse Dominus inunctionem nobis insinuat, quando cæcum à natiuitate curauit. Vnde & Ioannes ait: *Expuit in terram, & fecit lutum ex sputo: & liniuit sputum super oculos eius.* Quid enim per sputum, nisi vnctionem chrismatis, aut olei designamus? Vngere ergò debemus, sicut & Moyses; qui, vt testatur Iesus filius Sirach, vnxit Aaron fratrem suum oleo sancto: Et propter ipsum, consumpti sunt Dathan, Chore, & Abiron, qui ei inuidebant. *Et dilectus à Domino suo Samuel, Domini renouauit imperium,*


Ioan. 9. *Eccles. 45.* *Exod. 16.*

Matth. 15. perium, & vnxit principes in gente sua. Vngere enim & sepelire, pium est, teste Euangelista, qui ait: *Et accepto corpore Ioseph mercatus sindonem, inuoluit eum in sindone, & posuit eum in monumentum, quod erat excisum de petra, &c.* Ecce, in hoc Ioseph pius Matth. 26. fuit, & laudabile fuit hoc eius factum. Et Dominus de Maria ait per Matthæum: *Mittens hæc vnguentum hoc in corpus meum, &c.* Quod autem Maria primò fecit ante mortem, Nicodemus post mortem compleuit in Domino. Vnde Ioannes post passionem Ioan. 19. ait: *Venit ergò & Nicodemus, qui venerat ad Iesum nocte primum, ferens misturam myrrhæ & aloës, quasi libras centum. Acceperunt ergò corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Manifestum est itaque, quod vngere, & [a] sepelire, laudabilia sunt apud Deum.*

a] *Sed obijciunt illud, quod Dominus ait ad quendã in Euangelio:* Sine mortuos sepelire mortuos suos: *quasi dicant; Non est pium sepelire. Sed ideò Dominus dixit: quia, maius bonum, minus bono præponi debet. Melius est enim sequi Christum, quàm sepelire mortuum; cum vtrumque sit bonum. Vnde in lib. 2. Reg. Dauid ait ad viros Iabes Galaad, qui sepelierant Saulem:* Benedicti vos à Domino, qui fecistis misericordiam hanc cum Domino vestro Saul, & sepelistis eum.

Quod peregrinationes facere, sit bonum, & à Deo datum.

CAPVT XII.



Peregrinationis siquidem destruentes Viaticum, loca sancta, (&) sanctorum miracula prohibent visitari: tanquam ignorantes illud, quod legitur; quod malè acquisiuisti in bonis, expende. Quid enim magis pium est, quam locum relinquere naturalem, & ad loca (non) naturalia, se facere peregrinum? Vnde quidam * *metrocanorum* ait, videlicet Ouidius;

* Poëtarum.

Nescio, qua natale solum dulcedine cunctos
Ducit; & immemores non sinit esse sui.

Qui ergò se à tanta dulcedine retrahit, benè facit. Est enim dulcedo illa quasi quoddam desiderium carnale: & à desideriis carnalibus bonum est abstinere; propria autem in bonis vsibus expendere, Dei monitum est. Christum, & amicos Christi visitare; &

re, & hoc, in labore & sudore, sicut [a] Magi venientes Hierosolymam ab Oriente, vt adorarent nouum hominem, nouiter genitum ex matre. Et meritò ab Oriente veniunt, qui Orientem adorare voluerunt. De quo Oriente, ait Propheta; *In quibus visitauit nos Oriens ex alto.* Si ergò ipse nos visitauit, & nos, ipsum visitemus.

Sed forsitan illud obiiciunt; *quòd Deus vbique locorum est, omnia implens loca, & ideo non incessu pedum, sed cordis intuitu debet visitari.* Sed hæc obiectio friuola est. Beatius enim est & pede & corde Deum imitari, quam sola mente, quod Apostoli faciebant: Sicut Petrus, cùm Dominus locutus est ad eum dicens: *sequere me*, non solùm spiritu, imò & corpore eum sequebatur: Similiter & Magi, cùm Dominus vbique esset, & etiam in Oriente; tamen ab Oriente veniunt Hierosolyma; vt ex maiori affectu, maior sequeretur effectus.

Quod autem Magorum peregrinatio bona esset, & laudabilis, Euangelista verbis suis insinuat; quia cùm deuiarent à peregrinatione sua ad Herodem, stella eis non apparebat. Cùm autem ab Herode recedentes ad suæ peregrinationis viam redirent, stella eius iterum comparuit. Nunquid & vos Herodiani estis, Herodem imitantes. Sicut enim Herodes eorum peregrinationem conatus est præpedire sub simulatione dicens eis: *Ite, & quærite diligenter de puero, vt & ego veniens adorem eum*, ita & vos peregrinantes conamini præpedire. Non est igitur dignum, vt vobis compareat stella vera.

Nunquid autem (non) & pastores, monitu Angelico, peregrinando veniunt vsque Bethlehem de quibus ait Lucas; *Transeamus vsque Bethlehem & videamus, &c.* Quare dicunt; *Transeamus.* Videre enim possent, si crederent, licet non transirent. Sed, vt maior notaretur affectus, dictum est; *transeamus*; vt in terram transeundo, videamus. Manifestum est igitur, quòd pastores, primitiæ Iudæorum fuerunt, in peregrinatione fidei: Magi verò, primitiæ gentium: quorum vtrumque non approbant omnes.

Tamen peregrinari debemus, dicentes cum Psalmista; *quis dabit mihi pennas sicut columbæ, &c.* Et alibi idem; *Inquilinus sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei.* Ne pudeat, aliquem esse peregrinum, cùm ipse Dominus peregrinantibus se digne-

Q tur com-

Luca. 1.

a[*Græci Philosophos, hos Persæ magos, appellant. Eorū nomina, Appellius, Ametus, Damascus: Hebraicè, Galgalad, Magalad, Serachim. Hi successores fuerunt Balaam; qui stellam nouerant eius vaticinio. Chrysostomus dicit; Stellam multo antè tempore, quàm Christus nasceretur, eis apparuisse; Et ita multo temporante de longinquo venerūt. Sed tamen in XIII. dieb. super dromedarijs longam viā ire potuerunt.*

Ioan. 21.

Matth. 2.

b]*In Exodo tamen legimus:* Peregrino molestus non eris.

Luca. 2.

Psal. 54.

Psal. 38.

Luca. 20. tur comparare, quia, vt testatur Lucas, cuidam, qui plantauit vineam, & peregrè profectus est, cuius serui interfecti sunt, seipsum contulit: Et, vt testatur, cuidam, qui tradidit talenta seruis suis, & peregrè profectus est, seipsum comparauit: Et, vt testatur Marcus, cuidam, qui seruis suis dedit potestatem cuiusque operis, & ianitori præcepit, vt vigilaret, & peregrè profectus est, se ipsum assimilauit.

Matth. 25.

Marc. 13.

Nec solùm peregrinantibus se comparari voluit; imò & ipse peregrinus factus est, teste Cleopha, qui ait in Luca; *Tu solus peregrinus es in Hierusalem, &c.* Ipse etenim verè peregrinus exstitit; non habens propriam domum, sicut ipse ait: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos, &c.* Et etiam parentes eius peregrini facti sunt. Vnde Lucas ait; *Ibant parentes eius, per omnes annos, in Hierusalem* in die solenni Paschæ. Quare autem ibant in Hierusalem, nisi peregrinationis causa? Apud se enim similiter possent solennia celebrare Paschalia. Sic ergò peregrinantibus magis apparuit stella; & pastoribus Angeli, & Cleophæ Dominus: Similiter & Eunucho Philippus. Vnde in Actibus Apostolorum legimus; *Ecce vir Æthiops, Eunuchus potens Candaces Reginæ Aethiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalem: Dixit autem spiritus Philippo. Accede, & iunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus ait; Putasne intelligis, quæ legis? Qui ait; quomodo* [a] *possum, nisi aliquis ostenderit mihi.* Et omnibus explicatis, baptizatus est à Philippo. Ecce, quod peregrinans meruit conuerti ad Dominum.

Luca 24.

Luca. 9.

Luca 2.

Actor. 8.

Peregrinemur ergò & corde & corpore, passu & mente. Huiusmodi enim peregrinantes recipere monet Ioannes in tertia Epistola ad Caium; *fideliter facis, quidquid operaris in fratres: & hoc in peregrinos.* De quibus paulò post subdit: *Pro nomine enim Domini profecti sunt, nihil accipientes à gentibus.* Nos autem debemus [b] *huiusmodi suscipere, vt cooperatores simus veritatis: pro nomine enim Domini proficiscuntur,* vt dictum est.


[a] Mirabile exemplum eis, qui prædicationis mysterium sibi vsurpant, antequam doceantur. *Et in Leuitico.* Nadab & Abiu filii Aaron ponentes incensũ super altare, q̃ eis præceptum non erat, *scilicet ab Aaron*; deuorati sunt ab igne. [b] *Et cogere eos debemus, vt eos suscipiamus, sicut in Gen. de Loth legitur:* Compulit illos, *id est, Angelos, oppido, id est, multum*; vt diuerterent ad eum: *id est, vt diuortium facerent in domum eius.*

Quod

Quod Ioannes Baptista benè meruit, & saluus est.

P. Moneta li. 4. cap. 1.

CAPVT XIII.



Diffidentes etiam de Domini præcursore, vitam eius repudiant; & baptismum. Idcirco ne repudiant: quia vestes eius camelinæ; zona quoque bidentalis; cibus mel & locustæ: domus eius in deserto? O iniqui. Nunquid (non) admonitu conceptus est Angelico? Nunquid (non) Propheta, & plus quàm Propheta? nunquid non Domini baptizator? nunquid non Domini præcursor? Ergò, si Dominum recipitis; recipite præcursorem. Dominus enim ait de suis, *Qui recipit vos, me recipit: Et, qui me recipit, recipit eum, qui me misit.*

a] *Vnde in Moral.* Quomodo in cibo peccauit, qui solũ locustas & mel edebat? Quomodo in regimine, qui camelorum pilis corp' operuit? quómodo in conuersatione, qui de eremo non recessit? Quomodo in verbo, q̃ disiunctus lõgè ab omnib, fuit? Quomodo in silentio, qui ad se venientes, tam vehementer increpauit dicẽs: genimina viperarum.

Ideone Ioannem redarguitis, quia dixit; *Tu es, qui venturus es, an alium exspectamus?* Sed facilis est solutio, Discipuli enim Ioannis ad ipsum dixerant de Christo; *Magister, ecce, cui tu testimonium perhibuisti trans Iordanem, baptizat: & omnis turba post eum vadit:* quasi dicerent; Nos deserimur, & turba eum sequitur. Ioannes verò misit eos ad Iesum, non solùm, vt interrogarent, sed, vt miracula viderent, & visis miraculis crederent. Vel aliter; Ego quidem ab Herode trucidandus sum capite, & ad inferos descensurus; manda mihi, si te debeam nunciare inferis, qui te præconaui in terris. Sciebat enim Christum ad hoc natum, vt populum saluaret: Et ideo non dixit; tu es, qui venisti, sed, *qui venturus es.* Responsio autem Domini, respondet primæ solutioni. Infirmitati enim discipulorum magis consuluit, quàm suæ ignorantiæ, cùm nihil ignoraret: Dominus enim ibidem eum valdè commendauit.

Matth. 11.

Matth. 11.

Nunquid (non) & Matthæus de eo testatur dicens? *Inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista.* Prædicatio autem eius, valdè bona. Clamabat enim in deserto: *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Et à Domino inspiratus est, Angelo teste, qui ait: *Erit magnus coram Domino; vinum & siceram non bibet: Et Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ: Et* prace

Augustinus. Non regenerabantur, qui baptismo Ioannis baptizabãtur, sed quadã præcursoris illius ministerio, qui dicebat, parate viam Domini. Isaiæ. 40. Luca. 1. Tamen baptismus Ioannis erat baptismus Christi; vt dicit Magister Petrus in sententiis.

præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Ecce, quòd, antequam nasceretur, Spiritu sancto est repletus. Vnde illud; *Priusquam te formarem in vtero, noui te, &c.* Illud idem legimus de Hieremia.

Et etiam in deserto, audiuit verbum Domini; iuxta illud; *factum est verbum Domini super Ioannem Zacharia filium in deserto.* Et à Deo missus est; Vnde Ioannes Euangelista; *Fuit homo missus* [a] *à Deo, cui nomen erat Ioannes, &c.* Et postea subdit: *Vt omnes crederent per illum.* Ecce, quod à Deo missus est, & per illum credere habuerunt: Quid mirum, si non recipitis, cùm nondum credatis? Verè estis ex illis, de quibus Matthæus ait; *Venit ad vos Ioannes in via iustitiæ, & non credidistis: Et, si vultis recipere, ipse est Elias, qui venturus est.*

Si autem Ioannem reiicitis; Angelum Domini reiicitis. Ipse enim Angelus est, Domino attestante, qui ait: *hic est, de quo scriptum est; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, &c.* Et ipse, de se ipso locutus est ad discipulos suos, per Ioannem: *Amicus sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. hoc ergò gaudium meum impletum est.* Ecce, quod amicum sponsi se appellat. Rabanus autem venerabilis presbyter, ait: *Magni meriti credimus eos esse, quorum merita signantur à Deo, priusquam in carne nascantur: quod legimus de Isaac, * & Ismaël, de Salomone & Iosia, de Ioanne Baptista & Domino Iesu. Vnde & Ioannes magni meriti creditur esse:* quia & in vtero matrem Domini salutauit: saltem motu, si non voce. Vnde Elisabeth: *Ecce* [b] *enim, vt facta est vox salutationis tuæ &c.* Et Lucas de eodem ait: *Etenim manus Domini erat cum illo.* Vnde ipsemet Ioannes dixit: *qui post me venturus est, ante me factus est*, id est, dum essem in vtero, vidi eum.

Et meritò *vox clamantis*, dicitur esse Ioannes, qui verbum prædicabat incarnatum; ipse enim Dominum præuenit nascendo, sicut & vox verbum præcedit. Vox enim prima egreditur, & postmodum verbum informatur. Angelus enim de eo dixit: *Ipse præibit ante illum in spiritu & virtute Eliæ, parare Domino plebem perfectam.* Ecce, quod Elias esse asseritur, in spiritu saltē, licet non in personâ. Valdè enim similia peregisse dicuntur isti duo præcones. Elias enim deserta petiit: Ioannes eremum visitauit. Elias [d] zonâ pelliceam habuit circa lumbos. Ioannes pilis camelorum indutus est. Elias pallio aquas Iordanis diuisit, Ioannes in Iordane

Hier. 1.
Vnde in Moral. Vt ita dixerim; antequam nasceretur; renatus est.
Luc. 3.
Ioan. 1.
a] *Quidam hæretici sunt, qui dicunt, Ioannē Angelum esse humanum.*
Matth. 11.
Malach. 3.
Ioan. 3.
* *Legend. videtur:* Israël, *id est, Iacob Patriarcha.*
Luca. 2.
b] *Legimus in li. Iuster. quod B. Maria primo leuauit Ioannem à terra, ministrans cognâta suæ trib. mensibus donec pareret: postea rediit in domum suam.*
Ioan. 1.
Luca. 1.
c] *Vnde in lib. Reg. 4. de Elia:* Vir est pilosus, & Zona pelliccea accinctus renibus.

Iordane baptizauit. Elias in [a] deserto ieiunauit: Ioannes in eremo mel syluestre comedebat. Elias ab Achab & Iezabel persecutus est: Ioannes ab Herode & Herodiade capite truncatus est. Elias in secundo aduẽtu præcursur' est: Ioannes in primo cucurrit aduentu. Quia & ipse Ioannes lucerna erat: Deo attestante, qui ait: *Ille erat lucerna ardens & lucens*, quia, licet in nocte arderet & luceret, diem monuit exspectare. Erat enim, *Nocturna lux viantibus; A nocte noctem segregans.* Ipse enim Propheta, & plus quàm Propheta; qui Dei filium prophetauit & vidit. Sic Hieremias captiuitatem Vrbis præuidit & vidit.

Quod autem Ioannes mel syluestre comedebat & [b] locustas, mysticum est. Mel enim, & locustæ, quæ citò euolant, & breuem, vt testatur Beda dulcedinem suæ prædicationis insinuant, & etiam breuitatem. Nunquid (non) & ipse consanguineus Domini fuit? Elizabeth enim cognata fuit MARIA, teste Luca, MARIA siquidem de tribu Iuda fuit. Elizabeth, verò de genere filiarum Aaron. Legimus namque quòd Aaron de tribu Iuda vxorem duxit, videlicet Elisabetham, filiam Aminadab, sororem Naason, qui fuit Dux tribus Iuda in deserto, cùm egrederentur de Ægypto. Et MARIA & Elisabeth * de eâdem exierunt tribu.

a] *Et David;* Ecce elongaui fugiens, & mãsi in solitudine.

Ioan. 5.

b] *Alicui non videbatur abominabile, quod Ioannes comedebat locustas. In Leuitico enim legimus:* q ambulat sup quatuor pedes, & habet longiora retro crura, comedere debetis, vt est bruchus, attacus, ophiomachus, ac locusta. *Leuit. 11. Luca 1.*

* *Hoc sobriè intelligendum, quia B. Virgo fuit de tribu Iuda; Elisabeth, de tribu Leui, vt patet cap. 1. Lucæ. Sed quia Elisabeth B. Virginis cognata erat, vt ibi vocem Euangelista, vel potius Angelus apud Euangelistam affirmat, ideo Ebrardus vtramq; ex eadem tribu esse ait. Orta est autẽ hæc cognatio inde, teste S. Augustino q. 47. in* librum Iudicum, *quod aliquis ex tribu Iuda duxerit vxorem ex tribu Leui, à quo B. Virgo originem traxerit.*

Quod licitum sit iurare, & iurando verum affirmare.

P. Moneta lib. 5.

CAPVT XIV.



Falsitatis siquidem sectatores, pietatis prætendentes quasi vmbram, veritatem affirmare non permittunt. *Quid est enim iuramentum, nisi veritatis firmamentum?* Qui enim iurat verum affirmat; vel, falsum negat: quorum vtrumque satis est sustinendum. Cuius

 autem

autem finis bonus eſt, ipſum quoque bonum eſt; hæc eſt Maxima. Ipſi verò inuident veritati; ne affirmemus cùm ſint falſi: malè intelligentes illud, quod à Domino dicitur; *Dico autem vobis, non iurare omninò.* Quidam enim ebrioſi mendaces, iracundi, aleatores, [a] proterui iurando dilacerant Chriſti membra: Et, quod magis eſt abſurdum, ipſum etiam & eius opera iraſcendo diffitentur. Talibus, dictum eſt: Non [b] iurare omninò, velut ſuperius dictum eſt in tertio capitulo.

Iurare *omninò*, eſt tam de re incerta, quàm de re certa iurare: Et ſecundum hoc non prohibet iurare; ſed, *omninò* iurare. Non enim prohibet [c] iurare, hoc eſt, veritatem affirmare; cùm ipſe ſit veritas, qui enim verum dicit, non laborat. Vnde & Matthæus ait; *Sit autem ſermo veſter, eſt, eſt, non, non.* Affirmantes enim veritatem, debemus dicere, *eſt, eſt.* Negantes verò falſum; debemus dicere, *non, non.* Qui enim iurat non periurans, nihil peccat. Vnde Dauid in ſpiritu ſancto loquens ait: *qui* [d] *iurat proximo, & non decipit*: Et ſtatim ſubdit: *qui facit hoc, non mouebitur in æternum.* Nunquid (non) & Prophetæ veritatem affirmare volentes, ſic iurabant? *Viuit Dominus.* Vnde Hieremias; *Et iurabis; Viuit Dominus, in veritate, & iudicio, & iuſtitia.* Et Paulus ſic iurabat: *Teſtis eſt mihi Deus*, & aliis multis modis.

Matth 5. a] *Iſid. Multi dum loquuntur, iurare ſemper delectantur.* b] *Vel, ſicut Magiſter Petrus ait in Pſalterio*: Grauiſſimi iuriſiurandi eſt genus, cùm homo ſibi imprecatur, vt, ſi fecit hoc, diſſipet me Deus, quod prohibet Dominus dicens: Non iurare omninò: Excuſatur autẽ Dauid, cum dixit; Meritò decidam ab inimicis meis inanis, quia, non imprecando, ſed prophetando dixit. c] *Iſid. ſenten. lib.* Non eſt contra præceptum Dei, iurare; ſed, dum vſum iurandi facimus, Periurium enim aliquando incurrimus. *Et in Moral. Gregor.* Duobus modis labiis delinquimus, cùm aut iniuſta dicimus: aut iuſta tacemus. Vnde Propheta ait: Væ mihi, quia tacui. [d] *In Deut.* Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies; ac per nomen illius iurabis. *Pſal. 14. Hier. 4. Rom. 1.*

Vos autem huiuſmodi affirmationem veritatis præcauentes, falſitatis irruitis in ſpeluncam. Nihil enim affirmatis: nec etiam, Deum eſſe; ſed omnia ſub dubio proponitis dicentes; *ſic putamus, ſic arbitramur; videtur nobis, forſitan, ſi ſic eſt, ſi contigerit.* Ecce, hæc [e] dicitis, vt mendaces non ſitis. In hæreſim autem incidistis. Quid enim hæreſis, niſi dubitatio, ab *hæreo*, **hæres*, dicta? In hoc enim, quod dubitatis, hæretici eſtis. De quibus dicitur; Et dum quærunt medium, vergunt in contrarium. *Fallit enim vitium ſpecie virtutis.*

Iſid. Plerumque ſine iuramento loqui diſponimus: ſed incredulitate eorũ, qui non credunt, iurare compellimur. e] *Obijciunt illud Zachariæ*, Omnis fur iudicabitur, & omnis iurans. *Et non conſiderant illud, quod ſtatim ſequitur.* Et venient ad domum iurantis in nomine meo mendaciter. *Et illud*; Iuramentum mendax ne diligatis. *De mendaci enim loquitur iuramento, non, de vero.* * *Inſinuauit iam alibi Ebrardus hanc notationem vocabuli* Hæreſis: *ſed venia danda Græcè non peritiſſimo.* *hæreo,* * *hæres.*

Si autem iurare peccatum esset, Dominus minimè iurasset. Quia iurauit, teste Paulo ad Hebræos, *quibus autem iurauit, non introire in requiem ipsius, nisi illis, qui increduli fuerunt?* Et paulò antè dixerat: *Quapropter sic dicit spiritus sanctus: Hodie si vocem eius audieritis, nolite obdurare corda vestra, &c.* Et subdit: *quibus iuraui* [a] *in ira mea, &c.* Et iterum ad Hebræos ait; *Abrahæ namque promittens Deus; quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit per semetipsum dicens; Nisi benedicens benedicam tibi, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem, homines enim per maiorem sui* [b] *iurant: Et omnis controuersiæ eorum finis, ad confirmationem, est iuramentum. In quo abundantius volens Deus ostendere, pollicitationis hæredibus immobilitatem consilij sui, interposuit* [c] *iusiurandum.*

Nunquid non (&) Christus cum iuramento factus est sacerdos, sicut Paulus testatur ad Hebræos dicens: *Alij quidem sine iureiurando sacerdotes facti sunt. Hic autem*, scilicet Christus, *cum iureiurando, per eum, qui dixit ad illum: Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum, &c.* Et subdit; *Lex enim homines constituit sacerdotes, infirmitatem habentes; sermo autem iurisiurandi, qui post legem est, filium in æternum perfectum.* Et secundum hoc, illud, quod cum iuramento factum est, dignius est, quam illud, quod factum est sine iuramento.

Et etiam in Actibus Apostolorum, Petrus Dominum iurasse attestatur dicens; *Viri fratres, liceat audenter dicere ad vos de Patriarcha Dauid, quoniam defunctus est, & sepultus est; & sepulchrum eius apud nos est vsque in hodiernum diem. Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus; de fructu ventris eius sedere super sedem eius, prouidens locutus est de resurrectione Christi.* Ecce, Deum iurasse ad Dauid, dicit Petrus. Vnde & in Psalmo legimus; *Semel iuraui in sancto meo, &c.* Ecce tot modos assignauimus, quòd licitum sit [d] iurare, hoc est, veritatem affirmare, Vos verò veritatem dicere non vultis. Veritatem enim non dicit, qui sub dubio loquitur.

Quòd autem sub dubio loqui debeatis, obiicitis illud Iacobi, qui ait; *Pro eo, vt dicatis, si Dominus voluerit, aut si vixerimus, faciemus hoc, aut illud.* O dubij: de eis, quæ facturi estis, *in futuro* dixit

Heb.3.

Ibidem.

a] *Gen.* Iacob ad Esau, Iura mihi: Et iurauit Esau: & vendidit primogenita.

Hebr.6.

b] *Vnde in Ge. Abimelech ad Isaac ait:* Sit iuramentũ inter nos, & ineamus fœdus, vt non facias nobis quidquã mali.

c] *Vnde & Isaac Vxere habuit iure iurando. Vnde Abraham ad seruũ ait in Gen.* Pone manus tuas super femur meum, vt adiurem te per Deum cæli, ne accipias vxorem filio meo de filiabus Cananæorũ. *Iurare super femur Abrahæ, est iurare per Christum, qui de femore Abrahæ exiuit, id est, de genere eius.*

Hebr.7. Ibidem. Actorum.2. Psalm.88: [d] *Alcuinus;* Periuria facit, quæ lex vetat: Periuria dicit, non iuramenta. *Iacob.4.*

dixit Iacobus: non de eis, quæ ad Deum pertinent, aut ad verum. Nunquid autem Dominus dubiè verba proferebat? Absit: imò assertiuè dicens; * *Amen, amen dico vobis.* Vnde quidam Sapiens ait: *Quodammodo, si dici fas est,* [a] *iuratio eius est:* Et secundum hoc, assertiuè, non dubiè, quod verum est, affirmare debemus, non mussare. Dominus enim non mussabat, cùm ait per Isaiam: *Sicut in diebus Noë istud mihi est; cui iuraui, ne inducerem aquas Noë vltra super terram: sic iuraui, vt non irascar tibi, & non increpitem te. Misericordia autem mea non recedet, & fœdus pacis meæ non mouebitur.*

Et iterum Isaias ait: *Iurauit Dominus in dextera sua, & in brachio fortitudinis suæ: si dedero triticum tuum vltrà cibum inimicis.* Quid est autem Dominum iurare *in dextera,* nisi in filio: Dextera namque eius, filius eius. Vnde & à dextris eius sedere dicitur. Vnde Dauid; *Emitte manum tuam de alto,* id est, filium tuum. Et alibi; *Dextera Domini fecit virtutem, &c.* De iuratione autem Domini loquitur Ecclesiastes dicens; *Ego os Regis obseruo, & præcepta iuramenti Dei.* Et Salomon in libro Sapientiæ. *Multâ diligentiâ indicasti filios tuos, quorum parentibus iuramenta & conuentiones dedisti bonarum promissionum.* Et subdit: *Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.* Et hæc de iuramento sufficiant.

* *In Veteri Testamento iuramentum Dei est,* Viuit Dominus. *in nouo:* Amen dico vobis: *aliis simpliciter. Solus Ioannes geminat, iuxta illud;* fit sermo vester est, est, non, non, *quasi diceret, Verè dico, corde & ore.*

a] *Isid.* Iurare Dei est illa prouidentiæ, qua statuit non cõuellere statuta.


Isaia. 54. *Isaia. 62.* *Psalm. 109.* *Psal 143.* *Psalm. 117.* *Ecclesi. 8.* *Sap. 12*

Illi etiam peccant, qui iurant per animam Iouis, quia legimus in Exodo; Per nomen externorum Deorum non iurabitis; neque audietur ex ore vestro. *Dauid enim ait:* Laudabuntur omnes, qui iurant in eo *id est, in Domino.*

Quod punire debeamus malefactores, & etiam occidere.

CAPVT XV.

F. Moneta cepione lib. 5.



Blandimenta quoque fistularum prætendentes, non auium, sed hominum nouitati sunt aucupes, & verborum venustate phalerata, piæ religionis pallium præferentes, hamos & retia subiiciunt falsitatis. Cùm sint enim mali, tanquam suæ sibi conscii malitiæ, sibi timent, & malos prædicant non puniri.

Hoc autem [a] pietatis intuitu non prædicant, sed timoris. Bonitati etenim inuidentes sub obtentu bonitatis, malorum malitiam esse volunt impunitam: quæ, si esset impunita, mali malorum mala producerent in exemplum. Hoc inde malum sequeretur. Mala est ergò eorum sententia: ex quo malum malè prodit in exemplum. Sententiam igitur approbantes meliorem, eum, qui bonis bona, malis mala daturus est, imitemur. Scriptum est enim, *malos malè perdet, & vineam suam locabit aliis agricolis.* Quod, si iustum est, iniustum esse, quis concludet? Nunquid autem (non) in Dauid approbatur mors Goliæ? Et in Iudith, occisio Holophernis? Vnde & Paulus eos commendat in hoc, dicens ad Hebræos: *Quid dicam? deficiet enim me tempus enarrantem; de Gedeon, Barac, Samson, Iephthe, Dauid, Samuel & Prophetis: qui, per fidem vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromißiones; fortes facti sunt in bello. Castra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de resurrectione mortuos suos.* Et paulò ante dixerat: *Fide muri Iericho corruerunt, circuitu dierum septem.* Ecce, quod in euersione infidelium eos commendat.

Sed obiiciunt; quia dictum est; *Non occides.* O præuaricatores legis, intendite legem. Nunquid (non) occisor est, qui consentit occisori? Nunquid (non) docetis homines, vt occidant, cùm occisores, hypocritas, latrones, idololatras docetis non puniri? Consentientes etenim & facientes pari pœna puniuntur. Vnde Ezechiel Propheta ait: *Si non [c] annunciaueris iniquo iniquitatem suam; sanguinem eius de manu tua requiram.* Nam, vt Rabanus ait: *Manifesta mala, qualia sunt furta, adulteria, falsa testimonia, homicidia, hæreses, non solum reprehendenda, sed iudicanda sunt: Et, cum quadam [d] violentia corrigenda: ne, si, vt illicita, non resecentur, velut licita perpetrentur.* Vnde Paulus ait: *Peccantes coram omnibus argue.* Et Salomon: *Responde stulto iuxta stultitiam suam, ne sibi sapiens videatur.* Ad hoc enim diuina iustitia statuta est in Ecclesia, vt esset pastor super plebem suam, & princeps, super populum suum: vt, vnus peccantes corrigat; alter, corrigere nolentes, puniat. De qua iustitia Propheta loquitur dicens: *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.* De punientibus autem Petrus

R

a] *Isid. in lib. sent.* Plerique mali similes sibi in malũ defendunt; ne, vnde displicēt, emendentur. Hi coquunt hœdum in lacte matris suę, *id est, peccatorem in delicijs suis: defendentes dissoluunt: cùm potius asperè redargui deberent.* *Matth. 21.* *Heb. 1.*

b] *Sicut illud in Gene.* Quicunque effuderit humanũ sanguinē, fundetur sanguis illius. Ad imaginem quippe Dei factus est homo. *Sol. humanum dixit, id est, humanè vixerit. Si enim inhumanè vixerit; desinit esse humanus.* *Ezech. 3.*

c] *Vnde in lib. Num.* Si non occideritis habitatores terræ illius: quidquid illis facere cogitaram vobis faciam.

d] *Isid. in lib. sent.* Cùm dolore abscindenda vulnera, quæ leniter sanari non possunt, *1. Tim. 5. Prouerb. 26. Greg in Mor.* Plerunque cùm mansuetudinem seruare cupimus, à iustitiæ rectitudine declinamus; sed vtrumque seruare debemus loco suo. *Sapien. 1. 1. Pet. 2.*

trus ait: *Serui, subditi estote omni humanæ creaturæ propter Deum, siue Regi, quasi præcellenti: siue ducibus, tanquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, quia, sic est voluntas Dei.* Missi ergò sunt duces, vt vindicent mala. Et Deus malorum vult vindictam.

Rom. 13. Vnde & Paulus ad Romanos ait: *Omnis anima, potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et iterum: *Si autem malè feceris, time: non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in ira ei, qui malè agit. In hoc enim tributa præstatis:* [a] *ministri enim Dei sunt: in hoc ipsum seruientes.* Ecce, quod malorum vindices in hoc Deo seruiunt: Vnde eis obediendum est, & seruiendum. Vnde illud ad Ephesios: *Serui obedite Dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis vestri, sicut Christo. Et Domini, eadem facite illis, remittentes minas; scientes, quia illorum & vester Dominus est in cælis.* Ecce, tot habemus argumenta, quod mala vindicare debeamus.

a] *Isid.* Plerũque princeps iustus, etiam malorum errores dissimulat; non, quòd eis consentiat; sed aptum tẽpus correctionis expectat: vt eorum vitia, vel emendare valeat, vel punire.

Ephes. 6.

Quod autem dictum est: *Non occides*: ad quemlibet dictum est, ne quis seipsum occidat malè credendo, & malè operando: aut, alium iniustè, & sine causa interficiat. Multi autem occidunt; qui se occidere non æstimant. Hæretici enim multos occidunt; licet ferro neminem tangant. Diabolus enim, non ferro accinctus, aut gladio armatus ad primum hominem venit; verbum malum seminauit: in quo verbo, eum occidit. Vnde & homicida ab initio appellatur solo verbo. Similiter & hæretici, mala verba seminantes, occidunt malè persuadendo. Vnde Dauid:

Psalm. 56. *Filij hominum, dentes eorum arma & sagittæ, & lingua eorum machæra acuta.* Arma igitur & sagittas habentes occidunt hæretici. Nunquid non verbum Dei impunè (sc) flagellare putant? dicentes, domum Dei esse speluncam latronum. *Non sic impij, non*

Psal. 1. & 2. *sic: sed, tanquam vas figuli confringet eos.* Hæretici enim oues, & boues, & columbas vendentes, Ecclesiam Dei, *domum negociationis* faciunt. Oues enim vendunt; cùm suam simplicitatem ostendunt, vt fauorem habeant hominum; & columbas similiter. Boues vendunt; cùm carnis tribulationem superstitiosè prætendunt: & ideò, mercedem receperunt. Sed Dominus flagellum de funiculis faciens, eos ab Ecclesia expellit & flagellat. Peccantes ergò, licet flagellare, & ab Ecclesia expellere.

De funiculis autem ait Propheta; *Væ his, qui trahunt peccata*

sicut

sicut vestem longam. Et Isaias: *Et erit pro suaui odore, fœtor, & pro* Isaia 3.
Zona funiculus. De quibus funiculis fit mentio in Euangelio; cùm dicitur à Domino; *Ligatis manibus & pedibus eijcite in tenebras exteriores.* Matth. 22.

Nunquid autem (non) tonitruis, grandinibus, tempestatibus, frigoribus, caloribus & similibus interficiuntur homines? tamen omnia operatur vnus atque idem Deus, sicut in Capite de creatione rerum prædictum est: qui enim dat viuere; dat & mori. Nam & mala, quæ ingerit diabolus malis, * mandato Domini ingeruntur; quod innuit Salomon cùm ait: *Semper iurgia quærit malus: Angelus autem crudelis mittitur contra eum.* Et iterum de Iob dixit Dominus ad Satan: *Ecce vniuersa, quæ habet, in manu tua sunt: tantùm ne in eum extendas manum tuam.* Et in Euangelio multis locis reperitur, de dæmoniacis illud idem: Nec solùm dæmones mittere dicitur ad cruciandum malos, imò ipse cruciat & occidit: Vnde Petrus in secunda Epistola: *Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit, sed carceribus inferni retrudens tradidit: & ciuitates Sodomorum & Gomorrhæorum in cineres redigens, euersione damnauit: exemplum eorum, qui impiè acturi sunt ponens. Et iustum* [a] *Loth oppressum, à nefandorum impudica conuersatione eruit, aspectu enim & auditu iustus erat, &c.*

* *Hoc de malis pœna accipiendum. Etsi & ista sæpè solo permissu Dei hominibus obueniunt.*
Iob. 1.
Prouerb. 17.
2. Pet. 2.

Ecce Deus hoc faciens, exemplum posuit eorum, qui malè agunt; quod similiter de eis faciendum sit. Insinuat enim Lucas; quòd Dominus voluerit Petrum percussisse Malchum cum gladio: Petrus enim ait; *Domine, si percutimus in gladio. Et percussit vnum ex illis seruum Principis, & amputauit auriculam eius dexteram. Respondens Iesus ait; sinite vsque huc.* Percussionem non prohibuit, sed vlterius quid, facere non permisit. Et idem alibi ait: *Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his, qui occidunt corpus, &c. Ostendam autem vobis, quem timeatis; timete eum, qui, postquam occiderit, habet potestatem mittere in gehennam.* Vnde & Iob ait; *Etiam si occiderit me, in ipso sperabo.* Et de muliere in adulterio deprehensa ait; vt testatur Ioannes: *qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat.* Ecce lapidem mittere iussit, si sine peccato essent. Non lapidationem arguit, sed, peccata eorum. Ipse ergò Dominus, qui sine peccato est, lapidem mittere in illam potest, misericors in miseram. Lapidem verò misit, cùm dixit; *Vade, & amplius iam noli peccare.*

b] *Gregor. in Moral.* In hoc Loth laudabilis est, quia cũ malis bonus extitit. Non valdè laudabile est, bonum esse cũ bonis; sed, bonum esse cum malis. Vnde illud: Vir erat in terra Hus nomine Iob.
Luca. 22.
Luca. 12.
Iob. 13.
Ioan. 8.
Ioan. 8.

Nec fossum lapidationem approbat; imò & subuersionem in mari, sicut ipse ait in Euangelio: *Qui scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, &c.* Si autem dixeritis, ô hæretici, quod spiritualiter intelligi debeat, similiter & tota lex: quare ergò vituperatis legem? Vobis enim dicere possumus, quod Dominus dixit ad Saducæos: [a] *Erratis, nescientes scripturas.* Nunquid (non) & nutu Dei facta est destructio Hierosolymitana post XLII. annos suæ passionis? qui pro eo, quod patrem & filium non receperant; à patre & filio, scilicet à Tito & Vespasiano meruerunt captiuari: quia die Paschæ filium Dei crucifixerant; die Paschæ ab hostibus circumuenti sunt: Et eadem prædicta sunt eis à Domino.

Matth. 18.
Matth. 19.
a] Scripturæ enim aliis, sunt odor mortis in mortem: aliis odor vitæ in vitam, teste Apostolo.

Paulus etiam Antichristum manu Domini periturum attestatur ad Thessalonicenses: *Tunc reuelabitur ille iniquus, quem Dominus Iesus interficiet spiritu oris sui.* Ipse enim est qui ait per Lucam; *Veruntamen inimicos meos, qui noluerunt me regnare super se, adducite huc, & interficite ante me.* Ecce quod Dominus interficere iubet incredulos, & etiam infideles. Vnde & Salomon in libro Sapientiæ: *Tu es, Domine, qui* [b] *vitæ & mortis habes potestatem: deducis ad portas mortis & reducis.* Ergò Deus dat mortem. Quid est, dare mortem, nisi interficere? Et Iesus filius Sirach: *Multi ceciderunt in ore gladij:* Sed non sic, quomodo qui interierunt per linguam suam. De hæreticis enim dictum est; qui *linguis suis dolosè agunt*, & interimunt; *iudica illos Deus.*

2. Corinth. 2.
2. Thes. 2.
Luca. 19.
Sapien. 16.
b] *Vnde in lib. 4 Reg. Rex Israel cum legisset literas regis Syriæ, ait;* Nunquid Deus sum, vt occidere possim, & viuificare.

Nunquid non & angeli interficiunt, iuxta illud, quod in Actibus Apostolorum reperitur de Herode: *Confestim autem percussit eum Angelus Domini; eo quod non dedisset honorem Deo: & consumptus à vermibus, exspirauit.* Et in Apocalypsi: *Exiuit alius equus rufus; &, qui sedebat super eum, datum est ei, vt sumeret pacem de terra; & vt inuicem se interficiant, datus est illi gladius magnus.* Et subdit: *Data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, &c.* Aliquo data est ei potestas, nisi à Domino? scriptum est enim: *sine me nihil potestis facere.*

Eccles. 28.
Psal. 5.
Actor. 12.
Apoc. 6.
Et ... 6 ...
Angelus ait ad Balaam. Nisi asina declinasset de via, dans locũ mihi resistenti, te occidissem.

Nunquid etiam & verbis ipsius Petri Apostoli Ananias, & vxor eius Saphyra ceciderunt? nec resuscitati sunt, sed sepulti, vt in Actibus Apostolorum legimus. Nunquid (non) & Elias multos morte affecit? & propriâ manu, igne diuinitus impetrato? Tamen cum Deo est, morte adhuc dilata. Iustum est enim:

Ioan 15.
Actor. 5.
3. Reg. 18.
4. Reg. 1.

est enim, impiorum peccamina retundere, iuxta illud Salomonis, qui ait; *Dißipat impios rex sapiens: incuruat super eos fornicem.* Et idem: *Dominus configet eos, qui confixerunt animam eius.* Vnde Ecclesiastes ait; *Tempus occidendi, & tempus sanandi.* Et idem subdit: *Etenim, quia citò non profertur contra malos sententia, absq; vllo timore filij hominum perpetrant mala.* [a] Bonum est ergò sententiam dare vni, vt timeant multi. Dicit enim Horatius Flaccus; *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Si autem altius * *Theoremus*; Dominus seipsum voluit occidi, iuxta illud: *se volente, natus, ad hoc paßioni deditus.* Si [b] ergo occidi voluit; aliquē esse homicidam voluit: alioquin enim occidi non potuit. * Voluit ergò Iudæos esse homicidas. Si enim noluisset; homicidæ non fuissent. Hoc autem dico, vt impediantur hæretici in reprehensione. Sed, ne errorem credatis fratres, Iudæis, quia voluerunt, non mutata est voluntas; & ideò data est illis facultas pessimæ voluntatis: sicut hodie datur multis. Liberum enim habemus arbitrium. Vnde Apostolus ait: *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum; gentibus autem stultitiam.* Ecce ruina duplex, mors gemina, occisio non vna. Iudæi enim in scandalo; gentes verò in stultitia moriuntur sua. Ruina siquidem vtrorumque Iesus Christus. Vnde à Simeone dicitur: *Ecce positus est hic in ruinam.* Ipse enim Dominus *lapis offensionis* sæpissimè appellatur, & *petra scandali.*

Nunquid (non) & ipse Dominus ea, quæ nociua sunt, creauit, ad vindictam malorum? Vnde illud; *Bestia, & dentes scorpij, & serpentes, omnia in vindictam creata sunt.* Et ipse Dominus ait: *Per me reges regnant, & conditores legum iusta decernunt:* Leges ergò & legum decreta iusta sunt, ad quos loquitur Propheta dicens; *Diligite iustitiam, qui iudicatis terram.*

Vos autem, ô rebelles fidei, cùm sitis homicidæ, homicidas occidere prohibetis, & pugnare contra infideles. Quod quidem homicidæ sitis, probat Salomon qui ait: *Qui subtrahit aliquid à patre suo, & à matre, & dicit, hoc non est peccatum, homicida est.* Quod similiter pugnare debeamus, insinuat Ioannes in Apocalypsi dicens; *Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone:* Et subdit: *Et ipsi vicerunt illum.* Si ergò pugnant Angeli, & nobis pugnare pro fide, est licitum.

Prouerb. 20.
Prouerb. 22.
Eccles. 3.
a] *Vnde in Actibus Apostolorum legimus, quod mortuo Anania & Saphira nemo audebat se finaliter iungere Apostolis, timore eiusdem pœnæ.*
* *rem contemplemur.*
* *Voluit permittendo non approbando. Et si noluisset, hoc est, si non permisisset, homicidæ non fuissent.*
1. Corin. 1.
Luca. 2.
Eccle. 39. sensu.
Sapien. 1.
b] *De his legimus in Osee:* Peccata populi mei comederunt. *Cur autem peccata populi comedere dicuntur; nisi, quia peccata delinquentium fouent, ne temporalia amittant stipendia.*
Prouerb. 28.
Apocalyp. 12.

Notatio ad Caput XVI. Ebrardi.



Aldenses opera externa nimis extollebant, fide neglecta. Ebrardus contrà tendit, & fidem extollit; qui dum totus in hoc est, in alteram partem nimium declinauit, & nonnulla duriuscula effudit, quæ in sinistram partem accipi possent, nisi Auctoris scopus inspiciatur. VValdenses, & Sectarij contra quos disputat, omnia tribuebant operibus, & quidem externis, ijsque mirificè gloriabantur. Ebrardus ostendit, hoc præposterè fieri, nam fidem primò quærendam, tum opera, opera enim vera ex fide; non fidem ex operibus proficisci. Hinc digreditur in laudes fidei, & quicquid scriptura de fide magnificè prædicat, id totum fermè adducit.

Caue autem existimes, Ebrardum celebrare & decantare solam seu solitariam illam fidem Hæreticorum nostri temporis, cui soli & vnicæ iustificationem & salutem æternam adscribunt; Minimè verò, sed fidem viuam, & charitate Dei super omnia, informatam prædicat, eamque potiorem esse operibus externis affirmat; nam sine hac neminem iustificari; sine operibus autem (externis scilicet) homines iustificari: Itē sine fide illa viua neminem vnquam beatitudinem consequi; at aliquos etiam sine externis istis operibus beatitudinem adeptos esse; & pro exemplo adfert Latronem in Cruce, quem sola fide, (viuam formatamque intellige) saluatum ait, absque operibus, quia eò vsque in sceleribus & latrocinijs vitam egerat.

Verùm ipsa publica confessio latronis in Cruce, & reprehensio socij, qui ad sinistram; in Christum iniuriosi & blasphemi, præclarissimum opus, & quidem externum, & vita æterna omninò meritorium fuit, vt & oratio ad Christum;

stum; Domine memento mei, cùm veneris in Regnum tuum; *quia ex sententia Theologorum, secundum legem Dei ordinariam adultis necessaria sunt merita ad vitam æternam consequendam; hoc enim Scriptura tradit, quoties ait; Deum* vnicuique redditurum secundum sua opera. *Quod si quem ponamus statim ac in gratiam receptus est, è vita excedere, dicendum erit, talem per dispositiones, quibus se disponit ad gratiam, promereri gloriam; Nam dispositiones vt à gratia procedunt; meritoria sunt gloriæ, quemadmodum rectè docet Gregorius de Valentia Tom. 2. Disp. 8. q. 6 p. 4. Cætera in notatiunculis ad singula loca Ebrardi.*

Quod fides operibus præualeat, & fides primo quærenda sit.

CAPVT XVI.



Idem quoque negligentes Christianam Christi discipulos se faciunt appellari, cum sint potius Antichristi. In operibus enim solummodo confidentes, fidem prætermittunt, cùm fides operibus potius sit præponenda. Reuoluens etenim paginas scripturarum, opera præter fidem valere non reperi. 1. Fidem verò, præter opera, valere multotiens annotaui. O Antichristi præcursores audite Christum, qui ait, teste Matthæo, cum ficulnea aruisset. *Amen dico vobis, si habueritis fidem, non solum de ficulnea facietis, sed et si monti dixeritis; Tollere, & iacta te in mare fiet.* 2. Et Lucas ait; *Omnia, quæcunque petieritis in oratione, credentes accipietis.* Dixit: *Credentes*, non, *operantes*; opera enim fidem sequuntur, non fides opera. Vnde Dominus in Euangelio Ioannis respondit ad turbam quærentem: *quid faciemus, vt operemur opera Dei? Hoc* [a] *est opus Dei, vt credatis in eum, quem misit*

Matth. 21.

Ioan. 6.

a] *Isid. in lib. senten. 2.* Deus,

misit ille. Ecce, quod *credere*, hîc appellat *operari*. Omnis enim, qui credit, operatur. Sed non omnis, qui operatur, credit. Fides enim præcellit operibus. Vnde Paulus ad Romanos: *Vbi est ergò gloriatio tua? Exclusa est. Per quam legem? factorum? Non. Sed per legem fidei.* Et ad eosdem subdit: *Arbitramur enim hominem iustificari per fidem, sine operibus legis.* Vnde iterum subiungit: *Ei verò, qui non operatur; credenti autem in eum qui iustificat impium, reputabitur fides eius ad iustitiam*, teste Dauid in Psalmo XXXI. *Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.* In quo ostendit beatitudinem hominis, *cui Deus accepto fert iustitiam sine operibus.* Hæc sunt verba Pauli. Et postea ait: *Dicimus enim, quia reputata est Abrahæ fides ad iustitiam.* Non enim omnis homo, 3. ex operibus saluatur: sed, gratiâ & 4. fide: vt [a] latro, qui pependit in cruce. 5. Nulla quidem eius merita præcesserunt; qui, de * fauce in iudicio, de iudicio in lignum, de ligno in paradisum translatus est, per 6. fidem solam: Et illam habuit ab eo, qui iuxtà pependit. Vnde Dauid: *Pro nihilo saluos facies eos*, id est, nullis 7. præcedentibus meritis. Hæc est enim Dei misericordia: quam innuit Paulus ad Romanos dicens: *Sic ergò & in hoc tempore reliquiæ secundum electionem gratiæ, saluæ factæ sunt. Si autem gratia, iam non ex operibus: aliòqui gratia iam non est gratia.*

si creditur, merito inuocatur & quæritur. Ac per hoc tum perfectè laudatur, quando & creditur.

Rom. 3.

Ibidem.

Rom. 4.

a] Isid. Reus quidem ille, & fraterno sanguine venit cruentus, sed diuina gratia in cruce mutatus, paradisum adiit.

* de carcere in iudicium, fortè leg.

Psal. 55.

Rom. 11.

Ecce patet; quòd gratiam Dei destruunt hæretici, qui, 8. se operibus suis saluari, gloriantur, magis, quam Dei gratia: quibus obuiat Paulus ad Ephesios dicens: *Gratia enim estis saluati per fidem, & hoc, non ex vobis, donum enim Dei est; non ex operibus, ne quis glorietur.* O stulti, 9. quid gloriamini in operibus? Nunquid (non) fides opus Dei est, sic vt dictum est? Vnde idem ad Thessalonicenses ait: *Sine intermissione memores operis fidei vestræ.* Multi enim operantur, in quibus fides non completur. Vnde idem ad eosdem loquens ait: *Orantes, vt videam faciem vestram, & compleamus ea, quæ desunt fidei*: Complementum enim fidei, hominem saluat. Vnde in Actibus Apostolorum carcerarius ad Paulum ait: *Domine, quid me oportet facere, vt saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in Dominum Iesum, & saluus eris tu, & domus tua.*

Ephes. 2.

1. Thessal. 1.

1. Thessal. 3.

Actor. 16.

Nonnulli enim 10. sola fide saluati sunt: sicut in Abacuc Propheta legimus; *Iustus autem in fide sua viuet.* Cui satis Dominus respondet in Euangelio dicens: 11. *Qui credit in me, etiamsi mortuus*

Abac. 2.

Ioan. 11.

mortuus fuerit, viuet. Vnde ad mulierem duodecim annorum menstruatam dicitur in Matthæo: *Confide filia; fides tua, te saluam fecit. Et salua facta est mulier, ex illa hora.* Ecce quod fides saluam fecit eam. 12. De operibus nullam mentionem fecit. Et in eôdem Dominus ad cæcos ait: *Creditis, quia possum hoc facere vobis? Dicunt ei; vtique Domine; Et tetigit oculos eorum dicens: secundum fidem vestram fiat vobis,* non, secundum opera. Nunquid & (non) alibi ait in Matthæo. *O mulier magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis.* Similiter Dominus ait ad Archisynagogum in Luca; *Noli timere, tantummodò crede.* Ecce, *tantummodo,* dixit, *crede*, excludens omnia, præter fidem. Fides enim potens omnium est, Domino teste, qui ait in Marco, *Si potes credere; omnia poßibilia sunt credenti.* * Credenti dicit, 13. non, *operanti.*

Matth. 9. Matth. 15. Luca. 8. Loca hæc præcipuè intelligantur de fide impetrandorum miraculorum. Marc. 9.

Sed forsitan obiicitis illud Iacobi dicentis; *Quid proderit, fratres mei: si quis dicat se habere fidem, opera autem non habeat:* Et illud; *Ostende mihi fidem tuam sine operibus; & ego ostendam tibi ex operibus fidem meam.* O miseri; nunquid (non) baptizatis fides opus est, vt sæpe diximus? 14. Quid operatus est latro suspensus, nisi quod fidem habuerit? In eâdem enim hora, qua confessus est, interiit, cùm nihil boni fecisse legatur. Fides enim bona, mala vincit opera. Vnde Ioannes in prima Epistola: *Hæc est victoria, quæ vincit mundum fides vestra. Quis est autem, qui vincit mundum, nisi, qui credit; quia Iesus est filius Dei?* Et ideò, ô stultissimi hominum, miramini arborem, non radicem. Opera miramini, & non fidem. Totum tamen, quidquid vos delectat in arbore, de radice habet surgere: In domo iacentes, nescitis fundamentum. Fidem quidem, non videtis. Fides enim est, quod non vides, credere. Vnde Iesus filius Sirach: *In opere omni, crede ex fide.* hæc est enim consummatio mandatorum. Vnde quidam ait. 15. *Crede tantum, & est satis*: non est tuæ facultatis soluere corrigiam.

Iacob. 2. * Quia Dominus de fide miraculorum loquebatur. 1. Ioan. 5. Ecclesi. 32.

Nunquid (non) & Zacharias mutus factus est, quia non credidit? cui dixit Angelus, teste Luca; *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, pro eo, quod non credidisti verbis meis.* Similiter & verba vestra muta sunt, ô hæretici: quia, non creditis: Vobis enim dictum est illud Lucæ; *Vbi est fides vestra?* Audistis Marcum; quid in fine sui operis dicat: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Vos autem nec

Luca. 1.

credere vultis; nec etiam baptismum approbatis. Item audiatis Ioannem, qui ait: *Dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius.* Et alibi idem: *Sicut Moyses exaltauit serpentem in deserto, &c.* & quæ sequuntur. Et subdit: *Qui credit in eum, non iudicatur, Qui autem non credit in eum, iam iudicatus est.* Et idem; *Qui credit in me, sicut dicit scriptura, fluent de ventre eius aquæ viuæ.*

Ioan. 1. *Ioan. 3.* *Ibidem.* *Ioan. 7.*

** Sed viua, ex qua sponte sua fluunt bona opera.*

Ecce in his omnibus exemplis, de sola fide * facit mentionem, non de operibus, in quibus gloriamini infideles. O Euangelistæ adulteri. Cur scripta sint Euangelia, vos nescitis. Sciretis vtique, si sane intelligeretis illud, quod sequitur in Ioanne: *Hæc autem scripta sunt, vt credatis, quia Iesus est filius Dei, &c.* O miseri, hæc est causa, quare scripta sunt Euangelia. Quare, eos, qui negant Christum filium Dei esse, non prædicatis? imò eos, qui credunt, refutatis. De quibus Ioannes in secunda Epistola loquitur dicens: *quoniam multi seductores prodierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum venisse in carne; hic est seductor & Antichristus.*

Ioan. 21. *2. Ioan. 1.* *Rom. 10.*

a] *Isid. sen. lib.* Sicut nihil proficit fides, quæ corde tenetur, si ore non proferatur: ita nihil profectura est, quę ore retinetur, & corde non creditur.

Confiteri ergò debemus, Paulo monente, qui ait ad Romanos: *Si confitearis in ore tuo Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, quòd Deus illum suscitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Et Isaias ait: *Omnis, qui crediderit in illum, non confundetur.* Et idem: *Omnis, qui inuocauerit nomen Domini, saluus erit.* Dicit enim Paulus ad Romanos: *Iustificati igitur ex fide, pacem habeamus ad Deum.* Vnde vnumquemque monet ad eosdem dicens: *Tu autem fide sta; noli altum sapere, sed time.* Et ad Timoth. in 1. Epist. ait: *Finis autem præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta.* Paulus autem describit fidem non fictam, dicens: *Est autem* [a] *fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium. In hac enim testimonium consecuti sunt seniores. Fide intelligimus aptata esse secula verbo Dei, vt ex inuisibilibus visibilia fierent. Fide plurimam hostiam Abel, quam Cain obtulit Deo, per quam testimonium consecutus est esse iustus, & per illam defunctus adhuc loquitur, &c.* quæ sequuntur.

Rom. 10. *Rom. 5.* *Rom 11.* *1. Timoth. 1.* *Heb. 11.*

b] Substantia, *quia per fidem speranda in nobis subsistunt.* Argumentum *nō appar. quia, si quis quærat de partu Virginis, aut de futuro statu electorū: nō habeo aliud argumentum, nisi quod credo: substantia igitur, quantū ad nos: argumentū non appar. quantum ad quærentes.*

Ecce, quod omnia, quæ scripta sunt in lege, facta sunt fide, per fidem, & cum fide. [*b*] Credamus ergò, & benè erit nobis, iuxta Lucam, qui ait: *Beata, quæ credidisti; quoniam perficientur,* quæ

[c] *Ne illud Propheticum in nos cedat;* Periit fides, ablata est de ore eorum. *Luca. 1.*

quæ dicta sunt tibi à Domino. Et in Actibus Apostolorum; *Huic* Actor. 10.
omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere, per nomen eius, omnes, qui credunt in eum. Dominus autem, potius laudat fidem, quàm opera. Vnde de Centurione legimus in Matthæo, quod homo erat sub potestate constitutus, habens Matth. 8.
sub se milites & seruos: tamen fidem eius admiratus est Dominus dicens: *Non inueni tantam fidem in Israël;* & petitionem eius exaudiuit.

Annotationes in cap. 16.

I. Fidem verò præter opera,) fides sine operibus mortua est, *teste S. Iacobo cap. 2. Sed loquitur Ebrardus de operibus merè externis, (qualia iactabant & sectabantur VValdenses) & ex fide non profectis, quod indicant proximè antecedentia verba.:* In operibus solummodo confidentes, fidem prætermittunt.

II. Et Lucas ait;) *Hæc verbatim apud S. Lucam non exstant cap. 9. Ex quo tamen, vt & ex cap. 11. S. Marci videtur Ebrardus hoc suum dictum concinnasse. Quanquam S. Marcus non dicit;* credentes: *sed;* orantes. Quæcunque orantes petitis, credite, quia accipietis, & euenient vobis.

III. Non enim omnis homo ex operibus saluatur.) *Si de prima salute seu iustificatione sermo sit; nullus homo ex operibus saluatur, hoc est, iustificatur; sed gratiâ tantum & fide, cum charitatis, pœnitentiæ, timoris & spei actibus coniuncta. Si de salute æterna, hoc est, de cælesti beatitudine sermo sit, eam nemo adultus adipiscitur; nisi habeat merita; Vnde autem merita, nisi ex operibus quanquam non tantum ex externis, sed & purè internis: imò etiam ex ipsis dispositionibus, quibus homo vltimatè ad gratiam disponitur, vt ex fide cum supra dictis actibus copulata; Si*

ta; Si quis statim moreretur, sine vllo alio bono actu: vt supra dictum.

IV. Et fide.) *Fide viua, de hac enim Ebrardo sermo est, quia addit; sed,* gratia & fide.

V. Nulla quidem eius merita præcesserunt.) *Iustificationem primam latronis nulla merita præcesserunt; sed gloriam latronis præcesserunt illa merita, quæ bonis actibus in cruce exercendis sibi comparauerat.*

VI. Per fidem solam.) *Sed viuam, quæ operatur per charitatem; ne Hæretici ad suam solitariam fidem Ebrardi dictum trahant. Itaque latro per solam fidem viuam saluatus est; ita vt vocabulum* sola *excludat illa duntaxat opera externa, quorum exercitio gloriabantur VValdenses, quibus exercendis non erat latroni locus in cruce; Neque enim in cruce occasio erat, vt præter actus charitatis, pænitentiæ, patientiæ, confessionis & reuerentiæ erga Christum, varia opera externa exerceret.*

VII. Nullis præcedentibus meritis.) *Rectè de prima salute seu iustificatione, pro nihilo enim, id est, absque vllis meritis, Deus nos saluos facit; id est, iustificat. De cælesti gloria id non verum; nisi illam in fundamento suo, quod est merè gratuitum, spectemus.*

VIII. Qui [se operibus suis.) *Suis ergò operibus plus tribuebant VValdenses, quàm gratiæ Dei; Quod non modò præposterum, sed & planè impium erat.*

IX. Quid gloriamini in operibus?) *vestris, scilicet, quæ ita effertis, vt supra gratiam Dei efferatis, ijsque potius, quàm gratiæ Dei salutem adscribendam existimetis.*

X. Nonnulli enim sola fide,) *Sola viua & viuifica fide, quæ vera opera adeo non excludit, vt ea penitissimè includat; nam iustus viuit per fidem, sed ex charitate operan-*

ran-

runtem: Hac autem charitas & ad interna, & ad externa opera se extendit, quia charitas patiens est, benigna est, non æmulatur, non agit perperam, vt ait Apostolus 1. Cor. 13.

XI. Qui credit.). Fide viua, eodemque sensu cætera accipi debent; quæ adducit Ebrardus, non vt excludat opera, quæ ex fide proficiscuntur, sed vt ostendat, VValdenses prius de fide sollicitos esse debere, & tunc de operibus dispicere, cum scriptura fidem multis in locis prædicet, nulla, ijs quidem locis, mentione operum facta, isque rectius rerum ordo sit, vt prius fidem habeamus, postea ex fide operemur bonum.

XII. De operibus nullam mentionem fecit.) Expressam scilicet, tacitam enim non excludit Ebrardus; qui semper de fide viua loquitur; cuius est per dilectionem operari; vt omittam, ex hoc Euangelij loco, & alijs nonnullis, quæ paulò post citantur, sermonem potius esse de fide impetrandi miracula. Fatemur autem, inquit Illustrissimus Bellarminus lib. 1. de Iustificatione cap. 20. fidem solam interdum satis esse ad miracula impetranda, videlicet cum referuntur ad ipsam fidem confirmandam, non ad vitam eius illustrandam qui miraculum impetrat.

XIII. Non, operanti.) Sine fide scilicet, instar VValdensium, quibus vnica fiducia in externis operibus, fide in postremis habita.

XIV. Quid operatus est latro suspensus.) Multum proculdubio boni operatus est in ipsa Cruce, quandiu spiritum duxit, actibus dilectionis erga Deum, pœnitentia, patientia, à quibus probabile, non destitisse, quoad animam exhalauit; Quod ergò Ebrardus dicit; id de latrone ante supplicium intelligi debet: de quo, quid boni prius fecerit, nihil liquet.

XV. Crede tantùm,) Et hoc non de iustificatione


impÿ, sed de miraculis impetrandis, vel de ÿs credendis, quæ supra captum nostrum sunt, accipi debet; nam in his mysterÿs satis est credere; nec necesse, intelligere. Vnde & illud S. Thomæ Aquinatis in Hymno de Eucharistia: Ad firmandum cor sincerum sola fides sufficit: *Ad hoc nempe mysterium credendum, sola fides sufficit; non ad iustificationem, vel beatitudinem assequendam.*

Hæc ad istam disputationem Ebrardi annotare visum. Quæ si satisfaciunt, benè est; sin minus; melior adferatur defensio: aut si dicta quædam eius duriora sunt, quàm vt benigna interpretatione leniri posse videantur, cogitemus, hominem fuisse, cui hallucinari procliue: nec ob næuũ hunc, cætera, quæ rectè tradit, repudiari debere; quamuis certum mihi sit, Ebrardum à Lutherano de fide sola placito, tantum adfuisse; quantum æther distat ab Orco: vbique enim de fide viua & per charitatem formata loquitur; quam opponit operibus non qualibuscunque sed VValdensium, qui, fide insuper habita, operibus omnia tribuebant.

Quod Crux Dominica veneranda sit: & lignum crucis venerandum.

F. Moneta li. 5.

CAPVT XVII.



CRVCIS etiam sacramentum prophanantes, crucem sanctam, & etiam sanctissimam dehonorant, in qua salus est, vita & resurrectio nostra, per quam saluati & liberati sumus: quam, qui paruipendunt, spem salutis repudiant [a] & salutem. De qua dicitur: *O crux aue spes vnica.* Et alibi: *Arbor decora & fulgida, Ornata Regis purpura, &c.*

Sed

a] Lib. Num. de Vitula rufa Eleazarus sacerdos iubetur mittere in flammam lignum cedrinum, hyssopum & coccum bis tinctũ. Hæc tria enim ad purgationem peccatorum tradita sunt. Per cedrum enim crux, per hyssopum, baptismus; per coccum sanguis Christi intelligitur.

Sed quid mirum, si cruci inuident, & saluti inimicantur; eos enim *inimicos crucis Christi* vocat Paulus ad Philippenses dicens: *Multi enim ambulant, quos sæpe dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi.* Nesciunt, quid faciunt: sunt enim bestiales; & montem trascendere properant, sed non possunt: *nec cuiuis homini contingit adire Corinthum.* Timeant ergò bestiales, ne montem commaculent. Moyses enim ait; *Bestia, quæ tetigerit montem, lapidabitur.* Hic est mons, super quem filius hominis exaltatus est. Ipse est verus serpens, exaltatus est in columna, quem qui adorauerit, serpentium morsus pestiferos non timebit. Adoremus igitur & serpentem & columnam in deserto huius mundi, sed potius serpentem in columna. Serpens enim sanctus est: & columna sanctificata est per serpentem. Nunquid (non) munus sanctificatur à templo; & donum ab altari; sicut Dominus per Matthæum testatur dicens; *Stulti & cæci, quid maius est, aurum, an templum, quod sanctificat aurum? cæci, quid maius est, donum, an altare, quod sanctificat aurum?* Ecce, quod templum & altare sanctificant ea, quæ eis apponuntur & vouentur. Multò magis ergò Dominus, qui verum templum est, & verum altare, crucem, sanctificare dictus est.

Hebr. 12. Num. 21. Ioan. 3. Matth. 23.

Vnde & crux sanctificata est, & sancta, & à sanctis reuerenda. In ea enim pependit fructus, qui est totius seculi precium. De quo fructu, quidam Mosaicè ait: *Benedictus talis fructus, fructus gaudij, non luctus; Non erit Adam seductus, si de hoc gustauerit.* Si ergò fructus est bonus, & arbor est bona. Scriptum est enim in Euangelio: *A fructibus eorum cognoscetis eos, &c.* Mala quidem arbor non potest fructum bonum facere, nec, è conuerso. Crux igitur Christi euacuari non debet, quam Christus portauit super humeros. Et Paulus euacuare non est ausus dicens ad Corinthios: *Non enim me misit Christus baptizare, sed euangelizare: non in sapientia verbi; vt non euacuetur crux Christi.* Et subdit: *Verbum enim crucis, pereuntibus quidem stultitia est: ijs autem, qui salui fiunt; id est, nobis, Dei virtus est.* Vnde ad eosdem *alibi ait: *Nos autem prædicamus Iesum crucifixum; Iudæis quidem scandalum, gentibus autem stultitiam.* Nobis ergò neque scandalum, vt Iudæis; neq; stultitiam, vt paganis parturiat crux Christi. Iudæo enim dicitur: *Væ illi, per quem scandalum venit.* Stultitiæ autem gentium dicitur: *Ignorans, ignorabitur.* Et alibi ad Galatas dicitur: *Ergò euacuatum*

Matth. 7. 1. Cor. 1. *ibidem. Matth. 18. 1. Cor. 14. sensu. Galat. 5.

cuatum est scandalum crucis: vtinam abscindantur, qui vos conturbant.

Non conturbemur ergò ab hæreticis, qui nos scandalizant: sed à nobis potius abscindantur. Vnde subdit ad eosdem dicens: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi.* Et beatissimus Leo Papa, ait: *Crux Christi, quæ saluandis est impensa mortalibus, & sacramentum est, & exemplum.* Sacramentum, quo virtus *impletur diuina. Exemplum, quo deuotio incitatur humana.*

Nunquid (non) Iacob virgam Ioseph adorauit, teste Paulo qui ait ad Hebræos: *Fide Iacob moriens, Ioseph benedixit, & adorauit fastigium virgæ eius.* Similiter & vestigium virgæ Christi, quæ crux sancta est, [a] adoremus in eadem fide. De qua virga per Prophetam dicitur: *Virga tua, & baculus tuus, ipsa me consolata sunt.* Vnde, quidam ait; *Ipsa crux, si attendas, Christi tribunal fuit. In medio enim Iudice constituto; vnus latro, qui credidit, liberatus; alter, qui insultauit, damnatus est. Iam quidem signabat, quod facturus est de viuis & mortuis; agnos positurus à dextris; hœdos verò à sinistris.* Vnde versiculus ille; *Dismas & Gestas, medio diuina potestas.* Tribunal ergò eius ne spernamus. In eo enim est via vitæ: Et, qui viam recusant, patriam quomodo quærunt? Nunquid (non) in [b] libro Numerorum legimus de petra in eremo, quæ vt manaret, bis cum virga percussa est. Duplex illa percussio, duo ligna crucis designat. Vnde illud. *Virga tua, & baculus tuus, &c.* Notate, quia virgam dixit & baculum.

Nunquid (non) & Christus resurgens piscem assum comedere voluit? quod benè illi congruit. Assatus enim fuit in ara crucis, iuxta illud; *Cuius corpus sanctissimum; In ara crucis torridum:* Et Propheta; *Aruit tanquam testa virtus mea.* Quid est autem testa ante ignem, nisi molle lutum? sed, ei ex igne additur, vnde solidetur. Crux igitur solidatio nostra est, in Christo: hæc enim est Tau litera in ostio domus nostræ: & in superliminaribus prænotata: scilicet in fronte corporis nostri, oleo [c] & chrismate p̃scripta, tanquam sanguine Agni figurato. Si Christus enim Rex noster est, & eius vexillum portare debemus. De quo vexillo dicitur; *Vexilla regis prodeunt, fulget crucis mysterium, &c.* Vnde ad Galatas, dicit Paulus: *Ego enim stigmata Domini nostri Iesu in corpore meo porto.* Cum eo igitur ambulemus, portantes eiusdem stigmatis signaculum, per quod stigma interfectus est inimicus noster, Paulo teste, qui ait ad Ephesios de Christo: *Vt reconciliet*

ambos

Ibidem.

Hoc est lignũ, de quo legimus in Exodo, quod cùm Moyses misisset in aquas Marath, aquæ in dulcedinem versæ sunt.

Heb. 11.

a] *Vnde quidam ait;* Effigiem Christi, qui transis pronus honora. At non effigiẽ, sed quem designat adora.

Psal. 22.

b] *Hoc in lib. Num. est, de aqua contradictionis, pro qua Aaron mortuus est in monte exutus à vestibus, & induto Eleazaro filio eius.*

Psal. 21.

c] *Rabanus de Instit. Cler.* Signatur baptizãdus signo S. Crucis tam in fronte, quàm in corde, vt ab eo tempore Apostata diabolus in vase suo pristino suæ interemptionis cognoscẽs signum, iam se deinceps, illic sciat esse alienum.

ambos in vno corpore Deo per crucem, interficiens inimicum in semetipso.

Crux igitur baculus nostræ protectionis est; & nostræ salutis reparatio. Vnde Petrus: *Peccata nostra ipse tulit super lignum in corpore suo, vt peccatis mortui iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis.* Et subdit eodem loquens de ligno: *quod ab aliis quidem blasphematur; à vobis autem honorificatur.* *1. Pet. 2.* *Ibidem.*

In cruce autem chirographum maligni deperiit, teste Paulo, qui ait ad Colossenses: *Delens, quod aduersus nos erat chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, ipsum tulit de medio, affigens illud cruci.* De hoc enim Isaias ait: *Et factus est principatus super humerum eius.* Et subdit: *Ecce puer meus, exaltabitur, & eleuabitur, & sublimis erit valdè.* Si ergò crux principatus Domini est, crucis imperium veneremur; & Christi imperium & improperium. De quo improperio Paulus ait ad Hebræos de Moyse; *Maiores diuitias æstimans thesauro Ægyptiorum improperium Christi.* Sed huiusmodi improperium, nobis fuit gaudium, & etiam Christo. Sicut idem testatur ad eosdem dicens; *Aspicientes in auctorem fidei, & consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem.* Si ergò crux Christi gaudium est; quis est ausus eam blasphemare? Improperium igitur eius portare debemus, vt cum eo gaudeamus. Vnde illud ad Hebræos in fine: *Exeamus ad eum extra castra improperium eius portantes.* *Colos. 2.* *Isa. 9.* *Hebr. 11.* *Hebr. 7.* *Hebr. 13.*

Nunquid autem nobis (non) opus erat huiusmodi improperium ipso Domino teste, qui ait: *Si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.* Et etiam sic dispositum erat à summo Deo, & à Prophetis prænunciatum. Vnde illud; *Cùm omnia consummassent, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento.* De hoc ligno dictum est alibi: *Regnabit à ligno Deus.* Et Moyses ait; *Videbis vitam tuam noctu dieque pendentem in ligno.* *Ioan. 12.* *Actor. 13.* *Deut. 28.*

Si autem [a] quæratis, ô hæretici, quare Deus prælegit mori in ligno? multæ super hoc sunt rationes: Legimus enim cum Iudæi vellent eum præcipitare de supercilio montis, *ipse transiens per medium illorum ibat.* Rursum, cum vellent eum lapidare; *abscondit se, & exiuit de templo.* Cùm autem conuenerunt, vt eum crucifigerent, non refugit, non tale genus mortis abborruit: sed quare hoc fecerit, prætergredi non licet.

a] *Vnde Iob ait:* quamobrem suspendiũ elegit anima mea & mortem ossa mea. *Qui suspenditur, ab imis ad alta eleuatur, qui ergo ossa, id est, fortitudinem carnis mortificat, ab imis ad alta tendit, & ita se suspendit.*

Prima fuit causa; *Vt medelam ferret inde Hostis, vnde læserat.* *Luca. 4.* *Ioan. 8.*

Vnde illud: *Ipse lignum tunc notauit, damna ligni vt solueret.*

Secunda ratio est: quia hoc genus mortis apud priscos maledictum erat, & maledicti appellabantur, qui sic moriebantur, & domus eius tota, ob ignominiam, domus crucifixi vocabatur. Quia ergò genus humanum sub peccati maledictione tenebatur, maledicta morte voluit mori, & maledictum fieri, iuxta illud; *maledictus, qui pendet in ligno.* Vt enim nos eriperet à peccato, pro nobis peccatum factus est. Vnde Ecclesia, quæ est domus eius, *domus crucifixi* appellatur, crucis vexillum, tanquam sui regis signum, in se habens, vt cum Paulo dicat; *Ego stigmata Domini mei Iesu in corpore meo porto*: Et cùm Propheta; *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine.*

Deut. 21.
Galat. 6.
Psal. 4.

Tertia ratio est, quia, si crux rectè statuitur; vna pars cœlum petit: altera, terræ iungitur. Et ideo tali morte pati voluit, quia venerat Angelorum & hominum discordiam euacuare; & cælestia cum terrenis sociare. Vnde Paulus ait: *Ipse est pax nostra, qui fecit vtraque vnum; & medium parietem maceriæ soluens, inimicitias in carne sua.*

Ephes. 2.

Quarta ratio est: quia crux rectè statuta, superior pars cœlum petit, inferior terram penetrat; duo latera eius, omnem mundi ambitum figurant. Vnde eam conscendere voluit, vt se dominatorem omnium ostenderet. Vnde Propheta: *Viuo ego, dicit Dominus; quia, mihi curuabitur omne genu; & confitebitur omnis lingua.* Et Paulus; *In nomine Iesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum*, quia, *factus est obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis.* Illud idem innuit Isaias, dicens: *Et leuabitur in nationes, & congregabit profugos à quatuor plagis terræ.*

Isaia. 45.
Philip. 2.
Isa. 11.

Quinta ratio est, quam exponit Paulus dicens; *Vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quæ sit longitudo, latitudo, sublimitas & profundum (crucis Christi)* quia, quatuor in cruce satis videntur ad oculum, & Christo satis congruunt. Christus enim longitudinem habet tantam, vt initium non habeat, & finem non habeat. Altitudinem habet, quia alta cælorum potenter possidet. Latitudinem habet; quia eius immensa diuinitatis potentia, per omnem mundum dilatata est. Sublimitatem nihilominus habet: quia, sua diuinitate omnes trascendit creaturas. Nec non profunditatem habet; quia etiam inferiora penetrat. Vnde beatus Iob: *Excelsior cælo est, profundior inferno, & mensura eius*

Ephes. 3.
Iob. 11.

...eius latior mari, &c. Et nobis eadem inesse debent. Longitudo, id est, perseuerantia, quæ longanimitas appellatur. Vnde ad pusillanimes dicitur; *Væ his, qui perdiderunt sustinentiam.* Altitudinem similiter habere debemus, vt alta quæramus, dicẽtes cum Apostolo; *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Et, latitudinem charitatis; quæ non solum ad amicos, imò, & ad inimicos extenditur, vt dicamus cum Psalmista: *Et ambulabam in latitudine; quia, mandata tua exquisiui.* Et sublimitatem habeamus, vt, in eo spem ponamus: quia, sublimis est super omnes cælos: Et, quæ sursum sunt, sapiamus, non, quæ super terram. Et profundum habere debemus; id est, timorem gehennæ pro peccatis. Vel; profundum scripturarum intellectum. In quam profunditatem Paulus mentem direxit, cum ait; *O altitudo diuitiarum, sapientiæ & scientiæ Dei.*

Eccles. 2. *Phil. 3.* *Psal. 118.* *Colos. 3.* *Rom. 11.*

Sexta ratio est, quia Dominus extensus est in cruce, ita vt caput versus orientem, pedes verò respicerent versus occidentem: sinistra ad austrum; dextra verò, versus aquilonem: vt innueret, se à quator partibus mundum redimere, sicut Propheta ait: *Ab Oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam aquiloni, da; & austro, noli prohibere. Dilata, & pelles tabernaculorum tuorum extende, ne pereas: Longos fac funiculos tuos, & clauos tuos consolida. A dextera enim & læua penetrabis; & semen tuum gentes hæreditabit.*

Vnde supra locum, vbi Christus crucifixus est, scriptum est Græcè: ὁ θεὸς βασιλεὺς ἡμῶν, πρὸ αἰώνων εἰργάσατο σωτηρίαν ἐν μέσῳ τῆς γῆς, *id est,* Deus, Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ.

Isaia. 54.

Ex his ergò patet, quod sanctissimum est crucis mysterium. Sed obiiciunt hæretici, dicentes; Si aliquis videat filium suum suspensum furcâ, *vel exstinctum laqueo, vel submersum aquis, vel truncatum gladio, nunquid non furcam, vel laqueum, aquam vel gladium odio habebit? ita & crux Deo patri odiosa est, in qua filius passus est*: Quod falsum est. *Iudicia enim Domini, abyssus multa*: nec oportet hominem consiliarium Dei esse: *quis enim consiliarius eius fuit?* Non est enim, à quo Deus consilium accipiat, vel exemplum. Vnde hominum exempla Deo adscribere, est nefandum.

Psalm. 35. *Rom. 11.*

F. Moneta li. 4.

Quod mulieres in muliebri sexu saluabuntur.

CAPVT XVIII.

Augustinus hanc quæstionem in suis tractatibus versans ait; Melius mihi sapere videntur, qui vtrumque sexu resurrecturum esse non dubitant.



Stupenda & admirabilis sententia, quæ non solùm aduersariis colluctatur, sed & suo inuentori. Fœmineo etenim sexui cælorum beatitudinem nituntur surripere, & à tanto munere, suas ipsorum mulierculas non differunt viduare. Cuius erroris phantasiâ corroborant ex eo, quod dicitur: *Venite benedicti patris mei*: *Venite benedicti* dixit, *non, benedictæ*. Ex quo patet eorum imperitia. Conceptionem enim generum non considerant: masculinum enim genus, dignius est, & concipit fœmininum. Quam conceptionem Lucas melius considerauit; cùm de Zacharia & Elisabeth loquens ait: *Erant autem ambo iusti ante Deum*.

Matth. 25. Luca. 1. Ephes. 4. Augustinus in lib. de ciuitat. Dei: Non ait Apostolus in mensurā corporis, ac staturæ, sed ætatis, quia, vnusquisque suam recipiet mensuram corporis, scilicet XXX. II. annorum & triū mensium.

Sed fortius obiiciunt illud quod legimus ad Ephesios. *Donec occurramus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi*. Ex hoc enim affirmant quod in specie viri perfecti, & in ætate XXX. annorum ad iudicium veniamus, & mulieres suum permutent sexum; Quod, nullatenus sic est intelligendum, quia viri in sexu virili, & mulieres in sexu femineo comparebunt. Sed Paulus ad viros loquebatur, cum illud ait: vel etiam mulieres, viri esse dicuntur, cùm viriliter operantur. Cùm enim capillus capitis non pereat; vnumquodque membrum in specie priori reformabitur. Vnde illud ad Corinth. *Deus autem dat illi corpus, sicut voluit; & vnicuique semini, proprium corpus. Oportet mortale hoc induere immortalitatem, &c.* Et paulò antè dixerat: *Vnde scis, mulier, si virum saluum facies? aut vnde scis, vir, si mulierem saluam facies.* Et subdit: *Veruntamen neque vir sine muliere, neque mulier sine viro, in Deo.* Nec solùm membra habebunt muliebria, sed & nomina. Vnde illud ad Philippenses: *Euodiam rogo, & Syntychen deprecor.* Et subdit: [a] *quarum nomina sunt in libro vitæ.*

1. Corinth. 15. Philip. 4. [a] Et Dominus in Euāgelio, gaudete, quia nomina vestrā scripta sunt in cœlo. [b] Adam, filius terræ; Eua, filia hominis:

Sed iterum quæramus ab eis de BEATA MARIA, quæ super choros Angelorum exaltata est, vtrum mutauerit sexum? Quod forsitan putant: quia Christus filium [b] hominis se appellat, vbique ferè: quod nullatenus est dicendum. Mulier enim

fuit.

fuit, & est, & erit: carne quidem clarificata, non aliter permutata. Nunquid autem (non) muliebris sexus Angelos vidit? & pedes Domini resurgentis tenere meruit? Iuxta illud: *Illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius*, & adorauerunt eum. Si in fœmineo sexu Dominum resurgentem viderant; quare in fœmineo sexu non resurgerent? Nunquid non legimus; *Eijce ancillam, & filium eius.* Si ancilla eiicietur, nunquid libera non recipietur? De quibus Matthæus loquitur, cùm dicit; *Tunc duo erunt in agro: vnus assumetur, & vnus relinquetur: duæ molentes in mola; vna assumetur; &, vna relinquetur.* Ecce, de masculino sexu loquitur, & feminino. Vnde illud; *Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ab ea dixit, non ab eo. Nunquid non Apostolus ait: *Alia claritas solis, alia claritas lunæ.* Ecce solem dixit, quantum ad masculos: lunam, quantum ad feminas. Vnde subdit statim: *sic erit in resurrectione mortuorum.* Et in Canticis legimus: *LX. sunt reginæ, & LXXX. concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* Nunquid autem (non) & in Arca Noë, tam mulieres, quàm viri saluæ factæ sunt? spiritus quidem sanctus mulieres non refugit; imò, & eas replet.


nos, siue hominum: Christus verò tantum filius hominis. Dominus ait in Euangelio. In resurrectione neque nubent, neq; nubentur: *Ecce, quod actiuè & passiuè vsus est hoc verbo.* *Matth. 28.* *Beda super hoc ait:* Resurgent corpora, quæ possunt nubere, & ducere: hoc est, virorum & feminarū, sed nulla côcumbendi voluntate.

Quid igitur obest, quod mulieres non resurgant in sexu suo? Multa siquidem exempla, ad hoc idem valentia relinquimus, quæ præscripta sunt in Capitulo de resurrectione carnis. Si autem in resurrectionem iudicij resurgent mulieres: quare & in resurrectionem vitæ non resurgent? Quod enim mulieres resurgant in iudicio, testatur Ezechiel Propheta dicens de iudicio: *Si fuerint in medio eius tres viri iusti, Noë, Daniel & Iob, viuo ego, dicit Dominus, non liberabit filium nec filiam, sed ipsi soli in iustitia sua liberabunt animas suas.* Ecce, quòd *filium* dixit, & *filiam.*

Galat. 4. *Matth. 24.* *Luca. 10.* *1. Cor. 15.* *Cant. 6.* *Ezech. 14.*

Quod varij sint Ordines & variæ religiones salutis.

CAPVT XIX.



IPSI etiam tanquam Iudices constituti, ante tempus iudicant, doctrinamque approbantes erroneam, eos, qui non approbant, condemnare iam præsumunt: Ipsi tamen hoc faciunt, vt citius iudicentur. Dominus enim dicit: *Nolite iudicare, vt non iudicemini.* Nunquid (non) sunt tanquam

Luca. 6.

quam rota præcurrens? Præueniunt enim Dominum in iudicio: cùm ipse dixerit, (per Apostolum;) *nolite ante tempus iudicare.* Dicunt enim, vnam tantùm salutis esse viam, ad quam ipsi præ cæteris [a] deuenerunt. Quia Dominus dixit; * *Ego sum via, veritas & vita.* Nesciunt enim quod plures viæ ad vnam deueniunt viam. Plures enim aquæ mare in vnum confluunt. De quibus aquis dicitur: In aquis sanctis & elephas potest natare, agnus autem pedibus ambulare. Nunquid autem (non) & septem Ecclesiæ in Asia, quibus Ioannes scribit, ad vnam referuntur Ecclesiam? Et agnum vidit septem cornua habentem. Sicut ergo plura cornua in vnum conueniunt agnum, ita & plures viæ ad vnam deueniunt viam. Vnde & Zacharias ait: *In lapide vno septem oculi sunt.*

1. Corinth. 4.

a] *Isid. senten.* Sunt qui pœnitentibus securitatem citò pollicentur: de quibus benè per Prophetã dicitur: Curãt contritionem filiæ populi mei cũ ignominia, dicentes, pax, & non erat pax. Cùm ignominia igitur currit ad contritionem, qui peccanti, & non legitimè pœnitenti promittit securitatem. * *Ioan. 14. Apoc. 1. Apoc. 5. Zach. 3.*

Quod autem plures viæ Domini sint, multis probamus argumentis: Et 1. per Isaiam; qui ait: *Non enim cogitationes meæ, cogitationes vestræ; neq; viæ meæ, viæ vestræ, dicit Dominus, quia, sicut exaltantur cæli à terra sic exaltantur viæ meæ à viis vestris.* Et subdit: *Clama, ne cesses; quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum. Me enim de die in diem quærunt, & scire vias meas volunt.* Et Hieremius ait: *Viæ Sion lugent, eò quòd non sint, qui veniant ad solennitatem.* Et Daniel. *Nunc igitur ego Nabuchodonosor laudo Regem cæli, quia omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia.* Et Salomon de Domino ait: *Seruans* [b] *semitas iustitiæ, & vias sanctorum custodiens.*

Isaia. 55.

Thren. 1.

Daniel. 4.

Prouerb. 1.

b] *Gregor. in Mor.* Semita angustior est, quam via. Et ideo, si vias actiones dicimus, meritò semitas actionũ cogitationes accipimus.

De iniquis autem subdit: *Nec apprehendent semitas vitæ.* De iustis autem ait; *Viæ eius, viæ pulchræ, & omnes semitæ illius pacificæ.* Et iterum, *Viam sapientiæ monstrabo tibi: ducam te per semitas æquitatis, quas cùm ingressus fueris, non artabuntur gressus tui, & currens non habebis offendiculum.* Et idem subdit: *vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus: peruersæ verò sunt, quæ à sinistris sunt.* Et iterum; *Vias sapientiæ monstrabo tibi: ducam te per semitas æquitatis: quas cum ingressus fueris, non artabuntur gressus tui; & currens, non habebis offendiculum.* Et idem subdit: *Vias, quæ à dextris sunt, nouit Dominus; peruersæ verò, quæ à sinistris sunt.* Et iterum: *Nunc ergo filij, audite me; beati qui custodiunt vias meas.* Et in libro Sapientiæ:

Prouerb. 3.

Prouerb. 4.

Prouerb 3.

Sapien. 10.

Iustum deduxit Dominus per vias rectas, &c. Vnde Iesus filius Sirach: *Væ qui dereliquerunt vias rectas, & diuerterunt in vias prauas*: de quibus ait Iob: *qui dixerunt Deo, recede à nobis, scientiam viarum tuarum nolumus.* Eccl. 2. Iob. 21.

Sed, ne solummodò Prophetarum vaticinia sufficiant: nouæ legis testimonia producamus in Exemplum. Dicit enim Ioannes in Apocalypsi: *Magna & mirabilia tua opera Deus omnipotens, iusta & vera viæ tuæ Rex seculorum.* Et in Euangelio: *Ego vox clamantis in deserto; parate viam Domini; rectas facite semitas eius.* Et Paulus ait: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, &c.* Vnde illud; *Tu puer Propheta Altißimi vocaberis.* Et alibi: *In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis.* Et Salomon: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Vnde in Euangelio de tribus Magis legimus; *Per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* Bonam fecerunt viam, quærendo Iesum. Bonam fecerunt reuertentes per aliam. Ergò ad minus duæ sunt bonæ. Vnde & Dauid; Isti verò non cognouerunt vias meas, &c. Et alibi: *Domus Iacob, venite, ambulemus in lumine Domini, & docebit nos vias suas, &c.* Et aliâs; *Vias tuas Domine demonstra mihi, &c.* Apoc. 5. Isaia. 40. Matth. 3. Rom. 11. Luca. 1. Psal. 76. Prouerb. 8. Matth. 2. Psalm. 94. Isaia. 2. Psal. 24.

Plures [a] ergò viæ sunt, quæ ad viam vitæ tendunt: &, plures viæ, ad mortem. Et tamen in Euangelio dicitur: *Aliud cecidit secus viam, & conculcatum est.* Ecce tanquam vna tantùm esset via ad mortem, dicit, *secus viam.* Hæretici autem in hoc vim non faciunt. Vim verò faciunt in eo, quod dicitur: *Ego sum via.* Sed, quoties volunt ad tropologias currunt.

a] *Sicut vnum baptisma est. & tamen tria baptismi genera; ita, vna est via, & tamen plures huius viæ religiones. Primum baptisma aqua. Secundum sanguinis, iuxta illud;* Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum? & baptismo, quo ego baptizor, baptizari? *Tertium, lacrymarum. Vnde ad Rom.* Sicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo.

Osee autem Propheta dicit: *Rectæ viæ Domini, & iusti ambulabunt in eis.* Cùm ergò sint plures viæ Domini, & plures sint ordines saluationis, in quibus homines possunt saluari: [b] Tres enim salutis ordines ostendit Matthæus, cùm ait de die iudicij loquens: *Tunc duo erunt in agro; vnus assumetur, & alter relinquetur: duæ molentes in mola, vna assumetur, & altera relinquetur. Duo in lecto, vnus assumetur, & alter relinquetur.* Ecce, quidam in agro; quidam in mola; quidam in lecto saluabuntur. In agro; hoc est, in Ecclesia. In Mola, hoc est, in negotio seculari. In lecto, Osee. 14. Matth. 24

b] *Gen. 7 Vnde Dominus ad Noë.* Ex omnibus animantibus mundis tolles septena & septena, masculum & feminã: de im-

mundis, duo & duo: *Ecce, nec vna religio est: nec vna iniquitatis species.*

Luca.17.

lecto, hoc est, in otio & quiete contemplantes Deum. Per hæc tria autem intelligimus Noë, Daniel, & Iob. Per *agrum* enim intelligimus Noë: quia rexit arcam in vndis. Per *lectum* intelligimus Daniel: quia in aula regia existens, abstinuit, id est, à mundanis insultibus quietus permansit. Per *molam* intelligimus Iob: quia curam domus egit, quod satis innuit Lucas; cùm de aduentu Christi loquitur dicens: *In illa hora, qui fuerit in lecto, & vasa eius in domo, ne descendat tollere illa. Et, qui in agro, similiter non redeat retrò.* Ecce, quòd in agro, & in lecto saluabuntur, & saluari poterunt. O insensati, discite prius, quàm doceatis. Nunquid, sicut per Architriclinum intelligimus Doctores Ecclesiæ, ita per triclinium, Ecclesiam designamus? sicut enim triclinium est domus, tres ordines habens, id est, tres accubitus: ita & Ecclesia ex tribus ordinibus constat.

Primus ordo est coniugatorum. Secundus Continentium, Tertius Virginum: Quos tres ordines ascendere in cælum innuit scriptura; Per Enoch enim, qui vxorem habuit & filios: qui etiam per coitum generatus est: Et per coitum generantes coniugati designantur. Per Eliam, qui per coitum generatus est, sed non per coitum generans: qui nec vxorem, nec filios habuit, continentes figurantur. Per Christum, qui nec per coitum generatus, nec per coitum generans, virgines annotantur. Hos tres ordines saluandos in die iudicij Ezechiël præuiderat, cùm de terra peritura fame, peste, & gladio loquitur dicens: *Si fuerint in medio eius tres viri isti, Noë, Daniel & Iob, viuo ego dicit Dominus, non liberabunt filium aut filiam, sed ipsi soli iustitia sua liberabunt animas suas.*

Ezech. 14.

Nunquid & Apostolus ait? *Alia est claritas solis, alia claritas lunæ, alia claritas stellarum. Stella enim à stella differt in claritate: sic erit in resurrectione mortuorum.* Non enim omnes ordines eiusdem claritatis: licet *non* sint æquales; æqualiter resurgent; sed inæqualem habebunt gloriam, tamen plenam, iuxta illud: *In domo patris mei mansiones multæ sunt.* Si enim vniusmodi tantum homines saluarentur, vnam tantum redonaret *mansionem*.

1. Corin. 15.

Ioan. 14.

Nunquid autem illi, qui vndecimâ horâ vocati sunt ad vineam, eiusdem ordinis sunt cum illis, qui vocati sunt summo mane, aut hora tertia, aut sexta, aut nona? tamen omnes suum denarium receperunt, licet differenter. Vnde Euangelista de semine

Matth. 20.

femine illo, quod cecidit in terram bonam ait: fecit quidem fru-ctum; *aliud trigesimum, aliud sexagesimum, aliud centesimum.* In hoc enim coniugati, viduæ & virgines figurantur. *Matth. 13.*

Et alius Euangelista ostendit populum discumbere quinquagenos & centenos. Ergò ad minus duo sunt ordines discumbentium. Quare autem Marcus ait: *Ecce, iam triduo sustinent me,* nisi propter eos, qui fuerunt ante legem, & sub lege, & sub gratia.

Perfectiorum enim duo erũt ordines. Vnus eorum qui iudicabunt & regnabunt: alter eorum, qui iudicabuntur, & regnabuntur.

Nunquid (non) & ipse Dominus virgines consecrauit, natus ex virgine? Nunquid (non) viduas, cum natus mox, ab ore Annæ felicis viduæ benedicitur? Nunquid (non) coniugalis, cùm signorum initiis suorum nuptiis illustrauit. Vnde Tatiani sunt, & etiam Marciani, qui nuptias condemnant. Exultent ergò Virgines, Christum Virgo peperit. Lætentur viduæ; Anna, filia Phanuel de Christo prophetauit. Gaudeant coniugales; Elizabeth nupta Dominum in spiritu præagnouit. Vnde Paulus ad Ephesios: *Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus: dona* dicit, non, *donum.* Quidam operantur in quinque talentis & proficiunt: quidam in duobus: quidam in vno, & proficere possunt. Et de eodem ad Corinthios: *Volo autem omnes homines esse, sicut meipsum; sed vnusquisque proprium donum habet à Deo, alius quidem sic, alius verò sic.*

Marc. 8.

Ephes. 4.

Matth. 25.

1. Cor. 7.

De tribus autem ordinibus loquitur Salomon in Canticis: *Sexaginta sunt reginæ, & octoginta concubinæ, & adolescentularum non est numerus.* De quibus subdit: *Viderunt illam filiæ Sion, & beatissimam prædicauerunt reginæ, & concubinæ laudauerunt eam.* *Cant. 6.*

Contemplatiua autem vita, nunquid differens est ab actiua? Vtraque tamen ad viam salutis nos perducit, sicut de Maria legimus & de Martha: de Ioanne idem & Petro; quorum vterque saluus factus est, licet differenter: De Lia similiter & Rachel: quarum Lia lippa, & fœcunda: Rachel pulchra, & sterilis. Vnde, [a] quibusdam Dominus dicit, *sequere me*: quibusdam dicit; *sic eum volo manere,* quidam enim ordo hîc incipit, & finitur; cui dictum est; *sequere me.* Quidam hîc incipit, sed non hîc finitur: cui

Luca 10. *Ioan. 21.*

Genes 29.

Matth 9.

Ioan. 2.

V

a] *Vnde in lib. Reg. 1. Dauid cum persequeretur Amalecitas, qui sic eleg. suam percusserant, ad torrentem Besor reliquit CC. qui lassi erant. Et iuit cum CCCC. Et cum victor rediisset, (sicut heretici modo dicunt,) quidam iniquum ex ipsis ait: quia hi CC. non venerunt nobiscum, non dabimus eis quidquam de præda. Cui Dauid:* Non sic faciemus, Æquum enim pars erit descendentis ad prælium, & remanentis ad sarcinas; Et similiter diuident.

cui dicitur: *sic eum volo manere.* Vnde illud: *Si emeris seruum Hebræum, sex annis seruiet tibi: in septimo egredietur liber gratis.* Actiua enim sex annis; Contemplatiua, septimo respondet anno. Sex ergò annos seruiamus: vt in septimo quiescere valeamus. Seruienti enim dicitur; *sequere me*; quiescenti verò; *sic eum volo manere.*

Luca. 15. Nunquid autem de mendico legimus: *factum est autem, vt moreretur mendicus; & portaretur ab Angelis in sinu Abrahæ.* De latrone autem legitur: *hodie mecum eris in paradiso.* *Luca. 23.* Nunquid mendicus & latro eiusdem fuerunt Ordinis? quis diceret? Hæretici tamen nec mendicos se asserunt nec latrones. Nunquid autem & eorum, qui colligebant manna; quidam plus nec abundauerunt; quidam minus nec minorarunt: tamen ad vnam mensuram peruenerunt Gomor. Sic & religiones, licet sint variæ, ad vnam tamen ducunt beatitudinem. Varij enim variis beatificantur virtutibus. Sicut Abel innocentia, Abraham obedientia, Isaac constantia, Iacob tolerantia, Loth hospitalitate, Ioseph castimonia, Moyses * miticia, Dauid misericordia, Daniel abstinentia, Iob patientia, & alij aliis modis, quid religionum varietates admiramini ô hæretici? Daturne omnibus vna gratia? imò aliis hæc aliis illa, teste Paulo, qui ait: *Habentes donationes, quæ data est nobis differenter; siue Prophetia, secundum rationem fidei: siue ministerium, in ministrando; siue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in simplicitate: qui præest, in solicitudine*: qui miseretur, in *hilaritate.* Ecce, quod his variis modis datur nobis gratia: quibus & saluamur per misericordiam.

** mansuetudine.*

Rom. 12.

Iob. *Vt legimus in Moral. humilis fuit, iuxta illud*: Si contempsi subire iudicium cū seruo meo: *Et Eleemosynarius*; *Vnde ait*: Si comedi bucellam meam solus, Hospes: vnde ait: peregrinus non mansit foris.

Nunquid autem & per arcam Noë manu factam, Ecclesiam designamus manufactam? Per congregationem animalium, congregatio fidelium figuratur: quæ similiter est Ecclesia per diuersa animalium genera, quæ ab aquis liberantur in Arca; diuersa baptizatorum genera designamus, quæ à Domino rediminuntur. Nunquid (non) multi venient ab Oriente, & recumbent cum Abraham? Multi ab Occidente, & recumbent in regno cælorum? Per hoc enim notatur viarum diuersitas, sed (vnius) beatitudinis. Hæreticos autem decipit illos, quod dicit Paulus ad Hebræos: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Variæ enim sunt, & peregrinæ, quæ in fide variantur doctrinæ, & peregrinantur à fide.

Matth. 8.
Hebr. 13.

Quod

Quod gloriari non debent in ieiuniis: & licitum sit carnes comedere.

CAPVT XX.



GLoriantes etiam in ieiuniis, & iustitias coram hominibus suas facientes; vt ab hominibus videantur, meritorum stipendia receperunt & mercedem: sed, vt pecuniam multiplicent abstinentes; quod abstinentia gloriantur. Nonne & Pharisæi sunt, qui dixerunt ad Dominum in Matthæo. *Quare nos & Pharisæi ieiunamus frequenter, discipuli autem tui non ieiunant?* Ecce, quod discipuli Domini non ieiunabant; imò Pharisæi & hæretici frequenter, prætendentes faciei pallorem, intonsi cum capillorum prolixitate; incedentes & barbati: Illis esse authenticum æstimantes: *barbato hoc crede magistro.* O barbata barbaries audite Dominum, qui ait in Matthæo: *Cùm ieiunatis, nolite fieri, sicut hypocritæ, tristes. Exterminant enim facies suas, vt hominibus appareant ieiunantes. Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Cùm autem ieiunaueris, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, &c.*

O parce viuentes, putatis ne à carnalibus desideriis (vos) abstinere, quia carnes non comeditis? Si in cibis & potibus, carnalia desideria intelligitis, similiter panis triticeus, mel, fructus, pisces, vinum & * pigmentalia, carnis sunt desideria. Si dixeritis; quòd carnes luxuriam commoueant, vinum quoque magis & * pigmenta: quod in Loth & Noë possumus comprobare. Vnde Dominus vestris doctoribus ait in Matthæo; *Non quod intrat in os, coinquinat hominem; sed quod procedit ex ore, coinquinat hominem.*

A Domino etiam tot ieiuniorum stabilimenta non habetis. Dominus enim in carne veniens, XL. diebus & XL. noctibus solummodo ieiunauit: postea esuriit. O noui inuentores, doctrinas hominum attendentes. Bursæ parcitis, & non carni. Nunquid autem & Marcus ait? *Omne extrinsecus introiens in hominem, non potest eum communicare. Non potest*, dixit; & subdit: *Et in secessum exit, purgans omnes escas. Omnes*, iterum dixit. Et Dominus

Ipsi, sicut amici Iob, qui charitatiuè & cordialiter ad afflictum venerunt, longanimiter cum afflicto tacuerũt: humiliter cum eo in terra sederunt, sparsis capitibus puluere, scissa veste; sed, indiscreta locutione perdiderunt; quod tanto labore mercati sunt.

Matth. 9.

Persius.

Matth. 5.

* *fort. pulmentalia.*

* *for. pulmẽta.*

Matth. 15.

Matth. 4.

Marci. 7.

Luca. 10. minus etiam ait in Luca; *In quamcunque ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, manducate, quæ apponuntur vobis.* Quæcunque ergò apponantur comestibilia, manducare inuitat. Omnia enim quæ creauit Deus, bona sunt. Vnde in Actibus Apostolorum dicit Dominus ad Petrum: *Quod Deus creauit, tu, ne commune dixeris.* Tamen ranæ & vermes erant in vase. Multò minus ergò ea, quæ ab hominibus comeduntur, communia debent dici.

Gene. 1.

Actor. 10.

Luc. 11. Et Lucas ait: *Si ergò vos, cùm sitis mali, nostis bona data dare filijs vestris, &c. Bona data* dixit, propter panem, piscem & ouum. Ergò ouum inter bona data reputauit. Quare ergò non comeditis saltem hoc, quod *bonum datum* appellauit: quod autem commune sit, dicatis, si audetis. Et idem alibi: *Beatus venter, qui te portauit, & vbera, quæ suxisti.* Vbera ergò sugens Christus, lac comedit. Pastoris ergò non spernatis edulium. Isaias enim de filio Dei loquens ait: *Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum, & eligere bonum.* Dicitis enim, quia Dominus carnes non comedit, quod falsum est. Si enim Dominus panem dicitur manducasse; sub nomine panis, omnia, quæ ad victum pertinent, intelliguntur. Sicut in Genesi de puero Abrahæ; qui, cùm vxorem Domino suo quæreret, *appositus est in conspectu eius panis.* Et Ioseph de fratribus suis dixit: *Viri isti mecum hodie comesturi sunt panem.* Nunquid & Beatus Abraham, tres Angelos hospitio recipiens, vitulum tenerrimum occidisse, eisque cum lacte, pane & butyro epulandum legitur obtulisse? sicut & in Euangelio pater filio vitulum obtulit saginatum. De bonis enim terræ est vitulus. Vnde Isaias: *Si volueritis & audieritis me, bona terra comedetis.* Si ergò *Christus tentatus est per omnia pro similitudine carnis absque peccato*: carnes autem comedere, aut huiusmodi, non est peccatum, pro similitudine comedit carnes, quod satis probabile est, quia, cùm in domibus publicanorum comederet, pro similitudine alterius, huiusmodi cibos (respuere non volebat) similitudinem enim hominis omninò habere volebat absq; peccato. Nunquid autem (non) & pisces comedit. Pisces verò carnes sunt. *Non enim omnis caro eadem caro, sed, alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.*

Ibidem.

Isaia 7.

Hieron. super Matth. Postquam typicum pascha fuerat completum, & agni carnes comederant; assumpsit panem, qui confirmat cor hominis, & ad verum paschæ transiit sacramentum.

Genes. 24.

Gen. 43.

Genes. 18.

Luca 15.

Isa. 1.

Rom. 8.

1. Corinth. 15.

Vos siquidem cibaria nostra dicitis esse immunda; vestra verò, munda. Munditiam enim in cibis, & potibus, & vasis, in rebus, quæ sunt deforis attendentes, munditiam relinquitis inte-

Interiorem. Vnde ad vos dicit Dominus: Nunc vos Pharisæi, quod deforis est, calicis & catini mundatis, quod autem intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate. Nobiscum autem, aut in vasis nostris manducare, prophanum esse dicitis. O hypocritæ; nunquid Dominus, (quando) cum Pharisæis manducabat, & ad fercula eorum inuitatus veniebat, vasa tamen sua secum ferebat?

Quare autem [a] dicitis hominum immunda esse cibaria: Quid dicat Paulus ad Romanos audiatis. *Scio, & confido in Domino Iesu, quòd nihil commune per ipsum, nisi ei, qui existimat quid commune esse, illi commune est.* Et alibi: *Omnia quidem munda sunt; sed malum est homini, qui per offendiculum manducat.* Et ad eosdem: *Bonum est, non manducare carnem, & non bibere vinum: neque in quo frater tuus offenditur aut scandalizatur, aut infirmatur.* Si ergò carnem omittitis, quare non & vinum? Salomon enim ait: *Luxuriosa res est* [b] *vinum.* Et subdit; *Ne intuearis vinum, quando flauescit, cùm splenduerit in vitro color eius. Ingreditur blandè, sed in nouißimo mordet vt coluber, & sicut regulus venena diffundet.* Et Ecclesiastes ait; *Cogitaui in corde meo abstrahere à vino carnem meam, vt animum meum transferrem ad sapientiam.* Non dixit à carne; sed, à vino. Similiter & Iesus filius Sirach: *Vinum & mulieres apostatare faciunt sapientes.* Et illud: *Diligentes in vino, noli prouocare: multos enim exterminat vinum.* Ignis probat ferrum durum: sic & vinum corda.

Patet ergò, quod vinum potius inuitat hominem ad illicita, quàm caro. Credunt enim hæretici ebrietatem vitare, quia sæpe bibunt aquas. Audiant ergò illud Isaiæ, qui ait: *Idcirco audi hoc paupercula, & ebria non à vino.* Et subdit *de calice saporis & indignationis & iræ, quo quis inebriari potest.* Isaias [c] enim nouit ieiunia eorum, qui ait: *Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & debitores vestros repetitis. Nunquid tale est ieiunium, quod elegi? Frange esurienti panem tuum, & egenos, vagosque induc in domum tuam, &c.* Nolite ergò gloriari in ieiuniis vestris, ô hæretici, neque alios arguatis comedentes. Dicit enim Paulus ad Romanos: *Qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum: Domino suo stat, aut cadit. Qui sapit diem, Domino sapit. Et qui manducat, Domino manducat. Gratias enim agit Deo. Tu autem quis es, qui iudicas fratrem tuum? Omnes enim stabimus ante tribunal Dei.*

a] *Isid. senten. lib.* Qui execrationis studio, non, abstinentiæ voto ab escis carnium se suspendit: hic potius execrãdus est: quia Dei creaturam, vsibus humanis concessam, reiicit.
Rom. 14.
Ibidem.
Prouerb. 20.
b] *Vnde in lib. Iud. Angelus Vxori Manue ait:* Sterilis es, sed concipies. Caue ergò ne bibas vinum aut siceram. Habebis filiũ, cuius nouacula non tanget caput. Erit enim Nazaræus Dei, id est Samson.
Eccles. 2.
Eccles. 19.
Idem. 31.
Isa. 51.
Isaia. 5.
c] *Alcuinus ad Karolum?* Qui à cibis abstinent, & praue agunt, dæmones imitãtur, quib. esca carnalis nõ est & nequitia spiritalis semper inest.

1 Corinth. 10.
Nunquid omnia vobis concessa sunt, præter lignum scientia boni & mali, in quo est mors? Lignum ergò scientia boni & mali comedunt haretici malè sibi conscij.
Et Dominus ad Noe: Tolles tecum ex omnibus escis, quæ mandi possunt, & cōportabis apud te. Et erunt tā tibi, quàm illis in escam.
Ephes. 5.
Titum. 1.
Actor. 10.
Ibidem.
a] In Deut. Ome quod mūdum est, comedite.

Audiatis iterum illud, quod dicit Paulus ad Corinthios in prima Epistola. *Omne quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Domini est terra, & plenitudo eius.* Et iterum; *si quis vos vocat infidelium, Et vultis ire; omne, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Siue ergo manducatis, siue bibitis, siue aliud quid facitis, omnia in gloriam Dei facite.* O fallaces, notate, quæ auditis. Carnes omisistis, quæ non prohibentur. Vinum autem, quod interdicitur, non omisistis. Dicit enim Paulus ad Ephesios: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.*

Sed forsitan obiicitis, carnes esse immundas, sententiam approbantes Pythagoræ; cuius sectam Ouidius exprimens, ait: *Heu quantum scelus est in viscera viscera condi. Iniectoq; cauum pinguescere corpore corpus.* O Pythagorei, quare carnes immundas esse dicitis, cùm Paulus ad Titum dicat? *Omnia munda mundis; coinquinatis autem & infidelibus nihil mundum.* Nunquid autem legistis in Actibus Apostolorum, quòd Petrus vidit vas plenum reptilibus terræ; & vox facta est ad eum: *Surge Petre, occide, & manduca. Cui Petrus ait: Absit Domine: quia nunquā manducaui omne commune & immundum.* Et vox iterum secundo: *Quod Deus purificauit, tu, ne commune dixeris.* O [a] immundi, omnia vobis immunda. Cùm autem abstineatis à cibis; quare non à vestibus abstinetis: Apostolus enim hoc fecit, qui de seipso ait: *In fame & siti, in frigore & nuditate.* Vos autem sicut cepa multiplices habetis tunicas.

Quod vetitum sit illis, quidquid latenter faciunt.

CAPVT XXI.

b] *Timeant illud, quod ait Iob*: Qui reuelat profunda de tenebris, & producit in lucē, vmbram mortis.
Ioan. 3.



Ale quidem & peruersè operantes in quibusdam latebris se abscondunt: quædam quoque facientes abusiua, ab aliis, & eorum nouiciis se videri non permittunt. Quis [b] hoc bonum æstimaret, quod in lucem non procedit? Verum est illud; *Qui malè agit, odit lucem.* O in tenebris, & vmbra mortis ambulantes: præceptum enim intelligitis Dominicum, quod legitur in Mat-

in Matthæo: Dixit enim: *quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine: & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* O lumine priuati, quid occultamini. *Nihil occultum, quod non reueletur.* Dictum ne est vobis; *Vos estis lux mundi?* Non videtur; cùm in abscondito prædicetis. Si doctrina vestra salubris est, exeat super tecta. Scriptum est enim in Matthæo; *Non potest ciuitatis abscondi super montem posita, &c.* Si opera vestra sana sunt, Domino pareatis, qui ait: *Sic luceat lux vestra coram hominibus, &c.* Vnde, iterum ait: *Vide ergò, ne lumen, quod in te est, tenebræ fiant.*

Matth. 10.
Luca. 8.
Matth. 5.
Ibidem.
Ibidem.

Vos autem tenebrosi estis, & latentes, homines enim nesciunt, quales sitis, quàm impij Vnde Lucas, ait; *Væ vobis, quia estis vt monumenta, quæ non apparent; & homines ambulantes supra, nesciunt.* Id enim ad nos retorquere non potestis. Homines enim plura sciunt de nobis, quàm sint vestra. Vestra autem monumenta non apparent, quæ foris sunt dealbata in hypocrisi. O ignem exstinguentes: Dominum audite, qui ait: *Ignem veni mittere in terram, & quid volo, nisi vt accendatur.* Hoc igne exstincto, palpatis tenebras. Et verè monumenta dealbatis, dicentes & gloriantes, sicut Pharisæus, qui ait: *Deus [a] gratias tibi ago, quia non sum; sicut cæteri hominum, raptores, iniusti adulteri, sicut etiam hic publicanus.*

Luca. 11.
Vnde Propheta inferno eos deputat, cũ diabolo, dicens: Ibi Assur, *id est diabolus,* & omnis multitudo eius, vt in circuitu eius sepulcra illius. *Hæretici enim diaboli iam mortui sepulcra sunt: sed exterius dealbati hypocrisi. Luc. 12. Luca. 18.* [a] *Isid. in lib. sent.* Circumspice temetipsum homo, nihilque tibi arroges, quæ in te sunt, præter peccatum.

Nonne & vos Pharisæi estis, hæc eadem facientes; nec tamen in hoc iustificati estis: sicut nec ille. O tanquam pueri sub cribro latentes; putatisne latere? Dominus vos videt, dicens in Luca: *Vos estis, qui iustificatis nos coram hominibus: Deus autem nouit corda vestra.* Vnde Psalmista: *Vultus [b] autem Domini super facientes mala.* Nunquid (non) & Ioannes in Euangelio ad vos loquitur dicens? *Dilexerunt homines magis tenebras, quàm lucem. Erant enim eorum mala opera. Qui autem facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur eius opera, quia à Deo sunt facta.* Et idem; *Ego lux in mundum veni, vt omnis, qui credit in me, in tenebris non maneat.* Si ergò creditis, de tenebris exeatis, alioquin Ecclesia vestra, Ecclesia malignantium erit, & obscurabitur.

Luc. 16.
Psal. 33.
b] *Vnde illud in lib. Iob.* Nudus est infernus coram illo: & nullum est operimentũ perditioni.
Ioan. 3.

Nec [c] Thyatire vocabitur, quę interpretatur *illuminata.* Neque vobis comparebit *stella matutina.* Palam ergò loquimini, sicut &

c] *Isti, de quibus Iob loquitur dicens;* Ipsi fuerunt rebelles luminis.
Apocalyp. 1.

Ioan.18. cut & Ioannes de Domino testatur in passione dicens: *Ego palam locutus sum mundo. Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus sum nihil.* Et Isaias ad

Isaia.5. nos clamat, dicens: *Væ, qui dicitis bonum, malum, & malum, bonum,*

Id.29. *ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebris.* Et idem: *Væ, qui profundi estis corde, vt à Domino abscondatis consilium, quorum sunt in tenebris opera, & dicunt, quis videbit nos, aut quis nouit nos, peruersa est hæc cogitatio: quasi, si lutum contra figulum cogitet, & dicat factura factori suo: non fecisti me: & figmentum dicat factori suo: non intelligit.*

Audite Salomon, qui ait: *Sapientia foris prædicat, & in plateis*

Prouerb.1. *dat vocem suam. In capite turbarum clamitat, in foribus portarum Vrbis profert verba sua.* Et iterum: *Deriuentur fontes tui foras, & in*

Prouerb.5. *plateis aquas tuas diuide.* O hæretici, qui in occulto defertis ignem. Ignis in vos irruet; iuxta illud; *alligabit quis ignem in sinum suum, & vestimenta sua non comburentur.* Gestas in sinu prunas; perforatur tunica: sed, istas prunas pauci vident: ideò eas (non) commendat spiritus Dei. Propaletur ergò ignis, ne, in sinu abscondatur. Ignis enim si lateat, præ omnibus suum vrit portitorem.

Quod hæretici temporalia non omittunt, sed potius quærunt.

CAPVT XXII.



Anè quidem superstitionis intuitu, de temporalium missione non minimum gloriantes, de eorundem amplexatu deberent gloriari. Omiserunt enim ludicra, sed non lucra: abiecerunt otia, sed non negotia. Ita enim mundanis abrenunciant, vt auaritiæ obligentur vinculo fortiori. Si pauper [a] enim fueris & mendicus, moram cum illis facias, statim exies opulentus, quippe à diluculo ad crepusculum in mundanis [b] operosi mercaturis, manus non permittant otiari. De quibus scriptum est in Mat-

a] *Caus. XII. q.1. Hier.* Qui Dominũ possidet, & cum Propheta dicit, pars mea Dominus, nihil extra Dominũ habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominum; pars eius non erit Dominus. [b] *Zachar.* Non erit mercator vltra in domo domini exercituum.

in Matthæo; *Vbi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* O cupidi & auari, audite Dominum dicentem in eodem: [a] *Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea, & pater vester cælestis pascit illa.* Et subdit: *Si autem fœnum quod hodie est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit: quanto magis vos modicæ fidei.* Ecce, quod victum vestitum mira cum sedulitate quæritis. *Nonne hæc omnia gentes inquirunt.*

Neque [b] in hoc contenti estis, imò vineas & hortos, & etiam domos in pignus recipere, &, quod pudendum est, loculos farcire non timetis, Domino reprobante, qui ait in Matthæo; *Nolite possidere aurum, neque argentum, neque pecuniam in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, neque virgam.* Et alibi: *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, &c.* O fratres vxoris Loth: nunquid (non) manum tenentes in aratro post terga respicitis? Estis enim tanquam canes ad vomitum reuertentes. Relicta enim sequimini. Matthæum non legistis, vbi Dominus ad Simonem & Andream ait: *Venite post me: At illi continuò, relictis retibus, secuti sunt eum. Et post pusillum vidit alios duos, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius cum Zebedæo patre eorum, reficientes retia sua, & vocauit eos. Illi autem statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.* Vos autem è conuerso, Christum relinquentes, sequimini retia. Filij enim Scribæ estis: cui Magister dixit in Luca; *Vulpes foueas habent, & volucres cæli, nidos, &c.* Vbi Dominus sic respondet: (*Filius autem hominis non habet, vbi caput suum reclinet.*) Vos siquidem mutatoria habentes, cilicium & cinerem deridetis. Cilicium tamen & cinis à Domino approbantur; qui ait in Matthæo; *Væ tibi Corozaim, væ tibi Bethsaida: quia, si in Tyro & Sidone factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis; olim in cinere & cilicio pœnitentiam egissent.* Vos, nec cilicium nec cinerem recipitis: nec eos, qui recipiunt, sustinetis. Vnde illud ad vos dicitur: *Progenies viperarum, quomodo potestis bona loqui:* Et illud: *Ex verbis tuis condemnaberis.*

Omnia ista vobis dicuntur: quia, in mercimoniis soliciti estis. De qua solicitudine legitur in Matthæo. *Solicitudo seculi istius, & fallacia diuitiarum suffocat verbum, & sine fructu efficitur.* Non legistis de semine, quod cecidit inter spinas? O imperfecti, audite Dominum, qui ait: *Si vis perfectus esse, vade, & vende, quæ* habes,

Matth. 6.

a] *Credunt ergo in eum, de quo legitur in Deut.* Adduxi vos XL. annis per desertum; non sunt attrita vestimenta vestra, nec calceamenta pedum vetustate consumpta.

Ibidem.

b] *Legimus de Iacob cùm Angelum tenuit, vno mox pede claudicauit; quia, qui verò amore sublimia respicit, vno in mundo titubat pede, si solo Dei amore roboratur.*

Matth. 10.
Genes. 19.
Luca. 9.
2. Pet. 2.
Matth. 4.
Luca. 9.
Matth. 11.
Matth. 12.
Ibidem.
Matth 13.
Luca. 8.
Matth. 19.

habes, & da pauperibus; & veni, sequere me. Nondum omnia vendidistis, quomodo perfecti estis? Scitis enim, quod *facilius est camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum cælorum.* Nullo modo Petrum imitamini, qui ait; *Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te.* Potestis ne Dominum sequi, ô pelliparij pellibus onerati? Verè de vobis dicitur in Matthæo. *Multi in nomine meo venient, dicentes, ego sum Christus, & seducent multos.* Vnde bella, seditiones, & fames, & pestes quocunque ieritis, vos sequuntur; & virtutes Dei fugiunt à locis, in quibus habitatis, Matthæo attestante, qui ait: *Et non fecit ibi virtutes multas, propter incredulitatem eorum.* O increduli: non dixit, propter mala eorum opera: sed, propter incredulitatem.

O timidi; [a] nec etiam castrorum munimina reliquistis. Nonne, si perfecta charitas in vobis esset, vbiq; tuti essetis. Liquet, de vobis esse scriptum. *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Quibus dicit Dominus in Matthæo; *Nolite timere eos, qui corpus occidunt, animam autem non possunt occidere. Nonne duo passeres asse veneunt, & vnus ex illis non cadet super terram sine patre vestro, multis passeribus meliores estis vos.*

Firmior quidem fuit Dauid, qui ait: *Dominus mihi adiutor, non timebo, quid faciat mihi homo.* Et alibi: *Non timebo millia populi circumdantis me.* Paulus autem tanquam timidus in castris non latebat, qui ait ad Hebræos: *Exeamus igitur ad eum extra castra.* Vnde Salomon: *Iustus quasi leo* [c] *confidens absq; terrore erit.* Quare autem non completis parabolam hominis inuenientis thesaurum in agro: qui, *præ gaudio thesauri vendidit omnia, quæ habuit; & emit agrum illum.* Et parabolam negotiatoris, *qui quærens bonas margaritas, inuenit vnam preciosam, & statim vendidit vniuersa, & emit eam.* Nec hanc, nec illam completis. Non enim estis illi, de quibus Lucas ait: *Et subductis ad terram nauibus relictis omnibus, secuti sunt eum.*

De sedente autem ad teloneum non legistis? De quo, Lucas ait: *Relictis omnibus surgens secutus est eum.* Similiter & de Zachæo, qui dimidium bonorum suorum dedit pauperibus, &, quæ fraudauit, reddidit quadruplum. O serui nequam; cuius estis discipuli? Antichristi. Non enim Christi; qui ait in Luca; *Sic ergò omnis ex vobis, qui non renunciauerit omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus.* Quod vltra? Creditisne duobus Dominis

Ibidem.
Matth. 16.
Matth. 14.
a] *In lib. Reg. 1. Saul & nuncij eius quærentes interficere Dauid, cum Samuele spiritum Prophetiæ acceperunt.*
Matth. 13.
b] *Sed dicunt, quod Dominus fugit in Ægyptum: sed, non causa timoris; imò vt dirueret idola Ægypti: Vnde Isa.* Ascēdet Dominus nubem, & ingredietur Ægyptū, & mouebuntur simulacra Ægypti.
Psal. 13.
Matth. 10.
Psal. 117.
Psal. 3.
Hebr. 7.
c] *Sal.* Fugit impius, nemine persequēte.
Matth. 3.
Matth. 4.
Luca. 5.
Luca. 19.
Luca. 14.

minis seruire? Deo & Mammonæ? Ideo dicit vobis Dominus in Matthæo: *Nolite soliciti esse animæ vestræ, quid manducetis*, Et Ioannes; *Operamini non cibum, qui perit: sed, qui permanet in vitam æternam.* *Matth. 6.* *Ioan. 6.*

Quid de cibo dicam? Et in verbis estis abundosi vanis, maledicis, & etiam cachinnosis, quod prohibet Matthæus dicens: *Sit autem sermo vester est, est, non, non, quod autem his abundantius est, à malo est.* Vnde Iacobus, *Si quis in verbo non offendit, hic perfectus est vir.* *Matth. 5.* *Iacob. 3.*

O malè domestici, tantùm ad domesticos vestræ fidei operantes: intelligite Paulum, qui ait ad Romanos: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit: potum da illi.* Et ipse Dominus in Euangelio: cùm quis fecerit conuiuium, cœcos, debiles, claudos vocari prædicat; non amicos, aut parentes, in quibus spes est mutui? Licet alibi dicatur ad Galatas: *Ergò dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.* Hilariter ergò omnibus dare debetis, *hilarem enim datorem diligit Deus.* Vnde illud; *qui miseretur in hilaritate; qui præest, in solicitudine:* Vos autem nihil datis; sed, solicitè mundana acquiritis. De mundanis autem in quibus soliciti estis, dicit Paulus ad Philipp. *Propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror vt stercora.* De stercoribus ergò quare soliciti estis? Scriptum est enim ad Timotheum. *Nemo militans Deo, implicat se negotijs secularibus.* Et ad Corinthios ait: *Non enim quæro, quæ vestra sunt, sed vos*: præmonuit enim eos sic; *sicut egentes, multos autem locupletantes; tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Vos autem è conuerso: Omnia possidetis, tanquam nihil habeatis. *Rom. 12.* *Luca 14.* *Galat. 6.* *2. Corinth 9.* *Rom. 12.* *Philip. 3.* *2. Timoth. 2.* *1. Corin. 12.* *2. Cor. 6.*

Nunquid autem (non) in Actibus Apostolorum legimus; *Omnes etiam, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia*: possessionem & substantiam vendebant: & diuidebant illa omnia omnibus, prout cuique opus erat. In vobis autem, non omnia communia; quidam enim plus; quidam, minus habent, cùm nihil habere debeatis, teste Petro, qui ait in Actibus Apostolorum de se ipso. *Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge.* Vos autem propria habetis, & dicitis; *hoc est meum*: quod est contra illud, quod in Apostolorum Actibus legitur: *Multitudinis autem credentium, erat cor vnum, & anima vna, &c.* *Actor. 2.* *Actor. 3.*

Apocalyp.18. Nunquid (non) mercatores estis: tamen in Apocalypsi legimus: *Cecidit, cecidit Babylon magna:* Et subditur: *Mercatores terræ de virtute deliciarum eius, diuites facti sunt.* Et paulò post: *Negotiatores terræ flebunt, & lugebunt super illam: quoniam merces eorum nemo emet amplius, &c.* Quare ergò in tot mercaturis soliciti estis: Scriptum est enim ad Timotheum. *Habentes autem alimenta, & quibus tegamur, his contenti sumus. Nam, qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem & laqueum diaboli, &c.* Item audite Petrum qui ait: *Omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum: quoniam ipsi cura est de vobis.* Solicitudinem ergò abiiciatis, & dicatis cum Psalmista; *Dominus pascit me, & nihil mihi deerit, &c.* Scriptum est enim; *Non affliget Deus fame animam iusti.*

Ibidem.

1. Timoth.6.

1.Pet.2.

Psalm.22.

Prouerb.10.

Ioan.4. Nunquid autem mulier Samaritana, cum ei Christus diceret; *Ego sum, qui loquor tecum*; reliquit hydriam, euangelizans eum in ciuitate? O hæretici, non hydriam relinquitis, sed domos super domos ædificatis. Vnde Isaias ad vos clamat: *Væ, qui coniungitis domum ad domum, & agrum ad agrum copulatis.* Et iterum: *Væ, qui trahitis iniquitatem in funiculum vanitatis, & quasi vinculum plaustri peccatum. Væ qui dicitis malum bonum, & bonum malum, ponentes tenebras in lucem, & lucem in tenebras, ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum: & coram vobismetipsis prudentes. Per hoc radix eorum fauilla erit: abiecerunt enim legem Dei exercituum, & eloquium sancti Israel blasphemauerunt.*

Isa. 5.

Ibidem.

a] Isid. in lib. sent.1. Hæretici inuicē sunt diuisi: sed in aduersitatem Ecclesiæ simul existunt vni.

Quare autem [a] vestra communia non sunt, cùm de latronibus scriptum sit: *Sortem mitte nobiscum; marsupium vnum sit omnium nostrum.* Quod verò habetis, absconditis, & potius emitis, quàm vendatis. Sed audite Salomonem. *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis: Benedictio autem super caput vendentium.* Cui autem vestra absconditis, cùm filios non habeatis? Tamen scriptum est: *Bonus relinquit hæredes filios, & nepotes, & custoditur iusto substantia peccatoris.*

Prouerb.1.

Prouerb.11.

Prouerb.13.

Prouerb.14. Pauperibus etiam nullatenus subuenitis, cùm idem Salomon dicat: *Qui miseretur pauperi, beatus erit:* Et iterum: *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperi, & vicissitudinem suam reddet ei.* Et idem: *Qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis; & ipse clamabit, & non exaudietur, qui autem iustus, tribuet, & non cessabit.* Et idem: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi: tribue tantùm victui meo necessaria: Ne fortè saturatus illiciar ad negandum: & di-*

Prouerb.19.

Prouerb.21.

Prouerb.30.


eam, quis est Dominus? aut egestate compulsus, furer, & periurem nomen Dei mei.

O miseri, nunquid sæpe recordamini, quod *omnia vanitas.* Vos tamen in illis, quæ sunt vanitas, de mane vsque in vesperum instudetis operosi. Manè surgitis, vt vana operemini: Et vos, nunquid (non) vani estis? bonum etenim fœnus relinquitis. De quo fœnore Iesus filius Sirach ait: *Qui facit misericordiam, fæneratur proximo suo. Conclude eleemosynam in manu pauperis, & hic pro te exorabit.* Et idem: *Qui aufert in sudore panem, quasi occidit proximum suum.* *insudatis. Ecclesi. 29. Ibidem. Ecclesi. 34.

Probatio, quod ipsi sint hæretici, & nulli alij.

I. Moneta. li. 5.

CAPVT XXIII.



Vnquid autem (non) tanquam fures & Latrones in ouile veniunt? se quidem Christi Apostolos nuncupantes, sub hypocrisi falsè sibi adscribunt nomina: Eos autem hæreticos, vero nomine, possumus appellare. Paulus enim eos nouit & præ nouit dicens ad Timotheum in 1. Epistola: *Spiritus autem manifestè dicit: quia, in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum: in hypocrisi* [a] *loquentium mendacium, & cauteriatam habentes suam conscientiam; prohibentium nubere, abstinentium à cibis, quos Deus creauit ad percipiendum, cum gratiarum actione fidelibus, & his, qui cognouerunt veritatem: quia omnis creatura Dei bona; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei & orationem.* Ioan. 10. 1. Timoth. 4.

Et iterum ad Timotheum in secunda Epistola: *Hoc autem scito, quod in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, superbi, blasphemi, parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione, sine pace, criminatores, incon-*

a] *Magister Petrus in Psalt.* Tria sunt genera mendacii. Mendacium pro salute, vel commodo alicuius: vt obstetrices in Exodo dixerunt Pharaoni falsum, pro filiis Hebræorum. Mendacium, quod fit ioco, quod non fallit: scit enim ille, cui dicitur, ioco dici. In his est culpa, sed non magna. Mendacium ex malignitate, quod summopere cauendum est: *Vnde:* Perdes omnes, qui loquuntur mendacium, scilicet tale, vbi cor duplex, cum intentione fallendi, & hypocrisi.

2. Timoth. 3.

a] *Sed ex hoc vtilitas nobis comparatur; quia vt ait Isidorus in summo bono*: Hæreticorum occasione propagati sunt doctores in fide: Et per accumulationem hæresum, Ecclesiæ Magistri creuerunt: sicut enim exercetur patientia cum tentatur gladiis, ita exercetur sapientia, cùm tentatur verbis.

incontinentes, immites, sine benignitate, proditores, proterui, tumidi, voluptatum amatores magis, quàm Dei, habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem eius abnegantes: Et hos deuita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos, & captiuas ducunt mulierculas, oneratas peccatis, quæ ducuntur varijs desiderijs, semper discentes, & nunquam ad scientiam veritatis peruenientes. Quemadmodum autem Iamnes & Mambres restiterunt Moysi: ita hi resistunt veritati; homines corrupti mente, reprobi circa fidem. Non dixit; circa *opera*, in quibus videntur gloriari.

Ephes. 5. Omnia autem Capitula, quæ prædiximus, super eos possunt intelligi. De eis autem loquitur Paulus ad Ephesios dicens; *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum; magis redarguite: quæ enim in occulto fiunt, ab ipsis, turpe est & dicere.* Et iterum ad Timotheum in prima Epistola: *A quibus quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes, neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant.* O stupendum; licet falsi sint, de falsitate tamen audiuntur, teste Paulo, qui loquitur ad Timotheum in secunda Epistola dicens: *Multum enim proficiunt ad impietatem; & sermo eorum, vt cancer, serpit.* Et subdit: *Mali autem homines & seductores proficiunt in peius errantes, & in errorem mittentes.* Et ad Corinthios in secunda Epistola. Eiusmodi pseudoapostoli, *operarij dolosi*, [b] *transfigurantes se in Apostolos Christi.* Et non mirum: *Ipse autem Satanas transfigurat se in Angelum lucis.*

1. Timoth. 1.
2. Timoth. 2.
2. Corinth. 11.

b] *Vide Greg. in Mora.* Amici Iob, qui cōsulentes inueniuntur, hæreticorum figuram exprimunt, qui, sub specie consulendi, agunt negocium seducendi.

Nunquid non & sapientiores sibi applicant, & conducunt, vt minus sapientes facilius seducant, teste Paulo; qui ait ad Timotheum in secunda Epistola. *Erit enim tempus, cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus; & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.* Si autem Christi sunt, quare Christum non prædicant, vbi, Christum de Virgine natum à mortuis surgere non creditur? sicut Paulus faciebat; qui, ait ad Romanos; *Sic autem prædicaui Euangelium, non, vbi nominatus est Christus, ne super alienum fundamentum ædificarem.* Ipsi autem *super alienum fundamentum* ædificare nituntur.

2. Timoth. 4.
Rom. 15.

Se ipsos

Se ipsos etiam iustificant, & commendant, prout possunt; sed stultum est & inane. Vnde ad Corinthios in secunda Epistola: *Non enim, qui se ipsum commendat, ille probatus est, sed quem Deus commendat.* Et ad eosdem in prima dicit Paulus de se ipso: *Nihil enim mihi conscius sum, sed non in hoc iustificatus sum.* Et paulò post subdit: *Gratia Dei sum id, quod sum.* Ipsi autem ab humano die nolunt iudicari.

2. Corin. 10.
1. Corinth. 4.

Nunquid etiam dicunt, quòd Paulus in Epistola ad Titum ostendit ordinationem Ecclesiæ eorum? sed ibidem dicit Paulus; *seruos Dominis suis subditos esse.* Ergò in eorum Ecclesia, quidam sunt serui, quidam Domini; cui Dominus aduersatus in Euangelio dicens: *Iam non dicam vos seruos: quia seruus nescit, quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi, amicos, quia omnia, quæ audiui à patre meo, nota feci vobis.* O iniqui: Vocatisne seruos, quos Dominus vocat amicos? Paulus autem & fratres ad Philemonem, dicens de Onesimo acolytho: *Si ergò habes me socium, suscipe illum, sicut me.* Quare ergò æquanimiter non suscipitis pauperem, vt potentem? Iacobus in hoc vos accusat dicens: *Etenim si introierit in conuentum vestrum vir aureum annulum habens in veste candida; Introierit autem pauper, in habitu sordido: & , intendatis in eum, qui indutus est veste præclara, & dixeritis ei; tu sede hic benè: pauperi autem dicatis; tu, sta illic, aut sede sub scabello pedum meorum: Nonne iudicatis apud vosmet ipsos: & facti estis iudices cogitationum iniquarum.* Et paulò post ait: *Si autem personas accipitis,* [a] *peccatum operamini, redarguti à lege, tanquam transgressores.*

Titum. 2.
Ibidem.
Ioan. 15.
Iacob. 2.

a] In Leuitico: Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis.

Nunquid (non) & Ioannes introitum Ecclesiæ vobis interdicit, dicens in secunda Epistola; *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert;* (de doctrina dicit: quòd dilectio proximi, non est mandatum nouum; sed, in Veteri lege datum) *nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis, qui enim dicit illis, aue, communicat operibus illorum malignis.* Et Iudas in Epistola, vos pluries accusat, qui ait: *Deprecans concertari semel traditæ sanctis fidei. Subintroierunt enim quidam homines, qui olim descripti sunt in iudicio, Dei nostri gratiam transferentes in luxuriam, & solum dominatorem, & solum Dominum Iesum Christum negantes.* Et post pusillum ait: *Similiter & hi somniantes, carnem quidem maculant, dominationem autem spernunt, maiestatem verò blasphemant.* Et iterum ait: *Hi autem, quæcunque ignorant, blasphemant, quemcunque autem naturaliter, tan-*

2. Epist. Ioan.
Iud. in Epist.

ter, tanquam muta animalia, norunt, in his corrumpuntur. Væ illis, qui in via Cain abierunt, & errore Balaam mercede confusi sunt, & in contradictione Chore perierunt. Hi sunt in epulis suis maculæ, conuiuantes sine timore, semetipso pascentes, nubes sine aqua, quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuosæ, eradicatæ, bis mortuæ, &c. Prophetauit autem de his septimus ab Adam Enoch dicens: Ecce venit Dominus in sanctis millibus suis fauore iudicium contra omnes, & arguens omnes impios, de omnibus operibus impietatis eorum. Et iterum: *Vos autem charißimi, memores estote verborum, quæ dicta sunt ab Apostolis; qui dicebant, quoniam in nouißimo tempore venient illusores secundum sua desideria ambulantes in impietate, hi sunt, qui segregant* [a] *semetipsos, animales, spiritum non habentes* * *sanctum.*

* Sic M. S.

a] *Isid. sen. lib.* Qui autē sunt hæretici, nisi qui relicta Dei Ecclesia, priuatas elegerūt societates.

1. Ioan. 3.

Nunquid autem dicitis vos ex Deo natos esse, quod falsum esse probo. Peccatum enim non haberetis, nec, etiam peccare possetis, vt Ioannes testatur in prima Epistola dicens: *Omnis, qui ex Deo natus est, peccatum non facit: quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo est natus.* Si autem dixeritis, quod non peccetis, audiatis, quod sequitur. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, &* [b] *veritas in nobis non est.* Quomodo ergò estis ex Deo nati? Vnde & Salomon ait; *Quis potest dicere, mundum est cor meum? purus sum à peccato?* quia, diceretur; Nemo. Nonne ex nobis exiistis, de quibus Ioannes. *Ex* [c] *nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. Nam, si fuissent ex nobis, permansissent vtique nobiscum.* Estis enim tanquam corui ab arca exeuntes, & in arcam non redeuntes vt columba. Vnde Paulus ad Laodicenses de vobis ait: *Gaudete in Christo, & præcauete sordidos homines in lucro.* Magis enim intenti estis lucro, quàm lauacro. E Ioannes in Apocalypsi ad Ecclesiam Ephesi: *Non potes sustinere malos, & tentasti eos, qui se dicunt Apostolos: & non sunt; & inuenisti eos mendaces.* Dicitis enim; quia Apostolorum vitam ducitis. Et subdit ad eos, qui vobis credunt: *Memor esto itaque, vnde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac: sin autem, venio tibi, & mouebo candelabrum de loco suo.* Quid aliud est mouere candelabrum, quàm Dei faciem auertere.

b] *Vnde in lib. Iob*: Ecce, qui seruiunt ei, nō sunt stabiles, & in Angelis suis reperit prauitatem: quanto magis hi, qui habitant domos luteas.

Prouerb. 20.

1. Ioan. 2.

c] *Vnde Isid.* Paganus & hæreticus vnum sunt. Ille, quia nunquam fuit cum populo Dei: iste, quia recessit à Dei populo.

Apoc. 2.

Ibidem.

Ibidem.

Persequentibus autem vos dicit: *Vincenti dabo edere de ligno vitæ.* Lignum vitæ, est Christus. Vos autem præcipitantes estis, vt Balach. Vos, sine substantia, vt Balaam. Vos enim Balachitæ, & etiam Balaamitæ. De vobis enim dicitur in Apocalypsi; *Pu-*

Apocalyp. 2.

gnabo

gnabo cum illis in gladio oris mei. Et iterũ: *Tertius angelus tuba cecinit & cecidit de cælo stella magna, ardens tanquam facula. Et cecidit in tertiam partem fluminum, & in fontes aquarum, in absinthium: & multi hominum mortui sunt, de aquis; quia amaræ factæ sunt.* Stella magna de cælo ruens, vos figurat; qui de firmamento Ecclesiæ lapsi estis in flumina, & fontes scripturarum sanctarum: quas prauè intelligendo, in amaritudinem vertitis: de quibus Propheta ait: *Væ, qui potum dat amico suo, miscens in eo fel suum.* Et iterum: *Soluti sunt quatuor Angeli, qui parati erant in horam, & mensem, & annum, vt occiderent tertiam partem hominum.* Quatuor dixit, propter quatuor mundi partes, quas in licentiam persecutionis habetis, vt tertiam partem hominum occidatis. Et iterum subditur: *Numerus equestris exercitus decies millies mille millia.* Ecce numerus vester, ô damnati. *Et de ore ipsorum procedit ignis, & fumus, & sulphur.*

Apoc. 8.

Et illud: misit draco caudã, & traxit tertiam partem stellarũ. *Draconis cauda stellarum pars trahitur: quia hæretica persuasione extrema, quidam, qui videntur lucere, rapiuntur: stellas nãque trahere in terram est, eos, qui videntur studio vitæ cælestis inhærere, amore terrenorum inuoluere.*

Vos quidem estis bestia habens duo cornua, similia agni, loquens sicut draco: Et facitis adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis, id est, diabolum, siue Antichristum. Vnde Paulus ad Timotheum, loquens in prima Epistola de vobis ait: *Hoc præceptum commendo tibi fili Timothee, secundum præcedentes in te Prophetias, vt milites in eis bonam militiam, habens fidem, & bonam conscientiam, quam quidam repellentes circa fidem naufragauerũt.* Et ad Titum ait: *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, &c.* Et Iacobus etiam vos monuit, qui ait: *Si quis autem putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, &c.* Ecce taciturnitas monachorum in hoc non est vituperanda, sed hæreticorum loquacitas: magis enim garriunt, quam obediunt. Obedire enim nolunt Prælatis nostris: dicentes, quia mali sunt. Ignorant autem illud, quod ait Petrus: *Serui subditi estote in omni timore Dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis, &c.* Vnde & Rabanus ait: *Siue iustè, siue iniustè proferatur sententia pastoris; obseruanda est: ne fortè culpa, quæ non fit ex opere, fiat ex elatione.* Petrus iterum ait: *Paulus secundum datam sibi sapientiam scripsit.* Et sequitur: *loquens de his: in quibus sunt quædam difficilia intellectu; quæ* [a] *indocti & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum perditionem, &c.* Et iterum de vobis Sybilla: *Quartus autem sol, quarta generatio est. Erunt homines, quod verum est abnegantes:*

Abac. 2.
Apoc 8.
Ibidem.
1. Timoth. 1.
Tit. 3.
Iacob. 1.
1. Pet. 2.
2. Pet. 3.

a] *Quibusdam enim scriptura, sunt odor mortis in mortem, quibusdam, odor vitæ, in vitam.*

gantes: Et in diebus illis exurget mulier de stirpe Hebræorum, nomine MARIA, *&c.* Vos enim estis tanquam Sichemitæ, qui apud Iudæos circumcidebantur, non propter Deum; sed propter populi fauorem.

Baruch. 3.

Nunquid autem (non) & duos dicitis esse Deos? obuiantes Baruch, qui ait: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius absq; illo.*

Luca 16.

** Num vocula Germanica Papengei: quasi dicat; Hæreticos vestri instar multicolorum Psitacorum.*

Rom. 10.

Nunquid non vos estis tanquam diues, *qui induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidie splendidè?* Induimini enim purpura & bysso, id est, * *Papagen*, quasi cultum bonæ vitæ habentes exterius, potius ad nitorem, quàm ad vtilitatem. Quid est enim purpura, nisi vana gloria? Nos autem, licet simus vlcerosi, id est, peccatores, vt Lazarus: vlcera nostra incute sunt: id est, peccata nostra exterius parent, & confessione delentur: quia, *ore confeßio fit ad salutem.*

Luca. 16.

Ioan. 5.

Matth. 7.

Vos autem Christum resurrexisse à mortuis, non creditis. Vnde vobis dicit Lucas: *Si Moysen & Prophetas non audiunt, neque, si quis ex mortuis resurrexerit, credent.* Vnde Dominus ait: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit.* Nunquid & vos iudices facti estis? *Eâdem quidem mensurâ, quâ mensi fueritis, remetietur vobis.* Si ergò iudicatis; iudicabimini. Vultis non iudicari? scriptum est: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* Vobis autem illud dicitur: *Væ vobis, Scribæ & Pharisæi, hypocritæ; qui circuitis mare & aridam, vt faciatis vnum proselytum, vt, cum factus fuerit, faciatis eum filium gehennæ duplo, quàm vos.* Vbicunque enim ad hypocritas loquitur, ad vos loquitur. Vos enim estis similes monumentis dealbatis, de quibus Salomon: *Simulatores & callidi, prouocant iram Dei.* Et alibi: *Simula-*

Matth. 23.

In lib. Reg. 3.

In iudicio Salomonis Christi figura fuit. *Vbi mulier improba, id est, plebs hæreticorum, vera matris, hoc est, Ecclesiæ filium appetebat, non, vt nutriret, sed, vt interimeret. Et, si ut gladio Salomonis, mater in gemitu vera comperta est: ita plures seducti hæretica rabie, spiritu Dei docente, redeant ad veram matrem Ecclesiam pro ipsis gementem.*

Iob. 13.

Luca. 13.

Cant. 2.

Eccles. 19.

Iob. 34.

tor ore decipit amicam suam. Vnde B. Iob: *Non veniet in conspectu Domini omnis hypocrita.* Estis enim vulpes, pleni dolis, & latentes in foueis, fœtentes in odore, non recto itinere, sed per anfractus curritis tortuosos, quibus Dominus ait: *Ite, dicite, vulpi illi. Ecce, eiicio dæmonia, &c.* Et in Canticis: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, nam vinea nostra floruit.* Et Iesus filius Sirach: *Est, qui nequiter humiliat se, sed interiora eius plena sunt dolo.* Sed Deus ita vult. Vnde illud in libro Iob, de Deo: *qui regnare facit*

hominem

hominem hypocritam propter peccata populi. Quia vt ait Isaias: *Dies Domini super omnes naues Tharsis, & super omne, quod visu pulchrum est.* Et subdit: *Agnitio vultus eorum, respondebit eis, & peccatum suum quasi Sodoma prædicauerunt.* Et iterum: *Pulcherrimi quoque viri tui gladio cadent:* Et idem de vobis prophetauit dicens: *Erit in die nouissima in testimonium & vsque in æternum. Populus enim ad iracundiā prouocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legē Dei: qui dicunt videntibus, nolite videre: & aspicientibus,* nolite aspicere. Isaia 2. Ibidem. Isaia 3. Isaia. 30.

Nunquid (non) vos estis *olla succensa, cuius facies à facie aquilonis erat?* Vos præuidit Hieremias: Et subdit: *Ecce ego iudicio contendam tecum, eo quod dixeris, non peccaui.* Et idem ait: *Ne credas* [a] *eis, cum locuti fuerint tibi bona.* Et iterum: *Noli orare pro populo isto in bonum. Cùm ieiunauerint, non exaudiam preces eorum. Peccatum enim vestrum scriptum est stylo ferreo in vngue adamantino,* Sicut dicit Hieremias: Et calathus vester *plenus est ficubus, quæ comedi non possunt.* Et vos calicem vini furoris propinatis. Nunquid vos estis filij Ionadab, filij Rechab, non bibentes vinum? Non tam fideles; bibitis enim. Lumbare vestrum computruit: Dentes obstupuerunt; nec impunè, scio enim *virgam vigilantem.* In his quidem omnibus, vobis insultat Hieremias. * O fagolidori, senes Chias reiicitis, quas estis iterum corrosuri. Polluta & morticinum est esca vestra, & à bestiis lacerata. Nunquid autem & nobis scripsit articulus Domini? *Mane, Techel, Phares: Mane;* quia complebitur regnum vestrum ad malum. *Techel;* quia nullius ponderis, & nullius valoris estis. *Phares,* quia diuisi estis: Vnde & Pharisæi vocamini.

Hierem. 1. Hierem. 12. a) *Isi* Nonnūquam falsitas veriloquio adiungitur: Et plerunq; à veritate incipit, qui falsa confingit, sæpe vera præmittit, quæ falsa locuturus est. Idem. 14. Idem. 17. Hier. 24. Hebr. 35. Hier. 13. Hier. 3. Hier. 1. * Locus corruptus. Daniel. 5.

De vestra autem via Salomon ait: *Est Via, quæ videtur homini iusta; nouissima autem eius deducunt ad mortem.* Et alibi idem: *Generatio, quæ sibi munda videtur, & tamen non est lota à sordibus suis: generatio, cuius excelsi sunt oculi, & palpebræ eius in alta surrectæ. Generatio, quæ pro dentibus gladios habet, & commandit molaribus suis.* Et idem: *Sunt impij, qui ita securi sunt; quasi iustorum facta habeant: sed & hoc vanissimum iudico.* Hieremias etiam eos onagris, id est, asinis agrestibus assimilat dicens: *Onager assuetus in solitudine, in desiderio animæ suæ attrahit ventum amoris sui.* Hæreticus quoque in solitudine assuetus, cùm terram non excolat, habitat vbi fructus non est, & attrahit ventum amoris sui. Inflant enim, non ædificant. Contra quod illud; *Scientia inflat, charitas verò ædificat.*

Prouerb. 14. Prouerb. 30. Ibidem. Ecclef. 8. Hier. 2. 1. Corinth. 8.

Quod scripturæ spiritaliter debeant intelligi non ad literam.

CAPVT XXIV.



QVIA autem scripturarum lata depingitur area; non solùm latitudinem mirari sufficit; sed, profundum. Cùm sit enim nucleus dulcis, iuxta illud: *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, super mel ori meo.* Cortex exterius amarescit. Vnde Hieremias ait: *Versa est in amaritudinem vitis aliena.* Nucleum ergò paremus; sed corticem, tanquam nuclei ventrem, reseruantes, nucleum denudemus. Lex enim cortex est Euangelij. Euangelium verò nucleus est legis. Tamen, tam in lege, quàm in Euangelio est cortex & nucleus, quis enim parabolas corticem esse negat? Non ergò corticem commendemus: sed cum Petro dicamus; *Edissere nobis parabolam hanc. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat.* Vnde, & in omnibus primò literam, vt puerorum lac: Secundò, spiritalem intellectum, tanquam adultorum panem attendamus. Nunquid semper balbutientes vt pueri, nihil loquemur vt adulti?

Psal. 118.

Vnde Greg. in Moralib. Qui textum considerat, & sensum sacræ lectionis ignorat, non tam se eruditione instruit, quam ambiguitate confundit; quia, nonnunquam sibi literæ verba contra dicunt, quæ legendi assiduitate penetrantur. Si enim ignoti hominis faciem cernimus, cor nescimus: sed, si familiares eis fiamus, vsu, colloquij eorum cogitationes indagamus. Ita cum literæ historia aspicitur, nil aliud, quàm facies videtur: sed assiduitate lectionis mentem quasi ex familiaritate percipimus; & aliud esse, quod intimat, aliud esse, quod sonat, agnoscimus.

Matth. 13.

2. Corinth. 3.

De visibilibus igitur ad inuisibilia transcendamus, quia, *Omnis caro fœnum.* Literam ergò, sicut fœnum conculcemus, cum pedibus calceatis: quia *speciosi sunt pedes euangelizantium pacem.* Conculcantes ergò fœnum & paleam, veniamus ad medullam. Cùm pater enim operaretur filiis Israël per figuras, iuxta illud: *Omnia hæc contingebant illis in figura:* filius autem loqueretur cum discipulis per parabolas: & Spiritus sanctus descenderet in discipulos habens linguas igneas: necesse est, vt figuras præsignantes, parabolas disserentes, linguas igneas explicantes, in spiritu ambulemus: quia, vt dictum est, spiritus viuificat.

Isaia. 4.

Rom. 10.

1. Corinth 10.

Erube-

Erubescant ergò hæretici in litera, tanquam in volutabro cœni delectantes. Sed quid mirum? carnalibus enim desideriis adhuc gaudent. Nos autem, tanquam capreoli, cornua erigentes & faciem, per abrupta scopulorum depascamus: iuxta illud; *quæ sursum sunt, sapite, non, quæ super terram.* Vt dicamus cum Apostolo: *Nostra autem conuersatio in cælis est.* Ipsi verò tanquam porci cum rostris in sterquilinio fodientes, transglutiunt vermiculos & immunda. Sic enim implebitur, quod scriptum est in Ouidio; *Pronaque cùm spectent animalia, cætera terram, Os homini sublime dedit.* Ipsi enim bruta; nos, homines. Hominibus enim dicitur: Notate verba; signate mysteria. De brutis autem dicit Isaias: *Canes muti, non valentes latrare, videntes vana, dormientes & amantes somnia.* Vnde & nobis iniungitur: *Nolite sanctum dare canibus*: Et illud: *Neque mittatis margaritas vestras ante porcos.* Ipsi autem plus, quàm porci: minus verò, quam asinus aut bos. *Quia cognouit bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui.* Ipsi autem stabulum * perennantes, præsepe non inueniunt, vt granum ruminent spiritale.

Colos. 3. Philip. 3. Isaia. 56. Matth. 7. Ibidem. Isa. 1. * Penetrantes.

Nunquid (non) si Dominus eis dixerit; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus readificabo illud*; responderent cum Iudæis: *quadraginta, & sex annis ædificatum est hoc templum; & in triduo illud suscitabis?* Scitis, quid de eis dico? *Exspectate hic cum asino,* asini enim sunt, nihil intelligentes. Quare autem non intelligunt, Propheta insinuat, dicens: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Credant ergò, & intelligent. Intellectio enim merces est fidei.

Ioan. 2. Genes. 22. Isaia. 7.

Quod autem Iacobus ait; *hoc & dæmones faciunt*; Verum est, quod dæmones credunt Deo, sed, non, in Deum; sicut nos credimus Paulo, sed non, in Paulum. Occulta enim sunt verba: Vnde enim occultè ascendisset Iesus ad diem festum; nisi quia & non credentibus occultus erat: & mysterium diei festi suum erat, sed occultum.

Iacob. 2. Ioan. 7.

Vnde Isaias adhuc clamat. *Audite audientes, & nolite intelligere, videte visionem, & nolite cognoscere.* Intelligamus ergò, & cognoscamus spiritum in litera; & imitemur illum, de quo Isaias ait: *Non secundum visionem oculorum iudicabit, nec secundum auditum au-*

Isaia. 6.

Isaia. 1. *tum aurium arguet.* Nouit enim interiora hominis. Et nos interiora literæ agnoscamus: & sic beati erimus, si & alios doceamus. Isaia. 32. Dicit enim Isaias: *Beati, qui seminatis super omnes aquas,* immittentes pedem bouis & asini. Sic enim quæ sunt arida, transeunt in stagnum, & sitientes, in fontes aquarum. Isaia 35. *In cubilibus, in quibus prius habitabant dracones, orietur viror calami & iunci.* Egentes autem & pauperes quærunt aquas, & non sunt. Lingua eorum siti aruit. Isaia. 41. Imitemur ergò illum, qui ait: *Aperiam in supinis collibus flumina, & in medio camporum fontes. Ponam desertum in stagna aquarum, &* Ibidem. *terram inuiam in riuos aquarum.* Quare autem hoc faciat, subdit: *vt videant, & sciant, vt recogitent, & intelligant.* Recogitatio Isa. 57. enim intellectum operatur mysticum. Vnde Isaias. *Iustus perit, & non est qui recogitet in corde suo.*

Hier. 31. Nunquid (non) patres *comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupescunt?* Maturemus ergò vuam, non literam solũ attendentes, vt ad nos illud referatur: *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum, scribam eam.* Tunc [a] enim in corde scribitur, cùm spiritaliter intelligitur. Quis est autem, qui intelligere non valeat. Omnes speculum [b] habemus, in quo omnia speculamur. Omne seculum, nobis est speculum: sedeamus ergò iuxta ripam seculi, non in seculo, & præclara intueamur mysteria. Nunquid tanquam boues fœnum comedentes facti sumus bestiales, sicut Nabuchodonosor? Leuemus ergò oculos ad cœlum, & recuperabimus intellectum. Audire enim debemus auribus cordis, & videre oculis cordis. Vnde in scripturis sæpe inuenimus; *audire, & auribus percipere;* hæc duo verba simul esse iuncta: vt, in Genesi, quando Lamech loquitur ad vxores suas, Adam & Sellam: *Audite verba mea, auribus percipite sermones meos: quia virum occidi in vulnus meum, & iuuenem,* Genes. 4. *in liuorem meum.* Et Isaias: *Audite cæli, & auribus percipe terra.* Audiamus ergò spiritaliter, vt cœlestes percipiamus literam; auribus, vt terreni.

a] *Vnde Isid. in summo bono* Lex diuina, triplici sententia data est: Primò, vt historicè, id est, iuxta literam: Secundò tropologicè, id est, iuxta moralem scientiã: Tertiò mysticè, id est, iuxta spiritalem intelligentiam intelligatur.

b] *Vnde in Moral.* Sacra scriptura, quasi quoddam speculum, oculis mentis opponitur; vt interna facies nostra in ipsa videatur.

Prouerb 3. De vtroque intellectu loquitur Salomon dicens: *Circunda eas gutturi tuo, & describe in tabulis cordis tui, & inuenies gratiam coram Deo & hominibus. Gutturi tuo,* dicit; quantum ad litteræ superficiem; *tabulis cordis,* quantum ad intellectum spiritalem.

Et ite-

Etiterum: *Fili mi, ausculta sermones meos, inclina aurem tuam: custodi eos in medio cordis tui.* Domino enim paramus lucernam, cùm interiora perscrutamur, Salomone teste, qui ait; *Lucerna Domini, spiraculum hominis, quæ inuestigat omnia secreta ventris.* Vnde subdit: *Appone cor ad doctrinam meam, quæ pulchra erat tibi, cùm seruaueris eam in ventre tuo, & redundabit in labijs tuis.* Nolite esse simplices, vt stulti, & bruti: licet columbina simplicitas bona esse legatur: de qua dicitur: *Estote prudentes, sicut serpentes, & simplices sicut columbæ.* Et Salomon: *Qui ambulat simpliciter, saluus erit.* Hæc enim [a] simplicitas bona est; sed stultorum, peruersa. Simpliciter enim ambulare debemus in operibus, sed non in scripturis.

Prouerb. 4. *Prouerb. 20.* *Ibidem.* *Matth. 10.* *Prouerb. 28.*

a] Multi enim sunt simplices, qui recti non sunt. *Vnde de Iob dicitur:* Erat vir simplex & rectus. *Et Paulus ad discipulos ait:* Estote prudentes in bono, simplices autem in malo. *Et rursum:* Nolite pueri esse sensibus, sed malitiâ paruuli estote. *Vnde non solùm Spiritus sanctus in columba apparuit, vt simplicitatem, innueret, sed in igne, vt zelum iustitia indicaret: Cui Dominus satis concordat dicens:* Estote prudentes, sicut serpentes, &c.

Sed forsitan vos * pauet illud, quod legitur: *qui fortiter premit vbera, ad eliciendum lac, exprimit butyrum: &, qui vehementer emungit, elicit sanguinem.* Ne timeatis fratres: solummodò credite, stantes in fide, viriliter agentes, & omnia vobis erunt prospera. Bonis enim omnia cooperantur in bonum. Qui benè mulget, non mulget butyrum: qui benè mungit, non mungit sanguinem.

* terret. *Prouerb. 30.*

Et forsitan vobis illud obuiat, quod legitur in Ecclesiaste: *Neque plus sapias, quàm necesse est, ne obstupescas:* sed, de mundana dictum est sapientia huius mundi: quæ, quasi vua acerba obstupescere facit hominem. De qua dictum est; *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Ad illam ergò præcurramus sapientiam, de qua scriptum est; *Si sapientiam inuocaueris, & inclinaueris cor tuum prudentiæ: si quæsieris eam, quasi pecuniam, & sicut thesauros [b] effoderis illam, tunc intelliges timorem Dei, & scientiam Dei inuenies, quia, Dominus dat sapientiam, & ex ore eius scientia & prudentia.*

Eccles. 7. *1. Corinth. 3.* *Prouerb. 2.*

Ecce, hæc est vera sapientia: sed oportet eam effodere in litera, sicut thesauros effodimus in terra. Latent enim plura interius: sicut legimus in Canticis; *Quam pulchra es amica mea, &c.* Et iterum: *Sicut fragmenta mali punici, ita genæ tuæ, absque eo, quod* intrin-

a] *Super hoc Gregorius in Moralibus ait:* Sapiẽtia quippe, in rerum superficie non iacet: quia in inuisibilibus latet: ideo dicit, effoderis.

intrinsecus latet, habet enim aliquid interius hoc, quod miramur exterius. Quid est autem intelligere, nisi intus legere? Intus ergò legamus, vt intelligamus.

Creditisne videre literam, sicut picturam. Longè aliter videnda est litera, quàm pictura. Pictura enim nuda est, & aperta. Litera autem vestita & velamine carnalium sacramentorum circumtexta: Et ideò, nisi velamine reiecto ad medullam non possumus intueri. De quo velamine scriptum est; *quandiu legitur Moyses, velamen supra corda eorum positum est*: sed, *velum templi scissum est*: & medulla nobis est reuelata.

2. Corinth. 3. Matth. 27.

Non solùm autem [a] panes integros miremur, sed & fragmenta: quod populus capere non potest; capiamus cum Apostolis: quibus datum est nosse mysterium regni Dei, aliis autem in parabolis. Ad minus enim intelligentes parabolas inducimus per simile: prouectis autem micas & fragmenta commendamus. Literam ergò frangamus, vt aperiatur, quia, scissum est velamen. Nihil enim aliud est panis fractura, aut veli scissura; quàm literæ nucleus interior & medulla. Et ipsa quidem interior interula, Christi esse sudarium asseritur: Et in cubiculo spiritalis intellectus, tanquam in monumento conquiescit. Litera enim est tanquam lapis superpositus in clausura monumenti, hinc & inde firmissimam componens maceriem. Cui ergò monumentum clausum est, deuotissimè, & fideliter, & puro animo, dicat cùm beatis mulieribus; *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* Et respiciens videbit lapidem reuolutum, & sic perueniet ad interiorem monumenti intuitum: Angelicos testes sic videbit, sudariumque & vestes.

a] *Vnde in Moralibus*: Scriptura sacra in locis obscuris quasi exponendo frangitur, & mandendo glutitur: Et ita est cibus. In locis apertis ita sorbetur, sicut inuenitur: Et tunc est potus. Vnde filii Iob tres sorores vocabant, vt comederent & biberent cū eis. Filii, Apostoli. sorores, populi.

Matth. 28.

Cum Christo ergò vsque ad monumentum descendamus, vt mulieres; cum eo, sidera transcendamus, vt Ioannes: sic enim per monumenti maceriem vt lynces, & per solis radios irreuerberato lumine, vt aquila Deum & hominem merebimur intueri. Sic etenim veniemus ad medullam. Sic hydria in aquosis abstemia, in vinosum demergetur temulenta cellarium. *Nam sic abyssus abyssum inuocat in catarrhactis*, hoc est, in diuinis scripturis, siue mysteriis.

Nonne, sicut Ioanni, nobis incumbit syluestres frondium virgas in aurum conuertere, & saxa littoris in gemmas, & fragmenta gemmarum, in propriam reformare naturam. Nam sic

terra

ra in noſtris videbitur ſcaturire monumentis. Nunquid ſemper aquam potabimus? Nunquid hydrias ſemper vapidabimus in aquoſis? Altius figamus intuitum aquilarem: & ſic, aquam in vinum conuertemus,& hydrias faciemus odoriferas. Tunc enim Dominus aquam vinum fecit, cùm poſt reſurrectionem apparuit duobus diſcipulis ambulantibus in via, *& incipiens à Moyſe, & omnibus Prophetis, interpretatus eſt illis, in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant.* Vnde & illi inebriati ſunt dicentes: *Nonne cor noſtrum ardens erat in nobis, cùm loqueretur nobis in via, & aperiret nobis ſcripturas.* Ioan. 2. Lucæ. 24.

Interpretemur ergò & nos: & meraciſſimum bibentes vinum, hydrias vſque ad ſummum impleamus, dicentes cum illo, qui ait: *Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt.* Et cantemus cum Propheta: *Potaſti nos vino compunctionis*: non ſolùm cum Domino de monte deſcendamus, ſed etiam cum Domino montem aſcendamus, tanquam operoſi. Moyſes enim cum paucis aſcendebat montem, multis exſpectantibus iuxta pedem. *Nos verò, ſi viuimus ſpiritu, ſpiritu & ambulemus*: quia nos oportet comedere librum, quem comedit Ioannes, & amaricatus eſt venter eius. Sacra etenim ſcriptura ſpiritaliter viuentibus dulcis eſt: carnalibus autem eſt amara. Videamus ergò ne in nobis amareſcat, ſed dicamus cum Propheta: *Eloquia tua Domine, eloquia caſta, dulciora ſuper mel ori meo.* Sed charitatem oportet nos habere, ſi benè omnia volumus intelligere. Vnde Apoſtolus: *In charitate radicati & fundati, vt poßitis comprehendere cum omnibus ſanctis, quæ ſit altitudo, latitudo, longitudo & profundum.* Ne ſimus inſipidi, ſatis ſaporem habeamus in verbis. Inſipiditas enim nauſeam facit; & ſal infatuatum foras eiicitur, & ab omnibus conculcatur. Si autem ſal euanuerit, in quo ſalietur? Nos ergò, quibus dictum eſt; *Vos eſtis ſal terræ*; in nobis ſalitis ſal intelligamus, & ſub lingua. Intueamur Dauid, qui percuſſit Edom, id eſt, terrenum, & XII. in Valle Salinarum. Dauid enim XII. percuſſit, id eſt, duodecim prædicationibus Apoſtolorum auditis, in Valle Salinarum, id eſt, in ſcriptura verborum benè ſalita, perfectus eſſe promeretur. Sic enim cum ipſo Dauid Sobal euertemus, id eſt, vanam vetuſtatem, & Syriam, id eſt, ſublimes: Et conuertemus Ioab, quod interpretatur inimicus. Seruiamus ergò *in nouitate ſpiritus, non in vetuſtate literæ*, vt ait Paulus ad Romanos. Pſal. 22. Pſalm. 59. Exod. 19. Galat. 5. Apocalyp. 10. Pſalm. 118. Ephes. 3. Matth. 5. 2. Reg. 8. 1. Paral. 18. Rom. 7.

Contra eos, qui dicuntur, Xabatati.

CAPVT XXV.

QVIDAM autem, qui *Vallenses* se appellant, eò quòd in Valle lacrymarum maneant, Apostolos Christi se faciunt, tanquam Christi Apostolos habentes in derisum: & etiam *Xabatenses* à *Xabata* potius, quàm Christiani à Christo, se volunt appellari. *Sotulares* cruciant, cùm membra potius debeant cruciare. Calceamenta coronant: caput autem non coronant: cùm Isaias dicat: *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.* O mira nouitas. Nouum genus * *Tritannorum*, qui locorum varietates aliter videre non poterant, aut mirari, nisi se fingerent esse Christos. Sedent enim tota die ante solem. Hora autem cœnæ, per plateas se exponunt. De quibus ait Paulus ad Thessalonicenses: *Audimus enim inter vos quosdam ambulare inquietè nihil operantes, sed curiosè agentes. His autem, qui eiusmodi sunt, denuntiamus, & obsecramus in Christo Domino Iesu, vt cum silentio operantes, suum panem manducent,*

Isa. 1. *In Leuitico legimus:* Vestimenta vestra nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cætum oriatur indignatio.

* *Quid Vocis,* Trutannorū.

Ecce, quod silere, & operari eos præcipit, & suum panem manducare, non alienum. Panem enim cæcorum, claudorum & debilium sibi adscribunt, & etiam mendicorum, quos Dominus inuitare iubet, non fortes aut robustos, qui potentes sunt operari. Vnde eos *canes* appellat Dominus dicens: *Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus.* Paulus autem eos otiari non iubet, dicens ad Ephesios. *Magis autem laboret operando manibus suis, quod bonum est.* Et ad Thessalonicenses; *Operemini manibus vestris, sicut præcepimus vobis, vt honestè ambuletis ad eos, qui foris sunt, & nullius aliquid desideretis.* Vnde & in Actibus Apostolorum legimus: *Quoniam non inquieti fuimus inter vos, neque panem gratis manducauimus ab aliquo; sed in labore & fatigatione nocte & die operantes, ne quem vestrum grauaremus.* Et subditur: *quoniam si quis non vult operari, non manducet.* Et iterum: *Ipsi scitis quoniam ad ea, quæ mihi opus erant, & his, qui mecum sunt, ministrauerunt manus istæ.* Et alibi in Actibus Apostolorum: *Neque enim quisquam egens erat inter illos: quotquot enim possessores agrorum & domorum erant, vendentes afferebant precia eorum, quæ vendebant, & ponebant*

2. Thessal. 3. *Luc. 14.* *Matth. 15.* *Ephes. 4.* *1. Thessal. 4.* *Actor. 20.* *Actor. 4.*

ante pedes Apostolorum. Diuidebantur autem singulis, prout cuiq; opus erat. Vnde ibidem ait Lucas: *Beatius est magis dare, quàm accipere.* *Actor. 20.*

Quid est autem, quod in Euangelio dicitur: *Discipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent.* Non dicit: *Quærerent.* *Ioan. 4.* Operamini ergò, vt ematis. Legimus enim; *Melior est pauper sufficiens sibi quam gloriosus indigens pane.* Et subditur ibidem: *Qui operatur terram suam, saturabitur panibus, qui autem sectatur ocium, stultissimus est. Sed, via stulti recta est in oculis eius. Vult, & non vult piger: anima autem operantium impinguabitur.* Et idem: *Abscondit piger manum suam sub ascella; nec ad os suum applicat eam.* Et iterum: *Noli diligere somnum, ne te egestas opprimat. Omnis enim piger semper in egestate. Desideria occidunt pigrum. Noluerunt enim quidquam manus eius operari: toto die concupiscit & desiderat. Dicit piger: Leo est foris, in medio platearum occidendus sum. Sicut enim ostium vertitur in cardine suo, ita piger in lecto suo. Sapientior sibi piger videtur septem viris loquentibus sententias.* *Prouerb. 12.* *Prouerb. 13.* *Prouerb. 19.* *Prouerb. 20.* *Prouerb. 21.* *Prouerb. 26.* *Ibidem.*

Omnia ista vobis obiiciuntur à Salomone, ô Vallenses. Vos enim neque colligitis vt formicæ; neque manibus nitimini, vt stelliones: quæ, etsi sunt minima; sapientiora sapientibus sunt, vt ait Salomon. Et Ecclef. vbi ait; *Dulcis est somnus operanti, siue parum, siue multùm comedat.* Et idem: *Sunt iusti, atque sapientes, & opera eorum in manu Dei:* Et tamen *nescit homo, vtrum amore, an odio dignus sit: sed in futurum seruantur incerta.* Sed, *melior est canis viuus, Leone mortuo.* *Eccles. 5.* *Eccles. 9.*

De vobis autem loquitur Iesus filius Sirach dicens: *Est autem amicus socius mensæ, & non permanet in die necessitatis.* Et idem: *Melior est, qui operatur, & abundat in omnibus; quàm, qui gloriatur, & eget pane.* Et iterum: *Beatus diues, qui inuentus est sine macula: &, qui post aurum, non abijt, &c.* quia, vt dicit quidam: *Genus quoddam martyrij est, abstinentem esse in abundantia.* Operamini ergò, vt abundantes sitis & abstinentes. Non est enim bonum, esse ociosum. Dicit enim Iesus filius Sirach: *Multa mala docuit ociositas.* Et subdit: *Cùm viro religioso tracta de sanctitate, cum seruo pigro, de operatione multa.* Et iterum: *Vir respiciens in mensam alienam, non est vita eius in cogitatione.* Victus enim alit animam suam cibis alienis. Sed legimus in lib. Prouerb. *Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non comedit.* Comeditis enim cum fœneratoribus, quod prohibet Paulus ad Corinthios di- *Eccles. 6.* *Eccles. 10.* *Eccles. 31.* *Eccles. 33.* *Eccles. 40.* *Prouerb. 31.* *1. Cor. 5.*

cens: *Si is, qui frater nominatur, est fornicator, aut auarus, aut idolis seruiens, aut maledicus, aut ebriosus, aut rapax, cùm huiusmodi nec cibum sumere.* Sed forsitan gloriamini in eo, quod legitis; *Beati pauperes spiritu.* Sed, multi sunt pauperes, qui pauperes non sunt in spiritu: quia, cupidi sunt. Multi autem diuites pecunia, qui pauperes sunt spiritu; sicut Abraham, Iob. Pecunia enim, non damnat hominem: imò cupiditas & auaritia.

Matth. 5.

a] *Vnde in Genes. de Abraham dicitur:* Erat autem diues valdè in possessione auri & argẽti.

Si verò respondeatis; *operamur non cibum, qui perit*, non sic euadetis. Nunquid enim Dominus operatus est cibum, qui perit, sicut manna? Et, cùm de quinque panibus saturauit tot millia hominum, dans incrementum panibus; & quotidie operatur cibos qui pereunt: omnium enim factor est. Vultisne parificari Christo? vt dicatis; *Opera, quæ ego facio, ipsa testimonium perhibent de me.* Opera autem vestra testimonium perhibent hypocrisi vestræ. Aliter enim hypocritæ non essetis, nisi quædam bona prætenderetis opera, de quibus mercedem recepissetis. Vnde & *Paulus de vobis prophetauit dicens: *Scio, quia post discessum meum intrabunt ad vos lupi rapaces, non parcentes gregi.* Et alibi: *Hi sunt qui penetrant domos mulierum, captiuas ducentes mulierculas, oneratas peccatis: & per* [b] *dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.* Quamuis enim contra fidem multa doceant, tamen quædam bona permiscent, vt, dum bonum conferunt, malum abscondant, more venificorum: qui, dum venena porrigunt, ora calicis melle linunt; vt post dulcedinem ad mortiferum perducant. Nunquid (non) & Virgilius eos agnouit, qui ait; *Qui legitis flores & humi nascentia fraga, Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.* * Et Matthæus ait: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos, &c.* Vnde & Cato ait: *Noli homines blando nimium sermone probare. Fistula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Ioan. 6.

Ibidem.

Ioan. 10.

* *Actor. 20.*

2. Timoth. 3.

b] *Simili modo Satan ad mulierem locutus est dicens:* quacunq; die comederitis, statim aperiẽtur oculi vestri, & eritis sicut Dii. *Ita & haeretici: diuinitatum meritum profitentur, & scientiæ pollicitatione decipiunt simplices: & quia omninò carnalia persuadent, carnalium oculorum apertionem promittunt, & interior oculus abs[c]onditur.*

* *Matth. 7.*

De vobis igitur nos præmonet Salomon dicens: *Fili mi, si te lactauerint peccatores, ne acquiescas eis.* Sed & nos meretricibus comparat dicens: *Fauus distillans labia meretricis, & nitidius oleo guttur eius: nouissima autem illius amara, quasi absinthium, & acuta, quasi gladius biceps.* Et iterum: *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore peruerso, annuit oculis, terit pede, digito loquitur, prauo corde machinatur malum.* Et idem: *Vir iniquus lactat amicum suum, & ducit eum per viam non bonam.* Vnde Virgilius nos appellat

Prouerb. 1.

Prouerb. 5.

Prouerb. 6.

Danaos

Danaos dicens; *Timeo Danaos & dona ferentes.* Cùm autem Paulus curiosos appellauerit vos, vos esse curiosos notauit. Curiositas quidem pessimum est vitium. Semper enim curiosus aliorum facta, etiam minima, scrutatur, & sua maxima obliuiscitur, vt sanctior & iustior cæteris videatur. Sunt enim sicut Dina, filia Iacob, quæ mulieres regionis videre desiderans, paternam domum reliquit, & dum aliena conspiceret, ipsa ab Hemor filio Sichem stuprata est: &, nisi patre interueniente, & fratribus pugnantibus, liberari potuit: sic & vos curiosi aliena vultis videre, id est, aliorum crimina, & relinquitis paternam & propriam domum, id est, propria crimina non consideratis, & interim ab immundis spiritibus vulnera sustinetis, nullo modo liberati, nisi Deo adiuuante, & orationibus fratrum interuenientibus. Vnde & Salomon prohibet, ne vobiscum ambulemus dicens. *Noli esse amicus homini iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne fortè discas semitas eius, & sumas scandalum animæ tuæ.* Spina enim licet non generet vuas, tamen aliquando portat vitem cum botro. Ita & hæretici, aliquando bona docent, sed spinosa. Vnde Iacobus ait: *Ex ipso ore, procedit benedictio & maledictio*; Et etiam ex mala arbore, bonus fructus aliquando sequitur: sicut Iudas, qui secutus est Iesum cum aliis discipulis: Et Nabuchodonosor, qui per vniuersum regnum suum Deum Danielis adorari præcepit: Et Ietro, quando Moysi vtile consilium dedit. Similiter Petrus, qui est bona arbor malum fructum fecit, quando Dominum ter negauit. Sed Dominus quando dixit; *Arbor bona, non potest malos fructus facere*; & è conuerso; ad intentionem hominis recurrit. Ad cor enim respicit Deus. Vnde & Dominus ait: qualis erit intentio tua, tale erit & opus tuum.

Gen. 34.
a] *Nota, duos esse Sichē, quorum alterā Luca dicitur pater Hemor: alter in Genesi dicitur filius Hemor, qui & stuprauit Dinam.*
Prouerb. 22.
Iacob. 3.
Daniel. 6.
Exod. 18.
Matth. 7.

Et iterum otia vestra redarguit Salomon, qui ait: *Propter frigus, piger arare noluit.* O pigri, fodere non valetis; sed mendicare non erubescitis. Vos enim semper accipientes nihil datis, cum Dominus dicat: *Date, & dabitur vobis.* Quid ergò vobis dabitur? Nihil seminantes, parum metetis. Audite quid dicat Iesus filius Sirach: *Non sit porrecta manus tua ad accipiendum, & ad reddendum collecta.* Et ipse Dominus ait: Homini, *cui multum datum est, multum requiretur ab eo.*

Prouerb. 20.
Luca 16.
Luca. 6.
Eccles. 4.
Luca. 12.

Si autem omnes scripturas reuoluamus, dare iubemur magis, quàm accipere. Vnde pater pius ad filium: *Fili eleemosyna li-*

Tob. 12.

 berat

berat animam à morte, & non patitur ire in tenebras. Et iterum: *Fili, fiducia magna est coram summo Deo eleemosyna, omnibus, qui faciunt eam.* Qui *faciunt*, dicit, non, qui *accipiunt.* Et iterum: *Desudet eleemosyna in manu tua, donec inuenias iustum, cui tradas eam.* Et

Luce. 11. Dominus in Euangelio: *Date eleemosynam, & ecce, omnia munda sunt vobis,* Ecce, de dantibus hæc dicuntur: de accipientibus au-

Iob. 15. tem scriptum est in libro Iob: *Ignis deuorabit tabernacula eorum,*

Deut. 10. *qui munera libenter accipiunt.* Et alibi: *Non accipies in iudicio personam pauperis: quia munera excæcant oculos sapientum, & verba re-*

Prouerb. 15. *ctorum subuertuntur.* Et Salomon: *Qui odit munera, viuet,* Et idem:

Prouerb. 22. *Diues pauperibus imperat; &, qui accipit mutuum, seruus est fœnerantis.* Vos enim accipientes pingues eleemosynas, excæcamini ab

Matth. 20. eis, vt sitis in otio & somno. Vobis ergò dicendum est; *quid hic statis toto die otiosi?* Nunquid & vos gloriamini in pallio vestræ

Matth. 23. hypocrisis? Vnde & vobis dicit Dominus: *Vos foris quidem paretis hominibus iusti; intus autem pleni estis omni dolo & simulatione.*

Luc. 18. Vos enim estis, qui dicitis cum Pharisæo; *Deus gratias tibi ago; quia, non sum, sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic publicanus.* In quibusdam enim aperitis oculos, in quibusdam clauditis. Manticam enim in præcedenti tergo consideratis, vt ait Persius.

Quatuor quippe modis tumor superbiæ in vobis diuiditur. Primùm enim superbit homo, cùm se putat habere, quod non habet. Secundò, cùm, quod habet, à Deo accepisse non credit, sed propria virtute habere. Tertiò, cùm, quod habet, à Deo accepisse credit; sed propriis meritis exigentibus. Quartò, cùm aliis despectis, ea se habere putat, quæ alij habere non possunt. Huiusmodi quatuor superbiæ genera in vobis, sicut & in hæreticis, habent locum. Glorificatis enim vosmetipsos dicentes,

Ibidem. sicut Pharisæus in templo orans; qui ait; *Non sum, sicut cæteri hominum: Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ possideo.* Decimant enim multi, id est, decimas dant, sed grauiora legis omittunt. Qui autem humilis est, contra, sicut publicanus longè stando, oculos inclinando, pectus tundendo, peccata confitendo, iactantiam retundit Pharisæi. Vnde quidam: *Vicit supercilia Publicani venia.*

Hier. 14. Nunquid (non) vos estis, de quibus legitur: *duplici contritione conterite eos.* Pauperes enim estis, & hic, & in futuro. Nauis enim

nis enim vestra benè compaginata, minimo foramine, in medio mari submergitur. Putatis enim puluerem sub vento posse congregari. In faciem cadunt humiles: vos autem superbi, à retrò caditis, de quibus scriptum est; *quia abierunt retrorsum, & ceciderunt in terram.* Qui enim cadit in faciem, ibi cadit, vbi videt. Qui autē à tergò, ibi, cadit, vbi non videt. Cùm [a] autem ita superbiatis, quare mendici estis? Quæritis enim cibum ventris, cùm cibum animæ quærere deberetis. Nonne dicit Psalmista? *Iunior fui, etenim senui, & non vidi iustum derelictum, &c.* *Ioan. 18.*

a] *Caus. XII. q. 1. Augustinus.* Exemplū Domini accipite conuersantes in terra. quare habuit loculos, cui angeli ministrabant? nisi, quia Ecclesia ipsius loculos erat habitura. *Idem*: Habebat Dominus loculos à fidelibus oblata conseruans, &, necessitatibus aliorum subueniens. *Psalm. 36.*

Sed obiicitis, quia Dominus dicit; *Ne soliciti sitis.* O pigri; solicitudinem remouet, non laborem. Laborare enim possumus, licet soliciti non simus. Audite Dominum in Euangelio: *Quodcunque vultis vt faciant vobis homines, & vos facite illis.* Sed hæc charitas in vobis non est mutua. *Vnde & vobis dicitur à Domino. Omni habenti dabitur, & abundabit: ei autem, qui non habet, & quod videtur habere, auferetur ab eo.* Videtur enim in vobis quædam sanctitas esse, sed potius à vobis ablata est. Aliud enim in ore: aliud in corde habetis. *Matth. 6.* *Matth. 7.* *Matth. 13.*

Vnde Hieremias de vobis ait: *Sagitta vulnerans lingua eorum: dolum locuta est in ore suo; pacem cum amico loquitur, & occultè ponit insidias.* Estis enim sicut calami intus vacui: de foris apparentes sancti per hypocrisin. De quibus B. Iob ait: *Sub vmbra dormit in secreto calami, in locis humentibus.* De quibus dictum est, *De Vinea Sodomorum vitis eorum, & propago eorum ex Gomorrha. Vua eorum, vua fellis, botrus amarissimus. Fel draconum vinum eorum, & furor aspidum insanabilis.* Sicut enim dux vester diabolus, malè interpretabatur scripturas, cùm dicebat scriptum esse de Christo: *Angelis suis mandauit de te, vt custodiant te in omnibus viis tuis; in manibus tollent te, &c.* deberet enim potius dicere; *super aspidem & baliscum ambulabis, &c.* De Angelorum auxiliò, tanquam egeret, locutus est: de sui autem conculcatione, quasi tergiuersator, tacuit: ita & vos versipelles estis scripturarum: sicut olim Iudæi, *malè intelligentes legem.* Dominus enim, cùm dedisset legem Moysi, ad extremum intulit de mandatis: *Ligabis eam in manu tua, & erit immota ante oculos tuos*: quod est dicere: *Ligabis in* *Hier. 9.* *Iob. 40.* *Deut. 32.* *Matth. 4.* *Psal. 90.* *Ibidem.* *Deut. 6.*

bis in manu, operando, sine vana gloria: & sint ante oculos, id est, nocte & die mediteris in eis. Pharisæi verò decalogum legis portabant scriptum in chartula, facientes inde coronam in fronte: Ita & isti, portant textum in manu de pollice: corde autem negant.

Matth. 23. Malè intelligentes illud, quod Dominus ait: *Omnia opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus.* Vnde illud ad vos dicitur: *Qui vos felices dicunt, in errorem vos mittunt, & conturbant semitam pedum vestrorum.* Audite aliquid, quod clamat scriptura: *Qui ceciderit super lapidem confringetur; super quem verò ceciderit, conteret eum.* Peccatores quidem super lapidem cadunt, & confringuntur, non tamen omninò conteruntur. Lapis verò super hæreticos cadit; & omninò conteruntur.

Matth. 21.

Isaia. 56. Si autem in castitate gloriamini, audite Isaiam. *Non dicat Eunuchus; Ecce ego lignum aridum*: Vos autem estis tanquam anguis latens in herba viridi. Quid ergò gloriamini? Ecce Salomon ait: *Gloriam sapientes possidebunt: stultorum autem exultatio, ignominia.* Sed, vt idem ait: *Omnis via viri recta sibi videtur, appendit autem corda Dominus.* Vestra enim via, via mulieris adulteræ est, quæ, vt dicit Salomon, *Comedit, & tergens os suum dicit, non sum operata malum.* Vos autem, cùm stulti sitis, stultitiam non agnoscitis. Vnde Ecclesiastes: *Sed & in via stultus ambulans, cùm ipse insipiens sit, omnes stultos æstimat.* Sed ipse Dominus vos agnoscit. Vnde Iesus filius Sirach. *Ne fueris* [a] *hypocrita in conspectu hominum, & non scandalizeris in labiis tuis: vt reuelet Deus absconsa tua: quoniam accessisti malignè ad Dominum, & cor tuum plenum est dolo, & fallacia.*

Prouerb. 3. *Prouerb. 21.* *Prouerb. 3.* *Eccles. 3.* *Eccles. 1.*

a] *Caus. XII. q. 1.* qui hypocrita est, mortuus est.

Excogitatis autem verba, vt alios liberius seducatis. Disputando autem falsas rationes assignatis, quibus Matthæus obuiat dicens: *Cùm autem* [b] *tradent vos, nolite cogitare, quomodo, aut quid loquamini.* Vos autem libris vestris signa apponitis multicoloria. Intelligere enim (non) vultis, quod malè agitis: de quibus dictum est; *Noluit intelligere, vt benè ageret.* Vos enim estis, de quibus Dauid ait: *Dilexisti omnia verba præcipitationis linguæ dolosa.* Et ibidem: *Dilexisti malitiam super benignitatem.* Nitimini enim aquam leuare super oleum, quod est impossibile, aqua enim demergetur; oleum super enatabit. Nitimini lucem ponere sub tenebris: fugabuntur tenebræ; lux manebit. Terram super cælum locare nitimini, sed, in vanum. Terra enim pondere suo

b] *Eodem modo loquitur pater ad Moysen dicens*: Ego ero in ore tuo, & docebo te, quid loquaris.

Matth. 10. *Psalm. 35.* *Psal. 51.* *Ibidem.*

suo deprimetur. Ignoranter hoc facitis, & ignoranter peccatis. Sed Apostolus ait: *Si quis ignorat, ignorabitur.* Sic enim placere *hominibus nitimini; cùm Dauid dicat: *quoniam Deus dissipabit ossa eorum, qui hominibus placent, &c.*

1. Corinth. 4.
** Vera est Prophetia, qua ait;* Laudatur peccator in desideriis animæ suæ, & iniquus benedicitur.

Obiicitis autem dicentes; Non est mirum, si clerus nos persequatur. Scriptum est enim. *Omnes, qui volunt piè viuere in Christo, persecutiones patientur.* Sed nihil est: Persecutio enim hæc refertur ad illud, quod ait Apostolus: *Quis infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror?* Aliorum enim infirmitates & scandala, persecutiones sunt iusto.

Psal. 52.
2. Timoth. 3.
2. Corinth. 11.

Sed iterum [*a*] respondetis: *Si sciremus illud esse malum, quod facimus, nullatenus faceremus*: nulla autem est hæc responsio. Alioquin enim Dauid de vobis non diceret: *Et descendunt in infernum viuentes.* Cùm enim sciatis, malum esse, quod facitis; viuentes ad inferos tenditis. Sed quia in [*b*] quibusdam nobis communicatis, in aliis, non dissentitis; hostes estis tanquam do-

a] *In lib. Numerorum Dominus ad Moysen*: Aaron & filios eius constitues super cultum sacerdotii: Externus, qui ad ministrandum accesserit, morietur. *Secundum hoc non debent Laici prædicare.* *Psalm. 54.* [b.] *Hi, quasi defendunt Deum. Sed Gregorius in Moralibus ait*: Omnes hæretici, Deum dum defendere nituntur, offendunt: Vnde Psalmista; vt destruas inimicum & defensorem.

mestici. Vnde Dauid: *Redimet animam meam ab his, qui appropinquant mihi, &c.* In legendo enim Euangelium, in colendo Dominicum diem, in ieiunando, in orando, nobiscum estis. Sola fides, quæ maior est, à nobis vos sequestrat: de quibus Dauid: *Tota die verba mea execrabantur, &c.* Et iterum: *Inhabitabunt & abscondent, &c.* Nobis enim, vt absconsi, insidiamini: vt, si quando cadamus, parati sitis accusare. Sed, quid obest? *Iustus enim septius cadit & resurgit*: Et, *Dominus non dabit in æternum fluctuationem iusto.* Vos autem ab vtero Ecclesiæ separati estis, & ideo mendaces estis. Vnde Dauid: *Errauerunt ab vtero, locuti sunt falsa.* Sed istud me solatur, quod Dauid dicit: *Ad nihilum deuenient tanquam aqua decurrens, &c.* Scientes enim vos esse dicitis, & in hoc magis redarguimini. Et ipse Ioannes redarguit vos dicens; *Si cæci essetis, peccatum non haberetis: nunc verò quia dicitis, videmus, peccatum vestrum manet.* Vos autem libentius ad domum comestionis acceditis, quàm ad domum ieiunij, cùm Ecclesiastes dicat: *Melius est ire ad domum luctus, quàm ad domum conuiuii. In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, & viuens cogitat,*

Psal. 48.
Psal. 55.
Ibidem.
Prouerb. 24.
Psal. 54.
Psal. 57.
Ibidem.
Ioan. 9.

a gitat,

tat, quid futurus sit. Vos autem ad conuiuia curritis, tanquam muscæ ad fauum mellis: de quibus muscis idem loquitur dicens: *Muscæ morientes perdunt suauitatem vnguenti.*

Ecclef. 10.

De varietatibus hæreticorum & eorum sententiis.

CAPVT XXVI.

Caput hoc ferme desumptum est ex lib. 8. ca. 5. Originum Isidori. Qui proinde consulendus.

SED quoniam Laicorum ignorantia vsque ad nucleum, fidei oculum non extendit: Superficiem operum, tanquam superius enatantē admiratur. [*a*] Stolidus enim domum pictam, etsi super arenam fundata sit, non minimum obstupescit. Ramos quidem arboris considerat, non radicem. Rusticus enim, quæ palpat, nouit; quæ autem palpare non potest, hæc ignorat. Duras enim habet manus, oculos pingues, aures verò obduratas, de quibus ait *Psalmista: *Oculos habent, & non videbunt, aures habent, & non audient, &c.* Fides enim cordis radios solummodo intuetur. Sed, quia cordis eorum hebetatus est radius; quid sit hæreticus, quid peccator, non agnoscunt. Dicunt enim peccatores hæreticos appellari, cùm [*b*] peccator in opere, hæreticus in fide arguatur. Vt autem hæreticum errare in fide, cognitum sit, quorundam hæreticorum sententias in publicum proponamus.

Duo autem [*c*] genera hæreticorum apud Iudæos esse leguntur: Saducæi scilicet, & Pharisæi. Saducæi, resurrectionem carnis non recipiebant, neque Angelum, neque spiritum, & etiam oracula Prophetarum respuebant. Pentateuchum Moysi solummodò sibi vsurpabant. Pharisæi omnia prædicta recipiebant, sed, ab aliis se diuidebant, vt sanctiores, & iustiores aliis hominibus apparerent.

Apud

a] *Hinc est, quod oblatoribus hostiæ à Moyse iterum dicitur, subtracta pelle hostia, artus in frusta concident: pellem namq; hostiæ substernimus, cùm à mētis nostræ oculis superficiē virtutis amouemus: cuius artus in frusta concidimus, cū distinguentes subtiliter, eius intima mēbratimque cogitamus.*

* *Psa. 113.*

b] *Magister Petrus in Psalterio:* Impii sunt infideles & hæretici: peccatores, sunt falsi Christiani: Vnde Dauid: Non resurgent impii in iudicio; neque peccatores in consilio iustorum.

[c] *Isid. octo dicit: addens, Essenaos, qui dicunt eum esse Christum, qui docuit illos omnem abstinentiam. Marboneos, qui dicunt eum esse Christum, qui docuit eos in omni re sabbatizare. Genistos, qui de genere Abrahæ se tantum esse gloriantur. Meristas, qui dicunt quosdam Prophetas alio, quosdam alio spiritu prophetasse, à μερίς quod est sequestratio. Samaritas; qui solam legem custodiunt, nec recipiunt Prophetas. Hemerobaptistas qui quotidie vestimenta & corpora sua lauabant.*

Apud nos autem multa sunt hæreticorum genera; quos breuiter percurrentes, moram facere non audemus. Periculosum est enim venenum auribus intimare.

Ariani enim ab Ario dicti, non credunt *homousion*, id est, *vnam substantiam*; sed *heterusion*, id est, *alterius substantiæ*. Dicunt enim patrem esse maiorem, filium, esse minorem; Spiritum sanctum esse minimum. Et, aliud, esse patrem; aliud, esse filium, aliud, esse Spiritum sanctum.

Quibus & *Eunomiani*, ab Eunomio dicti, satis subseruiunt; dicentes, filium patri esse inæqualem; quos redarguit Dominus dicens; *Ego, & pater vnum sumus*. Et; *Pater in me est, & ego in patre*. Et iterum: *Qui videt me, videt & patrem.*

Ioan. 10. *Ibidem.* *Ioan. 4.*

Sabelliani, à Sabellio dicti; dicunt quod pater est filius, & filius est pater: Vnde & *Patropassiani* dicuntur: quia, patrem in filio esse passum asserunt: & mundum à diabolo creatum esse fatentur, non, à creatore, quibus illud obiicimus; * *Alia est enim persona Patris, alia Filij, alia Spiritus sancti*. Et illud; *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio*. Pater enim & filius, vnum sunt; sed non, vnus.

** Sym. S. Atha.* *Ioan. 5.*

Manichæi, [a] Virginem concipere diffitentur. Et Christum, solùm Deum esse, & non hominem, dicunt. Quibus illud Propheticum obiicitur: *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, &c.* Et illud; *Sic ex anima rationali & carne, vnus est homo, &c.* Si enim tantum Deus esset; quis fleuit, quis esuriuit, quis in ligno pependit?

a] *Isid.* Manichæi à quodã Persa, qui dictus est Manes, Hi duas naturas & substantias introducunt; bonam, & malam: Et animas ex Deo, quasi ex aliquo fonte manare dicunt, Vetus Testamentũ respuunt: nouum ex parte recipiunt.

Photiniani, à Photino nuncupati, dicunt, quod Ioseph fuit verè Christi pater: Et hi contra Manichæos dicunt Christum solùm hominem fuisse: nescientes illud; *vt putabatur Filius Ioseph*. Si autem Christus tantum homo esset, quis mortuos suscitauit? cui dictum est; *hic est filius meus dilectus, &c.*

Isaia. 7. *Symb. Athan.* *Luca. 3.* *Mat. 4. & 17.*

Apollinaristæ, ab Apollinari sic dicti. Dicunt, quod Christus humanam non habuit animam, sed diuinam tantùm, quibus illud obiicitur: *Tristis est anima mea vsque ad mortem*: Et alibi: *Potestatem habeo ponendi animam meam, & iterum sumendi eam*. Patet ergò, quod humana erat eius anima.

Matth. 26. *Ioan 10.*

Heluidiani, ab Heluidio nominati. Dicunt, quod Beata MARIA post Christum habuit alios; quos fratres Christi appellant: ignorantes, consobrinos fratres posse appellari.

a] *A Marcione Stoico Philosopho: hi dicunt, sicut ait Isid. alterum bonũ, alterum malũ esse Deum, tanquã duo principia creationis & bonitatis.*

Luca. 24.
Luc 2.
Ioan. 1.

* *Vocat Eutychianos non ab Eutyche Archimandrita, contra quem Concilium Chalcedonense celebratum est, sed ab Eutychio Patriarcha Constantinopolitano, quem S. Gregorius Magnus disputando ad meliorem mentem traduxit.*

b] *Eugeni⁹ Tolet. antistes*, Resurrectionẽ carnis verè cõfitemur, non, vt quidam delirant, vt in aëria, vel qualibet alia carne surgamus: sed in hac, qua sumus & viuimus.

[a] *Marcionitæ*, negant eum verum corpus humanum assumpsisse, sed phantasticum, quibus obuiat Dominus dicens: *Videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Et illud; *Puer autem Iesus crescebat & confortabatur.* Si ergò crescebat; phantasticum non erat, imò naturale.

Mathematici sunt, qui dicunt hominem nasci sub fato, id est, sub stella. Vnde & stella apparuit noua in natiuitate Christi. Quibus obiicitur illud; *Omnia per ipsum facta sunt.* Si ergò omnia fecit; ergò & stellas. Videmus etiam, quod filius pauperis, & filius regis in eâdem nascuntur hora: tamen pauperis filius, ad aratrum; regis filius ad sceptrum promouetur.

Priscillianistæ, non sub stella, sed sub puncto stellæ, hominem nasci dicunt: quibus, taliter obuiamus. Puer enim non nascitur nisi successiuè primò caput, secundò, humeros extrahens, & sic de aliis: Et secundum hoc, tot essent hominis fata, quot membra.

Tatiani, à Tatiano appellati; nubere prohibent; dicentes, omnem concubitum esse vetitum; quibus satis obuiamus in Cap. *de nuptiis.*

Pelagiani, à Pelagio dicti, dicunt hominem à seipso iustificari, & propriis meritis, non, gratia Dei: quos arguit Paulus dicens; *Gratia Dei sum id, quod sum*: Et, Dominus, dicens; *sine me nihil potestis facere.*

* *Eutychiani* sunt, qui dicunt corpora nostra post [b] resurrectionem, vento, aëreque esse subtiliora: de quibus in Cap. de carnis resurrectione satis disputauimus.

Donatistæ, dicunt Deum esse localem, & loco circumscriptibilem: quibus Dominus ait: *Cælum & terram impleo*: Et alibi: *quem totus non capit orbis, In tua se clausit viscera, factus homo.*

Epicuræi sunt; qui dicunt animas commori corporibus. Quibus Paulus per indignationem ait: *Manducemus & bibamus, cras enim moriemur.*

Pythagoræi dicunt animas permutare corpora. Contra quos est illud Euangelium, in quo legitur: *Inter nos & vos chaos magnum firmatum est.*

Noua-

Gregorius in Moralibus. Si in aëreo corpore surrexero, iam ego non ero, qui resurgo. Nam quomodo est vera resurrectio, si vera esse non poterit caro? Neque enim rectè resurrectio dici potest, vbi non surgit, quod ceciderat. *1. Corinth. 15. Luc. 16.*

Nouatiani dicunt veniam peccatoribus esse negandum, quibus obiicitur illud: *Nolo mortem peccatoris, &c.*

[*a*] *Valentiniani* dicunt tres esse naturas, spiritalem, animalẽ & terrenam: Et secundum hos tres asserunt esse Deos: quibus sic obuiamus: Natura dicitur, eò quòd nasci faciat: sed hoc soli Deo congruit; & secundùm hoc vna est natura, id est, vnus Deus nos nasci faciens. Vnde Ouidius: *Hanc Deus & melior litem natura diremit.*

Theodoriani dicunt Deum non habere pondus secundum carnem: & ideo eum supra mare posse dicunt ambulare, quibus obuiamus, sicut & Marcionitis.

Himenæi omninò carnis resurrectionem negant; quibus respondemus sicut Eutychianis.

[*b*] *Ebionitæ* Christum ex viro & muliere ita natũ esse dicunt, sicut & nos nascimur, hoc est, per coitum. Contra quos est illud, *Spiritus sanctus superueniet in te, &c.* Et illud; *quod ex ea natum est, de Spiritu sancto est.*

Triteitæ, [*c*] dicunt tres Deos esse, sicut tres personas asserunt esse: vnde & Triteitę appellantur à τρεῖς, quod est tres qui, sic argumentantur: *Socrates est homo, Plato est homo, Cicero est homo, ergò isti; tres homines sunt*, hæc argumentatio est necessaria. Ergò à simili est necessaria: *Pater est Deus; filius est Deus; Spiritus sanctus est Deus: ergò isti, tres dij sunt.* Sed hæc argumentatio friuola est, & nulla, quia, sic refellimus: *Steno habuit oculum, Euryale habuit oculum, Medusa habuit oculum: ergò istæ tres, oculos tres habuerunt:* quod falsum est. Vno enim oculo participabant. Sic & tres personæ, vnâ & eâdem deitate participant.

Simoniaci, [*d*] à Simone mago dicti sunt: quem Petrus maledixit in Actibus Apostolorum, quia, voluit gratiam sancti Spiritus emere pecunia. Hi dicunt creaturam non esse à Deo, sed à quadam fraterna veritate: sed, secundum hoc, veritas aliud esset à Deo: quod falsum est: Dominus enim ait: *ego sum via, veritas & vita.*

Menandri à Menandro discipulo Simonis Magi dicuntur: qui mundum, non à Deo, sed ab angelis esse factum affirmant: quos arguit Paulus in Actibus Apostolorum dicens: *Deus qui fecit hunc mundum, & omnia, quæ in eo sunt: hic cæli & terræ cum sit Dominus, non in manufactis templi habitat.*

a] *Isid.* Valentiniani, qui æonas, id est, secula quædam in originem Dei creatoris induxerunt: Christũ quoq; de Virgine nil corporis assumpsisse, sed per eam, quasi per fistulam transisse asserunt.

b] *Ab Ebion, id est, pauperitas intellectus. Intelligunt enim Christum esse tantummodò Prophetam iustum. Luca.*1*. Matth.*1*.

c] *Propheta*: Audi Israël: Deus tuus, De⁹ vnus est.

d] *Cauf.*1*. q.*1*. Ambros. ad Simoniacos.* Non est vobis sors, neque pars in fide. *Et subdit:* Isti Spiritum sanctum efficiunt seruum. *Actor.* 8. *Ioan.* 14. *Actor.* 17.

Basilidiani, à Basilide dicti sunt; qui inter alia scandala Iesum passum denegauit; quod satis redarguit Paulus dicens; *Christus*
Philip. 2. *factus est pro nobis obediens vsque ad mortem, &c.*

Nicolaitæ, à Nicolao quodam Diacono Hierosolymitano, qui cũ Stephano, & aliis à Petro electus est: qui propter pulchritudinem relinquens mulierem, dixit: vt quicunque vellet, ea vteretur, mutato more coniunctionis, vt inter se mutarent connubia, quos Ioannes in Apocalypsi increpat nominatim, dicens:
Apocalyp. 2. *Sed hoc habes, quia odisti facta Nicolaitarum.*

Gnostici, qui præ nimia sapientia, se ita vocari voluerunt; qui dicunt naturam esse Dei animam, & fingunt cum suis sententiis
Lucæ 18. esse bonum Deum, & malum Deum: cùm scriptum sit: *Nemo bonus, nisi solus Deus.*

a] Isid. Carpocratiani dicunt Christum hominem fuisse tantum, & de vtroque sexu progenitum.

* Vide supra Ebionitæ, ad marg.

Carpocratiani[a] à Carpocratio nominati, dicunt idem, quod Ebionitæ ab Ebione dicti: quod est, *paupertas intellectus.* *Hi enim Euangelium intelligunt carnaliter, sicut & Iudæi legem, cùm legunt in Epistola (S. Pauli:) *Litera occidit, Spiritus autem viuificat.* Et Ioannes in Euangelio: *Spiritus est, qui viuificat: caro autem non prodest quidquam.*

Cherinthiani à *Cherinto* dicuntur. Hi inter alios (ritus) seruant circumcisionem, & dicunt mille annos futuros esse post resurrectionem in deliciis carnis. Quibus Dominus satis congruè
2 Corinth. 3. Matth. 22. respondet in Euangelio dicens: *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt, sicut Angeli Dei.*

Nazaræi à Nazareth dicuntur. Hi confitentur omnia, quæ leguntur in Veteri lege, multa nouæ legis omittentes: quos ad-
Psa. 95. & 97. Marci. 16. monet Dauid, dicens: *Cantate Domino canticum nouum.* Et Dominus, qui ait; *Linguis loquentur nouis, serpentes tollent.*

Ophitæ, dicuntur ab *Ophi*: quia, colunt serpentem; dicentes ipsum posuisse in paradiso cognitionem virtutis. *Ophis* enim
1. Corinth. 8. Græcè, serpens dicitur Latinè, quibus dicit Apostolus Paulus: quod *idolum nihil est.*

Apellitæ, quorum Apelles fuit auctor, qui dicunt, nescio, quem Angelum gloriosum esse Deum legis, & Christum non à
Iacob. 4. Deo esse in veritate, sed hominem in phantasia, aparuisse in
M S. Archonatici. phantasia: quibus illud obiicimus; *Vnus est legislator & iudex.* Et illud quod obiecimus Marcionitis.

Isid. Archontiaci. *Archontici*, qui omne hoc, quod Deus fecit, dicunt factum

fuisse

fuisse ab Archangelis: & ideò ab ἀρχων, quod est *princeps* dicuntur, quibus obuiabimus, sicut & Menandris.

Adamitæ, qui similes sunt nuditati Adæ. Vnde nudi orant, & nudi conueniunt homines & mulieres inter se, vnde & vulgò dicimus illud, *mest, mest*.

[a] *Kainani* dicuntur, eo quod* Kain filium Noë adorant: & aliquando habuerunt nomen à filio Adæ, scilicet Seth, dicentes ipsum esse Christum. Contra quos illud dicitur; *qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei*.

Melchisedechiani; quia Melchisedech non hominem, sed Dei virtutem esse arbitrantur, quibus illud obiicimus: quod dicit Paulus ad Hebræos: *Hic enim Melchisedech Rex Salem*. Et subdit: *aßimilatus filio Dei*. Si ergò Rex Salem fuit, homo fuit. Si filio Dei assimilatur, filius Dei non est; cùm nihil sit illud, cui est simile.

[b] *Angelici* dicuntur, quia Angelos colunt. Hi nihil possidebant proprium, nec recipiebant aliquem, qui proprium haberet, qui illud, quod legimus in Apocalypsi recolere debent, vbi dicit Angelus; *Noli (me adorare:) conseruus enim tuus sum*. Si ergò Angeli conserui sunt, * coli non debent, neque adorari.

[c] *Cerdoniani*, à quodam Cerdone nuncupati, qui, dicunt duo esse principia, quod falsum est. Vnus enim Deus vnum principium, sine principio, iuxta illud, *Ego sum alpha & omega*, id est principium & finis. Et illud; *In principio erat verbum, &c.* In *principio*, dicit, non, *in principiis*.

Artotyritæ dicti sunt ab oblatione sua, quia offerunt panem & caseum: scientes, quia primi homines offerebant de fructibus terræ, & de fructibus ouium, quibus illud obiicimus; quia Dominus accipiens panem & vinum, ait: ***hoc facietis in meam commemorationem***, de pane & vino dicit; non, de Pane & caseo.

Aquarij dicuntur, quia solam aquam offerunt in calice sacrificii; quibus obuiamus sicut & Artotyritis.

Seueriani, à Seuero. Hi, non bibunt vinum; & non recipiunt vetus Testamentum: nec credunt resurrectionem, (de) quibus satis disputatum est in tribus præcedentibus Capitulis.

Encratitæ, qui & Tatiani appellantur, prohibent carnes comedi, quos similiter reprehendimus in vno præcedenti Capitulo.

Alogi dicuntur ab ἀ, quod est *sine*, & λόγος, quod est sermo. Inde

a] *Isid. dicit Camanos à Cain, quem adorant.*

* *Cain non fuit filius Noë, sed Cham. An scribendum Chamiani?*

Hebr. 7.

b] *Et hi* Apostolici *vocantur ab Isid.*

Apoc. 22.

* *Cultu scilicet diuino.*

c] *Hi ideo duo principia esse dicunt: vt diabolus carnem Deus animam condiderit: quibus Iob ait:* Manus tuæ Domine fecerunt me, *quantum ad animam:* & plasmauerunt in circuitu, quantum ad carnē.

Apoc. 1.

Luca. 22.

Vide supra Tatiani.

Ioan. 1. Inde Alogi, quasi *sine Verbo*, quia *Verbum caro factum*, refutant; & Euangelium Ioannis non recipiunt, nec Apocalypsin.

Cataphryges à κατὰ, quod est iuxta, & Phrygia: quia, de Phrygia sunt corũ auctores, scilicet Prisca & Maximilla, Hi, Spiritum sanctum non in Apostolos; sed, in eos descendisse asserunt. *Contra quos omnis auctoritas satis clamat.*

Maxima haec: contra omnes profectò est articulos haereseō. Catholica enim Veritas praeualere potest.

Cathari, à mundicia se ita vocant, gloriantes in suis meritis: Hi, negant pœnitentes recipere veniam peccatorum. Viduas, si [a] nubant; quasi adulteras damnant: se, mundiores aliis prædicant: qui, si vellent agnoscere se, magis *mundandos*, quàm *mundos* dicerent.

a] *Augu.* Abrahamam post mortem Saræ, Ceturam duxit; ne putaretur peccatum esse, post mortem vxoris aliam ducere: licet aliud intelligatur rei sacramentum. *Eccles. 9.*

Pauliani, à quodam Paulo nominantur, qui dixit, Christum non semper fuisse, sed initium habuisse ex Maria: quos * Salomon redarguit, loquens de sapientia Dei, hoc est, de filio, dicens: *Ab initio & ante secula creata sum, &c.*

* *Ecclesia. 24.*

[b] *Hermogeniani*, ab Hermogene, qui seruiunt elementis, tanquam Deo: quos Apostolus increpans ait: *seruientes elementis, &c.*

Isid. Hi dicunt materiam elementorum deum esse: & eã, Deo cõparãt.

[c] *Anthropomorphitæ*, qui rustica simplicitate dicunt, Deum habere humana membra, qui ita vocantur, quia ἄνθρωπος Græcè, Latinè homo dicitur, quibus Athanasius disputans ait: *Sicut ex anima rationali & caro vnus est homo, &c.*

Heraclitæ ab Heraclio: hi recipiunt monachos, connubia refutant, paruulos non credunt habere regnum cælorum. De quibus Dominus ait: *Talium est enim regnum cælorum.*

c] *Isidorus.* Anthropomorphitæ, humana membra, quæ in scripturis reperiuntur, Deum patrem habere arbitrantur, qui incorporeus est nec membris distinguitur, nec mole censetur. *Matth. 19.*

Montani dicuntur; quia in tempore persecutionis in montibus se absconderunt: qua de causa in fide Catholica errauerunt. Et hi ex illis sunt. Audiant ergo: *Timor non est in charitate.*

1. *Ioan. 4.*

Fotiniani, à Fotino Episcopo * Gallico: qui sententiam Ebionitarum recolens affirmauit Christum fuisse conceptum nuptiali copula ex MARIA & Ioseph: contra quos illud: *Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens.*

* *Isid. Gallogræcia.*

Matth 1.

Aëriani, ab Aërio, qui respuit sacrificium offerre pro mortuis; de quibus disputauimus in præmissis.

[d] *Noëtiani* à Noëto, idem, quod Eunomiani dicunt scilicet filium

d] *Dominus in Euangelio*, De die autem illo, & hora, nemo

filium esse dissimilem patri, & Spiritum sanctum filio: Et dicunt, nullum peccatum nocere, stantibus in fide, quibus illud Iacobi potest obiici: *fides, sine operibus mortua est*; cùm fides sine operibus esse non possit, vt diximus.

Origeniani ab Origene; dicunt, quod filius non potest videre patrem, neque Spiritus sanctus filium; & è conuerso: Et dicunt, animas peccasse à principio: & propter varietatem peccatorum; dicunt, varia esse corpora à cælo vsque ad terram: sed, quæramus ab eis, in quo peccauerunt animæ? & forsitan conticescent.

Macedoniani à Macedonio Episcopo appellantur: hi negant Spiritum sanctum esse Deum: quod falsum est; cùm scriptum sit: *Et hi tres vnum sunt.*

Antidicomaritæ; qui contra dicunt Virginitati MARIÆ; dicentes, [a] post Christum, maritum eam cognouisse; sicut & Heluidiani, quos prædiximus.

Metangiosi, ab ἄγγος, quod est vas; sic vocati; quia dicunt, ita filium esse in patre, sicut vas minus in maiori vase: quibus obuiamus (per) illud; *Ego in patre, & pater in me est.*

Patriciani à Patricio; qui dicunt carnem hominis à diabolo concreatam, quibus Dominus ait: *Stulti, nonne qui fecit, quod deforis est, etiam id, quod deintus est, fecit?*

* *Cotiliani* à Cotilio: dicunt, Deum non creasse† malum; quos Isaias redarguit dicens; *Ego sum Deus faciens pacem, & creans malum.*

Circumcelliones [b] sunt, qui, vt à populo dicantur martyres, libenter martyrio se exponunt: quos vituperat Paulus dicens: *Minimum est mihi, vt à vobis iudicer, aut ab humano die.*

Luciferiani, à Lucifero Episcopo, qui resistebant Episcopis Catholicis, & consentiebant Arianis.

Iouinianitæ à Iouiniano monacho quodam; qui dicunt nullam esse differentiam inter coniugatas & Virgines; siue, inter comedentes, & abstinentes: siue inter consanguineas mulieres, aut alienas: quibus Paulus loquitur in Epistola ad Corinthios dicens: *Omninò auditur inter vos fornicatio talis, qualis nec inter gentes; ita vt vxorem patris sui quis habeat. Iudico talem tradere satanæ in interitum carnis. vt spiritus saluus fiat.*

Paterniani, à Paterno; qui dicit, infimas partes hominis, fieri à

Scit, neque angelus, neq; filius, nisi solus pater. *Ergò filius inæqualis est patri in scientia. Sol. Nescire dicitur filius, quia nos nescire facit: non quia in se non noscat, quæ & pater.*
Iacob. 2.
1. Ioan. 5.
a] *Christus autem primogenitus est, non, post quem alius sed antequam Vllus.*
Isid. *Metangismonita.*
Ioan. 10.
Luca. 11.
* Isid. *Coliuthiani à quodam Coliutho.*
* *mali pœna.*
Isaia. 45.
b] *Isid. Agrestes, & Cotopitas eos vocat, quibus Propheta ait: Væ desiderantibus diē Domini.* Ipsi enim, *sicut Iob ait*, exspectant lucem, & non videbunt, nec ortum surgentis auroræ.
1. Corinth. 5.

Ioan. 13. ri à diabolo, quod falsum est: Lauit enim Dominus pedes discipulorum; quod vtiq; non fecisset, si à diabolo essent. Scriptum

Rom. 10. est enim; *quàm speciosi sunt pedes euangelizantium pacem, &c.*

Arabici, ex Arabia prodierunt; qui dicunt, corpus & ani-

Luc. 16. mam simul mori, & in extremo die simul resurgere. Quibus possumus obiicere illud, quod legimus de mendico & diuite, vbi dicitur; *Factum est autem, vt moreretur mendicus, &c.*

a] *Et animas corporeas esse dicunt, vt ait Isid.*

[*a*] *Tertullianitæ*, à Tertulliano presbytero Carthaginis; qui prædicant animas peccatorum mutari in dæmones: sed secundum hoc nulla anima cruciaretur: quia, dæmon à dæmone non affligitur.

Tessaresdecaditæ: qui in XIV. luna contendunt facere Pascha cum Iudæis. *Tessara* enim Græcè *quatuor* dicimus, *Decas*, Latinè, *decem*. Cum Iudæis ergò participant.

b] *Dicentes, quod Deus noctem fecit propter requiem. Psalm. 118.*

Nyctagesii, [*b*] à nocte dicuntur: quia vigilias de nocte repudiant, non recolentes quod Psalmista ait: *Media nocte surgebam ad confitendum tibi.* Imputantes nobis illud * Horat. *Vt iugulent homines, surgunt de nocte latrones.*

* *Iuuenalis.*

Nestoriani à Nestorio Episcopo Constantinopolitano; qui asserunt MARIAM esse matrem hominis, & non, Dei, facientem vnam personam carnis; alteram, deitatis: sed secundum hoc, non Trinitas, sed quaternitas personarum in Deo esset.

Acephalitæ, quasi sine capite dicuntur; quia auctor eorum

* *Chalcedonens. Concilij.* non inuenitur. Isti rebelles fuerunt duobus Capitulis * Chalcedoniæ. Negant duas proprietates esse in Christo, cùm ipse Deus sit, & homo, scripturâ pluries attestante.

Agnoitæ, ab ignorantia, dicunt enim; quod Christus ignorabat diem & horam vltimi iudicij, dum in carne passibilis esset: quibus obiiciamus illud; *Non est vestrũ nosse tempora, vel momenta.*

Præterea, sunt aliæ multæ hæreses, sine nomine, & sine auctore, quarum quædam diuinitatem Christi passibilem esse dicunt: aliæ, natiuitatem Christi à patre dicunt esse temporalem. Aliæ, negant animam imaginem Dei esse: aliæ, de stabilimento mundi discordant: Aliæ contra fidem Catholicam damnant scripta Patrum.

Illud autem me denique consolatur; quia hæreses in se diuisæ sunt: *Omne autem regnum in se diuisum desolabitur.* Ecce, fratres, quid occultius, quàm fides? quid apertius, quàm opera?

Opera

Opera ergò in hæreticis conſpicua ſunt. Fidem verò in operibus conſpicuis ſepeliunt. Fides enim illorum tanquam cadauer in ſepulcro operum dealbato iacet conſepulta.

Diſputatio contra Iudæos.

CAPVT XXVII.

QVID dicam? Bella video plus, quàm ciuilia. Non enim ciuem in conciues, ſed patres in filios intueor debellari. Iudæi enim à latere, tanquam hoſtes domeſtici nos admodum inquietant. Non iam patres dico, ſed vitricos, cum filiis, vt priuignis, inſtudeant nouercari. O quanta hoſtium multitudo. Sed animus me ſolatur, mihi dicens: *Cadent à latere tuo mille, &c.* Arma, arma, arma viri. Sed, quid arma voco? Hoſtes, tanquam armigeri nobis arma ſuggerunt: non iam eos hoſtes dicam, imò teſtes. *Pſal. 90.*

Nam, ſi negant Virginem peperiſſe; teſtes nobis ſunt in Iſaia, qui ait: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium.* Hic eſt enim lapis abſciſſus de monte ſine manibus concidentium, id eſt, natus de Virgine, ſine coitu complectentium. Ipſe enim eſt Spiritus, qui requieuit ſuper virgam de radice Ieſſe egreſſam: quæ virga floruit in tabernaculo teſtimonij. Moyſes enim duodecim virgas propter XII. tribus locauit in tabernaculo: quarum illa, quæ fuit Aaron, fronduit, & poſt alterum diem floruit, & nuces peperit ſine radice, & etiam ſine ſucco, ſine humore, ſine ſurculo. Quid ergò obeſt, Virginem peperiſſe ſine viro? qui aſinam loqui fecit, Virginem implere non potuit? Radius ſolis vitream ingreditur per feneſtram, non eam corrumpens: Dei filius Virginis vterum, ingredi non potuit, ſine omni corruptela? Rubus igne non comburitur; virgo Dei grauidatione quomodo corrumpitur? Si Elizabeth ſterilis peperit; virgo quare non pareret? Quod fit in arido, cur miramini in viridi ligno? Mira quidem nouitas; Danielem in lacu leones non tangunt; Pueros in fornace flamma non vrit: mulierem prægnantem homo non cognouit. *Iſaia 7.* *Daniel. 2.* *Iſaia. 11.* *Num. 17.* *Num. 22.* *Exod. 3.* *Luca 1.* *Daniel 6. & 14.* *Daniel. 3.*

O ſupernæ diſpenſationis diſcuſſores: quæ virtus eminentior videtur? partum dediſſe virgini? aut, perfectum hominem

creasse de terra? Si primum contra naturam esse contenditis; cuius quæso naturæ est, quod in parente nostri generis caro sine carne formata est? Nonne vicinius est, hominem de Virgine formari, quàm de puluere? Quod istorum trium mirabilius? homo, de limo; femina, de masculo; homo, de Virgine? Quid horum non nouum? deest ratio: adsit fides. Vnde quidam: *Crede tantùm: & est satis. Non est tuæ facultatis soluere corrigiam.*

Ezech. 44.

De Virgineo quidem partu loquitur Ezechiel dicens: *Conuerti me*, inquit, *ad viam portæ sanctuarij exterioris, quæ respiciebat ad Orientem; & hæc erat clausa: Et dixit Dominus ad me: porta hæc, quam vides, clausa erit, & non aperietur. Vir non transiet per eam, quoniam Deus Israël egressus est per eam: Et, semper erit clausa.* Ecce, euidenter ostendit nobis, quod B. MARIA semper virgo fuit; ante partum, & in partu, & post partum. O increduli, mons Dei, mons pinguis, *vt quid suspicamini montes coagulatos?* Qui [a] legem in tabulis lapideis scripsit sine graphio: qui panem in eremo produxit sine semine: Virginem fœcundauit sine corruptione. O Iudæi Virginem concipere legistis: oculis videre timuistis.

Psal. 67.

[a] *Confuterent: Iob, qui in lib. suo ait, non ipse, sed Eliphas:* Nihil in terra sine causa fit: & de humo nõ oritur dolor.

Psalm. 47.

Sed, quæ sunt Dei mirabilia, nisi quæ hominibus sunt impossibilia? Nunquid (non) Dauid dicit; *sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Dei nostri.* Audistis ergò locutionem: oculorum adhibete visionem. Moysen in nube degentem nouistis: Deum in carne manentem non creditis? Deitas à carne non potuit temerari: Virginitas à Deo quomodo potuit corrumpi? Qui corrupta redintegrat, integra quomodo corrumpit? Quid tam lucis alienum, sicut & vestri scribæ? quia percunctantibus Magis, & Herode quærente, vbi Christus secundum testimonia scripturarum nasceretur? hoc responderunt de Prophetico eloquio, quod indicabat stella de cælo: Nec solùm stella ducebat; sed (&) scribarum professio. Nam sic de Iudæis ad gentes transit Prophetia. Verè annuntiant, quod non credunt dicentes: In Bethlehem Iudæ. Quis est *sponsus procedens de thalamo suo?* Nunquid (non) *à summo cælo egreßio eius?*

Matth. 2. *Mich. 5.* *Psal. 44.*

O increduli: quid pigritamini? Omnis ætas, vterque sexus de Christo testimonium adstruit; Virgo generat, sterilis parit, mutus loquitur, magus adorat, vtero clausus (infans) exultat; vidua confitetur: senex expectat; Ziphæi nouerunt Dauid latentem

Luc. 1. & 2. *1. Reg. 23.*

tentem inter eos: Vos [a] autem Deum latentem inter vos, non nou stis. Vnde & peiores estis Deo, quam Ziphæi Dauid. Saulis quidem filij estis; sicut enim [b] Saul non vidit Dauid in spelunca, ita & vos, non vidistis Deum latentem in homine. Vnde & dispersi estis, & etiam conculcati. Vnde & Dauid de vobis ait: *Dedit in opprobrium conculcantes me.* In quale opprobrium, si quæratis? Portat Iudæus, tanquam seruus aut asinus, vnde credit Christianus. Credite ergò cum Christianis. Hieremias enim ait: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius absque illo: post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* Et Daniel: *Cùm venerit sanctus sanctorum, cessabit* [c] *vnctio vestra.*

a] *Cui consonat illud in Genes. de Ioseph:* Tamen fratres ipse cognoscens, non est agnitus ab eis. *Psal. 56.*

Baru. 3.

b] *Dauid Saulem noluit occidere, sed orā chlamydis eius abscidit: Ita Christus Iudæos legitur non velle occidisse, sed regni gloriam abstulisse.* c] *Vnde in Genes. Iacob ad Iudam filium suum:* Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, &c. *Si quod verum est, cessauit imperium & dispersi estis, quare, qui mittendus erat, venisse non agnoscitis.*

Si, quod verum est, vestra cessauit vnctio; agnoscite venisse sanctum sanctorum. Et Moyses ait; *Prophetam vobis suscitabit Deus de fratribus vestris, Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum; exterminabitur de populo suo.* Similiter & Dauid ait: *Dixit Dominus Domino meo, &c.* Et alibi expressius; *Astiterunt reges terræ, & principes, &c.* Et Abacuc: *Domine audiui auditum tuum & timui; consideraui opera tua, & expaui.* Quæ opera? fabricam mundi? absit. Sed illud; *In medio duorum animalium cognosceris.* De quibus animalibus alibi dicitur: *Cognouit bos possessorem suum, &c.* Et subdit: *Ambulauit Verbum, & exiuit in campis.*

Deut. 18. *Psalm. 9.* *Psalm. 2.* *Abac. 3.* *Isa. 1.*

Nunquid (non) & Simon ille senex *accepit responsum à Spiritu sancto: se non visurum mortem, donec videret Christum Domini,* quem, cùm videret, & teneret, ait: *Nunc dimittis seruum tuum Domine, &c.* Et Zacharias ad filium suum Ioannem ait: *Tu puer Propheta altissimi vocaberis.* Et Elizabet eius vxor ait: *Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me?* Et Ioannes in vtero, motu salutauit matrem Domini sui. Et cùm baptizaret eum, ait: *Ecce agnus Dei.* Et etiam gentilis ille Virgilius ait: *Iam noua progenies cælo demittitur alto.* Similiter & Nabuchodonosor ait: *Nonne tres viros misimus in fornacem ligatos? & aiunt ei: Verè rex: Et ait illis; Ecce, video quatuor viros solutos deambulantes in medio ignis: & corruptio nulla est in eis: & aspectus quasi similis est filio Dei.* Quia ergò non

Luca. 2. *Luca. 1.* *Ioan. 1.* *Daniel. 3.*

non creditis ea, quæ legitis, dissipati estis. Vnde & Salomon de vobis ait: *Cùm Prophetia defecerit, populus dissipabitur.* Meruistis enim dissipari; quia, vana timuistis. Vnde Dauid de vobis ait: *Illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Dicebatis enim, *Si dimiserimus eum, venient Romani, & tollent nobis locum & gentem.* Vnde & vos estis illi, de quibus scriptum est: *Non proposuerunt Deum ante conspectum suum.* In conspectu enim vestro erat Deus, quem non intellexistis.

Quare autem Iudæi vultis appellari? cùm Isaias dicat? *Et seruos suos vocabit nomine alio.* In quo, qui benedicendus super terram benedicetur in Domino, amen. Et alibi de eodem: *Videbunt gentes iustum tuum, & cuncti reges inclytum tuum, &c.* Nunquid autem (non) ad vos clamat Dauid dicens: *Si verè vtique iustitiam loquimini, &c.* Iustitiam loquebamini dicentes: *Magister, scimus, quia verax es, & viam Dei in veritate doces.* Sed non rectè[a] iudicastis petentes Barabbam, & Christum crucifigentes, qui, nisi venisset, lex impleta non fuisset.

Sed obiicitis; *quòd agnus cum lupo, & vitulus cum leone nondum iacent;* Quod nihil est. Pius enim, cum impio, iustus cum iniusto iacere approbatur. Vos enim pium cum impio reputastis. Vnde & Propheta: *Cum sceleratis reputatus est.* Agnum enim inter lupos crucifixistis; illæsum vitulum inter leones. Vnde illud; *Tanquam ouis ad occisionem ductus est.* O ingrati. Arietem immolastis: sed Isaac non læsistis. Deum quidem vidistis & audistis; sed *furor vobis secundum similitudinem serpentis, sicut aspidis surdæ, & obturantis aures suas,* quia, *non exaudistis vocem incantatoris, & vocem incantantis sapienter.* Vos enim estis sicut Saul: qui misit, & custodiuit domum, vt Dauid interficeret: similiter & vos custodes adhibuistis in sepulchro. Sed custodes vestri mendaces sunt. Si enim dormierunt, vnde scierunt? Si vigilabant; quare fures non tenuerunt?

Nunquid (non) & signum Cain positum est in vobis? *Posuit enim Deus signum in Cain, ne quis occideret eum.* Vnde & de vobis dicit Dauid: *Ne occideris eos, ne quando obliuiscantur legis tuæ;* quia circumcidimini, sabbatum custoditis, & Pascha immolatis, azyma comeditis, sed totum hoc non sufficit. Vnde, non occisi, sed dispersi estis. Vos enim estis tanquam filiæ Loth, quia sicut illæ malè abusæ sunt patre suo: ita & vos malè abutimini lege ve-

Prouerb. 29. *Psal. 53.* *Ioan. 11.* *Psalm. 53.* *Isaiæ. 65.* *Isaiæ. 23.* *Psalm. 57.* *Matth. 23.*

a] *Vnde illud: Excolantes calicem, & camelum glutientes: id est, latronem liberantes, Christum verò occidentes.*

Isaiæ. 11. *Isaiæ 53.*

b] *In lib. Num. legitur de tribus ciuitatibus, quæ deputatæ erant homicidis.* Manebitq; ibi, (*homicida*) donec sacerdos magnus qui oleo sancto vnctus est, moriatur.

Genes. 22. *Psalm. 57.* *1. Reg. 19.* *Matth. 28.* *Genes. 4.* *Psal. 58.* *Genes. 9.*

lege vestra. Nunquid & per immolationes vestras siue per sanguinem hircorum, siue vitulorum iustificari creditis? Nunquid (non) audistis Dominum loquentem & dicentem: *misericordiam volo, & non sacrificium.* Et Salomon in parabolis suis ait: *Facere misericordiam & iudicium magis placet Deo, quàm victimæ.* In lege similiter scriptum est, *quoniam aliis linguis, & labiis aliis loquitur populo huic: nec sic exaudiet me, dicit Dominus.* Vnde Dauid: *Semel locutus est Deus; duo hæc audiui, &c.* Si ergò aliis linguis locutus est Dominus; si duo locutus est: quare nobis, qui aliis linguis loquimur, non creditis; quare musti crapulam ructare dicitis: quare, vnum creditis, & non duo? Osee. 6. Matth. 9. 1. Corinth. 14. Psalm. 61.

Vbi autem testamentum est, necesse est, mors testatoris intercedat, alioquin nondum confirmatur, donec testator moriatur: Et tamen illud, quod * Dauid dicit; *vt sugeret mel de petra, & oleum de saxo durissimo,* quibus contigit, nescitis. Si enim totum vetus Testamentum reuoluatis; nulli vestrum contigit. Non enim vos, sed Apostoli suxerunt mel de petra: qui miracula filij Dei, eo præsente, viderunt. Oleum verò de firma petra suxerunt: quia post resurrectionem oleo sancti Spiritus vngi meruerunt: quando iam firma erat petra & saxum durissimum. Quia Christus à mortuis resurgens iam non moritur. Mel enim de petra suxerunt, quando dixit in terra; Accipite Spiritum sanctum, insufflans eis. Oleum, quando de cælo in igne apparuit. De quo oleo dictum est; *Computrescet iugum à facie olei.* Iugum igitur vestrum putrefactum est; & nos liberi sumus, Iuxta illud; *Vbi Spiritus, ibi libertas.* Testamentum igitur, quod vestrum dicitis, non in vobis, sed in nobis est consummatum. * Moyses. Deut. 32. Ioan. 20. Isaia. 10.

Illud autem, quod Moyses ait: *Videbis vitam tuam, die & nocte pendentem in ligno;* quomodo (non) intelligitis? Christum quidem filium Dei viui, qui est via, veritas & vita, in ligno suspensum vidistis: Vnde quidam * Propheta; *Mortuus est enim propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram.* Deut. 28. * Sic quidem M S. Isa. 53. Rom. 4.

Quæstio-

* capiendos.

Quæstiones ad * decipiendum tam hæreticos, quàm Iudæos.

CAPVT XXVIII.

SED quia modis omnibus inimicos crucis Christi debemus aggredi, non solùm rationes aut argumenta prætendamus; sed vt obmutescant,saltem quasdam quæstiunculas proponamus pueriles. Tutior est enim semper interrogans, quàm ratiocinans,aut respondens. Omnes enim verba habent: pauci verò soluunt. Proponantur igitur quæstiones,soluat, qui poterit: sin autem,erubescat.

I. Primò igitur quærendum est: quare, Domino eunte ad passionem,discipuli interrogant,quo vadis? Eo verò volente ascendere ad patrem, nemo interrogauit quò vadis, Domino dicente;

Ioan. 16. *Vado ad eum, qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me,quò vadis?* Petrus autem ante passionem assumens eum secretò ait illi: *Domine, quo vadis?*

Solutio. Quia tam manifesta, tamque præclara erat eius ascensio; vt nullus indigeret interrogare, quò vadis, quia, viden-

Act. 1. tibus cunctis cælos penetrauit,sicut Lucas in Actibus Apostolorum ait: *videntibus illis,eleuatus est,&c.*

II. Item, Rabanus ait; quod ille, qui concipit, vuluam aperit,

Luc. 2. non ille, qui concipitur. Euangelista verò dicit; quòd *omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur*; Ergò ille, qui concipitur,aperit vuluam.

Solutio. Sic debet intelligi; *Omne masculinum adaperiens vuluam*, hoc est, per apertam exiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Sed, quid dicemus de Christo, qui nec aperuit vuluam, nec per apertam exiuit vuluam, quia, per clausam portam exiuit. Sanctus quidem est, quia in se ipso sanctus est: de quo Iesus

Eccles. 1. filius Sirach ait: *cum fidelibus in vulua concreatus est.*

III. Item Lucas de Simeone ait; *Non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini.* Mors autem videri non potest. Mors enim prius claudit oculos, quàm quis moriatur. Et mors etiam inuisibilis est.

Solutio. Videre, pro *sentire* ponitur. Visus enim ad omnes sensus

sensus accommodatur, vt in Rabano reperimus. Item Dominus ad tentatorem ait; *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*, Similiter & nobis dictum esse credimus. Ergò soli Deo seruire debemus. Sed alibi legimus, in quadam Epistola; *per charitatem seruite inuicem*: ergò & aliis seruire tenemur. IV. *Matth. 4.*

Solutio. Seruitus duplex est; vnde & *binomia* est apud Græcos. Seruire enim Deo *latria* dicitur. Seruire homini, *dulia* est. Secundum ergò latriam dictum est; *illi soli seruies*: secundum *duliam* dictum est, *seruite inuicem*.

Item Dominus ad discipulos ait; *Ite, docete omnes gentes*; Alibi autem ait: *In viam gentium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne intraueritis*. Si ad gentes non ierint; quomodo docebunt omnes gentes? V. *Matth. 28.* *Luca. 9.*

Solutio. Docere monet in præeundo, & in doctrinis: sequi autem prohibet, adorando sculptilia.

Item Dominus ad incredulos ait; *Porrò, si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnum Dei*. Dauid autem ait; *quoniam videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum*. Dominus dicit singulariter, *digito*, Dauid autem pluraliter. VI. *Luca. 11.*

Solutio. Digitus dextræ Dei est Spiritus sanctus. Licet autem plures sint digiti: non sunt plures spiritus. Sunt autem plura Spiritus sancti charismata. Dominus ergò spiritus vnitatem insinuat: Dauid verò gratiarum varietatem.

Item Dominus ait: *Vade post me Satana: Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli seruies*. Si ergò Satanas Deum adorat, & ei seruit, aliquam habet conuentionem cum eo, quare ergò dicit Apostolus: *Quæ est conuentio Christi ad Belial?* VII. *Matth. 4.*

Solutio. Conuentionem habet cum eo in creatione, quia omnis creatura, sui creatoris est creatura: nullam autem in opere. Opera enim non conueniunt.

Item Dominus de passione loquens ait: *Consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis*. Vnde ipse in cruce pendens dixit: *consummatum est*: quare autem hoc dixit; cùm omnia nondum essent consummata? VIII. *Luca. 18.* *Ioan. 19.*

Solutio. Propter maiorem partem dixit; vt testatur Rabanus. Simili modo loquitur Matthæus dicens: *Loquebatur Iesus, cum discipulis suis in parabolis; &, sine parabolis non loquebatur eis*. *Matth. 13.*

Vel, sic soluamus: Omnia impleta fuerunt; quæ ante mortem suam futura erant de Christo.

IX. Item, Dominus ad Iudæos ait; *Si filij Abrahæ fuissetis, opera Abrahæ fecissetis*; Alibi autem ait; *Scio, quia filii Abrahæ estis, &c.*

Solutio. Filij Abrahæ erant secundum carnem, secundum verò spiritum, minimè. Duæ etenim sunt hominis natiuitates; *Ioan. 3.* Vnde illud; *quod natum est ex carne, caro est: &, quod ex spiritu, spiritus est.*

X. Item filius de patre ait; *Est, qui quærat, & indicet*: Et secundum hoc, videtur, quod pater iudicet: Sed alibi dictum est, *Pater non iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio.* *Ioan. 8.* *Ioan. 5.*

Solutio. *Iudicare*, [a] aliquando dicitur, pro, *discernere*, Et secundum hoc, pater iudicat, id est, discernit. Vnde illud: *Iudica me Deus, & discerne causam meam, &c.* *Iudicare* aliquando (est) pro, *damnare*: Et secundum hoc dicitur: *pater non iudicat quenquam.* Vnde illud; *Iudica illos Deus.*

a] *Vnde in lib. Regum. 3. Salomon ad Dominum ait*: Dabis seruo tuo cor docile, vt iudicare possit populum tuum, & discernere inter bonum & malum. *Psalm. 42.* *Psalm. 5.*

XI. Item Marcus dicit: *Valdè manè vna Sabbatorum veniunt ad monumentum, orto iam sole.* Matthæus verò ait: *Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, &c.* Ecce, alter, dicit, *manè*, alter, *vespere*. *Marci. 16.* *Matth. 28.*

Solutio. Nox suum mane, & suum vespere habet, sicut dies: Et sic; *Vespere* noctis est, quando *mane* diei est: & *manè* noctis, quando *vespere* diei.

XII. Item Marcus dicit: *Orto iam sole*: Ioannes verò, *cum adhuc tenebræ essent.* *Mar. ibid.* *Ioan. 20.*

Solutio. Tenebræ adhuc erant, cùm surrexerunt, vt irent: ortus autem erat sol, cùm ad monumentum peruenerunt. Vel, aliter: quia propter situm terræ, multotiens sol in oriente oritur, & tamen in remotioribus partibus tenebræ sunt.

XIII. Item Lucas dicit, quod duo ex discipulis regressi sunt in Hierusalem, & inuenerunt congregatos vndecim, & eos, qui cum ipsis erant, dicentes: *quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni*: quid ergò est, quod Ioannes dicit, defuisse Thomam, qui vnus erat ex illis? *Luc. 24.* *Ioan. 20.*

Solutio. Primùm, fuit cum eis; sed, ad tempus regressus est, in quo spatio regressionis, venit Iesus.

Item,

Item scriptum est; quod *omnis homo mendax*: Deus autem solus verax. Ergò & hæretici, si homines sunt, mendaces sunt. Ipsi enim ex patre diabolo sunt. Non teneor soluere: sed, eorum sit solutio, qui dicunt, se non mentiri. Sed ipsi ad tropologias currunt, sic soluentes: *Omnis homo mendax*, id est, qui omninò homo est, mendax est. Sed nulla est hæc solutio. Nemo enim est omnis homo, neque omninò homo: quis est enim, qui omnes iniquitates in se habeat: cùm Ecclesiastes dicat, *Deum time, & mandata eius obserua, hoc est enim omnis homo.* XIV. *Psal. 115.* *Eccles. vlt.*

Item, Dominus ait; *Si non abiero, paracletus non veniet ad vos. Si autem abiero; mittam eum ad vos.* Nunquid autem (non) post resurrectionem suam apparens discipulis insufflauit eos dicens: *Accipite spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* Quare ergò Spiritum sanctum, quem dederat, iterum se missurum dicit, tanquam non haberent? XV. *Ioan. 16.* *Ioan. 20.*

Solutio. Habebant quidem, sed non plenè. Spiritum sanctum habebant, vt benè, & piè viuerent: sed non, vt fortes in passionibus essent, & constantes in prædicatione, sicut post diem quinquagesimum fuerunt.

Item; Spiritus sanctus quare dicitur arguere mundum de peccato, & iustitia & iudicio? cùm Christus in mundum veniens, per semetipsum arguisset mundum de peccato, & iustitia & iudicio. XVI. *Ioan. 16.*

Solutio. Christus tantum (ad) vnam gentem, scilicet Iudæorum prædicauit, & arguit de tribus. Spiritus verò sanctus, non solùm vnam gentem, sed vniuersum mundum arguit: de peccato, quia non crediderunt: de iustitia electorum, quam secuti non sunt: de iudicio; quia, prælegerunt diabolum, qui iam iudicatus est: quàm Deum, qui iustificatus est.

Item, Dominus ait; *Cùm venerit ille spiritus Veritatis, docebit vos omnem Veritatem.* Alibi autem ait; *Non est vestrum nosse tempora, vel momenta, &c.* Ergò hanc veritatem non docebit Spiritus sanctus; ergò, non omnem veritatem docebit. XVII. *Ioan. 16.* *Actor. 1.*

Solutio. Docebit omnem Veritatem, in quantum humana mens capere sufficiens erit. Non enim cogitationes hominum potens est capere mens humana. Vel, *docebit omnem veritatem*, quæ scilicet necessaria est.

XVIII. Item, Christus de Spiritu sancto loquens, ait: *Non enim loquetur à semetipso, sed, quæcunque audiet, loquetur.* Alibi autem
Ioan 16.
Luca. 24.
ait: *Spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere.* Quomodo ergò loquetur, si carnem & ossa non habet?

Solutio. Spiritus sanctus loqui dicitur, quia, loquentes nos facit.

XIX. Item Dominus loquens de aduentu suo; *Sol obscurabitur, & luna non dabit lumen suum.* Isaias verò de eodem loquens ait: *Et erit lux lunæ, sicut lux solis; Et lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum, &c.* quomodo ergò obscurabitur sol?
Matth 24.
Isa. 30.

Solutio. Non obscurabitur diminutione luminis, sed comparatione vera lucis, omnia videbuntur tenebrosa. Exiet enim sicut fulgur. Similiter cælum & terram transire dicit, immutatione, non, sui abolitione.

XX. Item Dominus ait; *Si quid petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis.* Legimus tamen Paulum ter Dominum rogasse, & non impetrauit.
Ioan 16.
2. Corinth. 12.

Solutio. Qui petit in nomine IESV, salutem animæ petit. Et, huius petitores, si digni sunt, impetrant, non, ad * voluptatem, sed, ad salutem. Vnde Paulus, impetrauit ad salutem: *quia virtus infirmitate perficitur.* Mali verò, si non ad salutem, tamen quandoque impetrant ad * voluptatem, propter maiorem in futuro damnationem.

*voluntatem, fortè.
* Voluntatem.

XXI. Item, Ioannes ait: *Vsque modò non petistis quidquam in nomine meo.* Nunquid ergò (nihil) petierunt hactenus? Petierunt siquidem, cùm dixerunt: *Domine, edissere nobis parabolam* Zizaniorum; & aliis locis multis?
Ioan. 16.
Matth. 13.

Solutio. Ad comparationem eorum, quæ petere debebant, quasi nihil petierant. Vnde, quid petendum sit, ostendit dicens: *Vt gaudium vestrum sit plenum.*
Ioan. 16.

XXII. Item, quare dicit Dominus; *Non, dico vobis, quia ego rogabo patrem de vobis*: cùm sæpius rogasset patrem pro eis dicens: *Pater iuste, serua eos, quos dedisti mihi.* Et alibi: *Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua.*
Ioan. 17.
Luca. 22.

Solutio. Dominus tales eos insinuat esse futuros, vt non indigeant aliquo, pro eis orare.

Item,

Item, Dominus ait; *Prædicate Euangelium omni creaturæ*: ergò & brutis animalibus prædicandum est. *Marci. 16.*

[a] Solutio. Omnes creaturæ propter hominem sunt creatæ. Vel; quia homo affinitatem habet cum omnibus creaturis: Esse, cum lapidibus, viuere cum arboribus, sentire cum brutis animalibus, discernere cum angelis.

a] *Vnde Salomon*: Spiritus Domini repleuit orbem terrarum: Et hoc, quod continet omnia, *id est, homo, propter quem facta est omnis creatura*, scientiam habet vocis, *id est, linguarum.*

Item Marcus de Christo ait: *Et sedet à dextris Dei.* Stephanus verò ait: *Ecce video cælos apertos, & Iesum stantem à dextris virtutis Dei.* Quare, Marcus, *sedere*; Stephanus, *stare*, dicit? XXIII. *Marc.16.*

Solutio. Marcus iudicantem; Stephanus certantem insinuat. *Sedere*, enim iudicantis est & regnantis: stare, pugnantis est, & auxiliantis.

Item, Dominus ad discipulos ait: *Vos testimonium perhibebitis; quia ab initio mecum estis.* Ergò ab initio seculi fuerunt cum eo. XXIV. *Ioan.15.*

Solutio. Non dicit; *ab initio seculi*, sed, ab initio suæ prædicationis, quia trigesimo suæ ætatis anno, cœpit prædicare dicens: *pœnitentiam agite.* Vel aliter; quia, ante secula prædestinans elegit eos. Vnde illud, *sicut elegit nos in ipso, ante mundi constitutionem, vt essemus sancti & immaculati coram ipso, in charitate.* Vnde & illud: *Venite benedicti patris mei, &c.* *Matth. 4.* *Ephes. 1.* *Matth.25.*

Item Dominus post resurrectionem ait; *hæc sunt verba, quæ locutus sum ad vos, cùm adhuc essem vobiscum.* Nunquid cum eis (non) erat, quando hoc dicebat? Erat vtique. XXV. *Luca.24.*

Solutio. Sic intellige; cùm adhuc essem vobiscum mortalis, & passibilis, sicut & vos mortales estis, & passibiles. *Ioan. 14.*

Item Dominus ad discipulos: *Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia, vado ad patrem*, quare hoc dixit? nunquid (non) diligebant eum? Et Thomas, qui ait; *Eamus & nos, & moriamur cum illo* Et Petrus; *Domine, tecum paratus sum & in carcerem, & in mortem ire.* Cur ergò dixit; *si diligeretis me?* XXVI. *Ioan.11.* *Luca.22.*

Solutio. Ideò dixit; quia humanitatem, quam ipsi videbant, diligebant; sed, nondum eius diuinitatem ad plenum intelligebant; & eam formam, in qua magis diligendus erat, non agnoscebant:

XXVII. Item Dominus dicit; *Nemo ascendit in cælum, nisi filius hominis, qui est in cælo.* Filius hominis, id est humanitas nondum erat in cælo, cum hoc diceret, quare ergò dicit, *qui est in cælo?*

Ioan. 3.

Solutio. Humanitatem diuinitas clarificauit: &, quod non habuit ex se humanitas, habuit per diuinitatem: ideoque, quæcunque diuinitas egit, simul & humanitas dicitur egisse.

XXVIII. Sed iterum obiicitur illud, quod Ioannes ait: *Si ergò videritis filium hominis ascendentem, vbi erat prius, &c.* Si filius hominis cœpit esse in terra, vbi carnem assumpsit de terra; quia, *Veritas de terra ortâ est*, filius hominis erat ne in cælo prius, quàm in terra cœpit esse homo? Et etiam aliud obiicitur. Dixit, vbi erat prius, quasi tunc ibi non esset, cùm superius dictum sit: *Nemo ascendit in cælum, &c.*

Ioan. 6. Psal. 84.

Ioan. 3.

Solutio. Christus Deus & homo, vna persona est, non duæ, vt trina sit fides, non quaterna. Sic ergò erat filius hominis in cælo, quomodo filius Dei erat in terra, filius Dei per carnem susceptam in terra, filius hominis per personæ vnitatem in cælo.

XXIX. Sed iterum; quid est, quod sequitur: *Spiritus est, qui viuificat, caro non prodest quidquam*: Cùm ipse Dominus dixerit, *Nisi quis manducauerit meam carnem, & biberit meum sanguinem, non habebit in se vitam?*

Ioan. 6. Ibidem.

Solutio. Malè intelligentibus loquitur secundum eorum intellectum: Intelligebant enim carnem, quomodo in cadauere dilaniatur, aut in macello venditur: non, quomodo spiritu vegetatur: secundùm eos ergò dixit; caro non prodest quidquam. Eodem modo dicit (Paulus;) *Scientia inflat, charitas verò ædificat.*

XXX. Item; quare dicit; *Nemo ascendit in cælum*, cùm fideles Christi in cælum se ascendere confidant?

Ioan. 3.

Solutio. Caput Ecclesiæ Christus est; huius capitis membra sunt omnes electi: Vnde Paulus; *Vos estis corpus Christi, & membra de membro*: Et ideò, quod caput agit, dicuntur & membra agere.

XXXI. Item, Petrus ad Dominum: *Exi à me Domine, quia, homo peccator sum.* Quare orauit Dominum exire à se ipso?

Luca. 5.

Solutio. In hoc Petrus præfigurauit quosdam, qui præ multitudine* desperare videntur; sed, in hoc monemur, quo magis nos peccatores esse agnoscimus, eo amplius Dominũ imploremus.

* peccatorum.

Item

Item; *qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.* Quare, iubet odio habere animam, qui alibi ait: *Diligite inimicos vestros?* XXXII. *Ioan. 12.* *Matth. 5.*

Solutio. In inimicis debemus diligere naturam, & odire vitium. Animam autem debemus odio habere, id est, præsentem vitam. Anima enim aliquando * spiritus. Sic ipse Dominus ait: *Stulte, hac nocte auferent animam tuam à te.* Aliquando, præsens (est) vita: Vnde illud; *Anima plus est, quam esca, & corpus, plus, quàm vestimentum.* Et Paulus ait: *Neque enim facio animam meam preciosiorem, quàm me*: Et aliis multis modis accipitur, quos hîc explanare, non est necesse. ** idē est, quod.* *Luca. 12.* *Matth. 6.* *Actor. 20.*

Item, Lucas ait; *Multi reges & Prophetæ voluerunt videre, quæ vos videtis, & non viderunt.* Alibi autem ait Dominus: *Abraham pater vester, exultauit, vt videret diem meum: vidit, & gauisus est.* Et Iacob: *Vidi Dominum facie ad faciem.* Quid est, quod dicit: *Et non viderunt?* XXXIII. *Luc. 10.* *Ioan. 8.* *Genes. 32.*

Solutio. Quamuis Prophetæ, per prophetiæ spiritum, Deum viderunt; tamen corporaliter eum videre desiderarunt: sicut Dauid, qui ait: *Domine, inclina cælos tuos, & descende, &c.* Et Isaias; *Vtinam disrumperes cælos, & descenderes.* Prophetæ ergò eum viderunt, quasi per speculum, & in ænigmate. Apostoli, oculo ad oculum, & conuertebantur. Deum tamen nemo vidit, sicuti est. De qua visione Ioannes ait: *Scimus, quia cùm apparuerit, similes ei erimus; quoniam videbimus eum, sicuti est.* Quod autem Deum nullus viderit, Apostolus testatur dicens: *quem nemo vidit hominum, sed nec videre potest*: Et Moyses ad Dominum ait: *Si inueni gratiam in conspectu tuo, ostende mihi gloriam tuam.* Cui ait: *Non poteris videre faciem meam. Non enim videbit me homo (& viuet.)* *Psalm. 143.* *Isaia 64.* *1. Ioan 3.* *1. Timoth. 6.* *Exod. 33.* a] *Vnde & Manue Pater Samson dixit ad mulierem suam in li. Iud.* Morte moriemur, quia vidimus Deum.

Item quæritur, quare Dominus de solis leprosis iusserit eos ire ad sacerdotes, quando curabat eos; & nunquam de aliis? XXXIV.

Solutio. Primò, vt honorem sacerdotibus daret. Secundò, ne destructor legis esse videretur. Tertiò, vt sacerdotes, visis mundatis, crederent in mundatorem. Quartò, vt per eos spiritale sacerdotium figuraret.

Item quæritur, Cùm Dominus omnia sciat, antequam fiant, quare dicturus est reprobis; *Nescio vos, vnde sitis?* XXXV. *Luca. 13.*

Solutio. Scire Dei, eligere est, nescire eius, reprobare.

Item,

XXXVI. Item, Dominus ait; Dilectio Dei primum *mandatum est: secundum autem simile est huic; diliges proximum tuum sicut teipsum.* Nonne autem primò oportet diligere proximum, quàm diligamus Deum? per amorem enim proximi, ad dilectionem Dei peruenimus: &, non conuertitur.

Matth. 19.

Solutio. Primum dignitate, sed non, ordine.

XXXVII. Item, Dominus (ait) in Euangelio; *Ne vocemini magistri. Vnus est enim magister vester, qui in cælis est.* Paulus verò ad Timotheum ait; *In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister.* Ecce, se vocauit *magistrum* Paulus; & præcepto Domini videtur resilire.

Matth. 23.
2. Timoth. 1.

Solutio. Aliud est, essentialiter esse magistrum, aliud, nuncupatiuè. Aliis ergò deferimus; sed auctorem non negamus.

XXXVIII. Item; Matthæus dicit Dominum, paralyticum curasse (in) Nazareth; cur ergò Marcus dicit de Capharnaum?

Solutio. Nazareth & Capharnaum oppida sunt Galilææ. Et ideò, quia in Galilæa sunt, & propè, pro indifferenti habent.

XXXIX. Item Ioannes de Ioanne ait; *Quid ergò? Elias es tu? qui dicit, non sum. Propheta es tu? & respondit, non.* Dominus autem ait de eodem. *Hic est Propheta & plus, quàm Propheta*; Et iterum: *Ipse est Elias, qui venturus est*: si vultis credere: Ecce, quod discipulus negat, magister affirmat.

Ioan. 1.
Matth. 11.

Solutio. Ioannes Eliam se esse negauit, in persona; quem Dominus esse in spiritu affirmauit. Prophetam iterum se esse negauit, quia ostendendo eum digito prophetiam finiuit: Et ita etymologiam nominis amisit.

XL. Item, Marcus de colonis ait: *Hic est hæres. Venite occidamus eum, & nostra erit hæreditas.* Non ergò per ignorantiam, sed per inuidiam crucifixerunt filium Dei. Sed alibi dicitur: *Si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.*

Marc. 12.
1. Corinth. 2.

Solutio. Si cognouissent, id est, dilexissent: Cognoscere enim Deum diligere est.

XLI. Item Lucas ait: *Ite & dicite vulpi illi; ecce, eiicio dæmonia, sanitates perficio hodie & cras, & tertia die consumor.* Et subdit: *Veruntamen oportet me hodie & cras sequenti ambulare, quia, non capit, Prophetam perire extra Hierusalem.* Cur ergò dicit; *& tertia die consumor?*

Luca 9.

Solutio.

Solutio. Ad corpus eius, quod est Ecclesia, refertur: quæ spiritaliter dæmonia eiicit per fidem, & sanitates perficit, per opera: & in resurrectione mortuorum, quæ tertia dies est, consummabitur ad plenum.

Item Dominus, cuidam volenti sepelire patrem suum, ait; *Sine, vt mortui sepeliant mortuos suos.* Videtur ergò, quod non sit pium, sepelire mortuos. XLII. *Luca 9.*

Solutio. Imò pium est. Sed aliquando minora bona prætermittenda sunt, pro maioribus. Maius est enim; annunciare regnum Dei, vt mortui in anima resurgant.

Item de Iudæis in Euangelio dicitur: *propterea non poterant credere*; quia iterum dixit Isaias: *Excæca oculos eorum, & eorum cor indura. Si ergò credere* non poterant, cùm Dominus eos excæcasset; quæ culpa eorum? XLIII. *Ioan. 12. Isa. 6.*

Solutio. *Non poterant*; quia, nolebant. Sicut de Domino dictum est; *Si non credimus; ille, fidelis permanet, negare seipsum non poterit*, id est, non vult. *Malam ergò voluntatem præuidit Deus*; & per Prophetam, prænunciauit: & voluntas eorum sola meruit, vt excæcarentur, deserti à Domino, non adiuti.. Et hoc, occulto iudicio facere potest Deus; iniquo, non potest. Vnde illud; *Iudicia tua*, Domine, *abyssus multa.* Sed melior est hæc solutio; qua dicitur; *Altiora te, ne quæsieris, & fortiora te, ne scrutatus fueris.* *2 Timoth. 2. Psal. 35. Eccles. 3.*

Item; Dominus de diabolo ait; *Cùm loquitur mendacium, de propriis loquitur: quia, mendax est, & pater eius.* Videtur ergò, quod diabolus patrem habeat mendacem: sicut Manichæi asserunt, quod absit. XLIV. *Ioan. 8.*

Solutio. Diabolus mendax est, & pater eius, id est, mendacii, vel mendacis. Nemo enim mendax pater est sui mendacii, nisi solus diabolus.

Item Moyses ait in Genesi. *Requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat*: Sed è contra Dominus in Euangelio ait; *Pater meus vsque modò operatur: & ego operor.* Si ergò operatur vsque modo; quomodo quieuit? XLV. *Genes. 2. Ioan. 5.*

Operans quiescit, & quiescens operatur, quia, verbo omnia fecit, quod autem quieuit die septimo; Christum die Sabbati quiescere in sepulcro præsignauit.

d Item

XLVI. Item de transfiguratione loquens Matthæus dicit: *Post sex*
Matth. 17. *dies, &c.* Lucas* verò ait; *Die octaua ducit illos in montem excel-*
Luca. 9. *sum*: in quo, videntur aduersari.

Solutio. Matthæus dies tantùm intermedios considerat: Lucas verò primum & nouissimum connumerat.

XLVII. Item; Dominus ait; *Multa habeo de vobis loqui & iudicare.*
Ioan. 8. Alibi autem dixit: *Ego, non iudico quenquam.*
Ibidem.

Solutio. *Non iudico*, dixit, ad præsens: Vnde venerat, vt saluaret, non, vt iudicaret. *Habeo autem iudicare*, dicit de futuro: quoniam iudicabit viuos, & mortuos.

XLVIII. Item, Dominus ait; *sicut docuit me pater, hæc loquor.* Docuit
Ioan. 8. ergò eum, cùm (tamen) omnia sciret.

Solutio. Non eum docuit; quasi indoctum genuerit: sed, hoc est eum docuisse, quod est scientem genuisse. Et hoc est, *docuit me pater*; quod est, scientem me genuit pater. Idem enim est Deo, esse, vt nosse.

XLIX. Item Dominus ad filios Zebedæi. *Calicem quidem meum bibe-*
Matth. 20. *tis; sedere autem ad dextram meam, & sinistram, non est meum dare vobis.* Iacobum quidem ab Herode capite truncatum legimus; sed Ioannes propria morte finiuit vitam, quare ergò dixit: *calicem meum bibetis?*

Solutio. Si legamus historias Ecclesiasticas; Ioannes in feruens oleum missus est; & illæsus. Et relegatus postea in Patmos: calicem quidem bibit, sed bibendo non interiit.

L. Item Dominus ait: *Sicut audio, iudico.* A quò autem audit,
Ioan. 5. nisi à patre? Ergò à patre audit iudicium: sed quid est; cùm pater non iudicet?

Solutio. Audire filium à patre, est; esse filium à patre. Vnde; *sicut audio, iudico*, id est, sicut sum, iudico.

LI. Item, Dominus ait; *Non quod intrat in os, coinquinat hominem.*
Matth. 15. Cur ergò Apostolus prohibet idolothytis vesci? Vnde ait;
1. Corinth. 10. *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum.*

Solutio. Omnes quidem cibi, & omnis Dei creatura, quantum in se, munda est: sed idolorum seruitus, & dæmonum inuoca-

inuocatio, ea faciunt immunda, sicut Dei inuocatio, sanctificat * εὐχάριστον. * M S. eucaristον.

LII. Item, Dominus ait mulieri Samaritanæ: *Voca virum tuum:* postea, ait; *Bene dixisti, quia virum non habeo; quinque enim viros habuisti: Et iste, quem habes, non est tuus vir.* Cùm ergò vir non esset: quare dixit; *voca virum tuum.* Ioan. 4.

Solutio. Per quinque viros, quinque sensus intellige, qui regunt animam in pueris. Postea, cùm virum sibi assumere deberent, scilicet, intellectum; adulterum, id est, errorem sibi assumunt. Dixit ergò, *voca virum tuum*, id est, qui tuus esse debet.

LIII. Item Dominus ait: *Omnis plantatio, quam non plantauit pater meus cælestis, eradicabitur*: Ergò & illa, de qua ait Apostolus. *Ego plantaui, Apollo rigauit.* Math. 15. 1. Corinth. 3.

Solutio. Cum Deo possumus plantare; sine illo, nil. Vnde (*Neque*) *qui plantat, neque qui rigat est aliquid, sed, qui incrementum dat Deus.* Tamen Hieremias ait; *Ego te plantaui vineam meam (electam) quomodo versa es in amaritudinem vitis alienæ?* Plantatio enim Dei non eradicabitur, sed libero permutatur arbitrio. Ibidem. Hierem. 2.

LIV. Item; quare dixit Ioannes: *Illi credebant in nomine eius; & ipse Iesus non credebat se illis.* Christum credebant, quare Christus se eis non credebat? Timebat? absit. Ioan 7.

Solutio. Plus nouit, quod erat in opere suo; quàm ipsum opus, quod esset in semetipso. Nunquid (non) Petrus ait: *Etiamsi oportuerit me mori tecum, non te negabo.* Dominus tamen melius sciens eum, ait; *Antequam gallus cantet ter me negabis.* Math 26. Ibidem.

LV. Item Dominus ait; *Mea doctrina non est mea*, de eodem dicit; *mea, & non mea.* Ioan. 7.

Solutio. Idem est, ac si diceret: *Mea doctrina, non est mea*; id est; ego non sum à me ipso. Vnde illud; Et, *sermonem, quem audistis, non est meus.* Ioan. 14.

LVI. Item, *qui manet in æternum, creauit omnia simul*: Dominus autem ait: *Pater meus vsque modò operatur*: si modò operatur, quomodo creauit omnia simul? Ioan. 5.

Solutio. Creauit omnia simul: sed vsque modo operatur, regendo, non creando.

LVII. Item quæritur: Vtrum mors ab æterno fuerit? quod videtur: quia, vita ab æterno fuit. Et contrariorum eadem est disciplina, vt ait Aristoteles. Et similiter in libro Iob legimus; *consumat brachia illius primogenita mors.* Patet ergò, quòd mors ab æterno sit, si primogenita est. Sed è contra legimus; quia per hominem introiuit mors.

Iob.18.

Solutio. Prior fuit vita, quàm mors, quia, ipse Deus, vita omnium est. Mors autem & peccatum coæquæua sunt. Quia, in superbia Angeli, qui dictus est Sathaël; secundum quosdam, Lucifer, initium habuerunt. Quod autem dicit Logicus, *contrariorum eadem est disciplina;* verum est; sed mors, quæ inest rei morienti, contraria non est vitæ, quæ in Deo est, & fuit, & erit semper: sed, mors, & vita contraria sunt, secundum quod eidem rei diuersis temporibus insunt, secundum esse; &, non esse. Mors autem primogenita dicitur; non, æterna; sed à primogenito genita.

LVIII. Item; *In illa nocte, erunt duo in lecto vno.* Quare dicit Matthæus, *nocte*; cùm dies iudicij appelletur, cùm Dominus veniat in igne & fulgure?

Luca.17.

Solutio. Dies erit benè habentibus; nox & tenebræ, in malè sibi conscijs.

LIX. Item Matthæus ait; *Iacob autem genuit Ioseph virum* MARIÆ. Lucas autem dicit; *vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, qui fuit Melchi.* Videtur ergò, quòd Ioseph duos habuit patres, Iacob, & Heli; quod est impossibile.

Matth.1. Luca.3.

Solutio. Lucas ostendit generationem (Christi) à Dauid per Nathan; & secundum hoc tertius est Melchi. Matthæus ostendit generationem à Dauid per Salomonem: & secundum hoc, tertius est Mathan: Et ita Melchi & Mathan de eâdem tribu fuerunt: sed, non, de eôdem genere. Contigit autem, quod Mathan duxit in vxorem *Estam*; & ex ea, habuit filium nomine Iacob, & mortuus est Matthan, & statim Melchi duxit Estam in vxorem, & habuit ex ea filium Heli: Et sic, Iacob & Heli fratres sunt vterini. Contigit autem, vt Heli duceret vxorem, & sine prole defunctus est: Iacob verò, mandato legis, duxit eandem, & ex ea genuit Ioseph; & sic Ioseph secundum naturam geminus filius est Iacob; iuxta præceptum legis, filius dicitur Heli, quia sic semen eius, dicebatur restitui in Israël.

Item

Item Ioseph, si suspicionem habebat, quomodo iustus erat? Si suspicionem non habebat; quare MARIAM dimittere volebat? LX.

Solutio. Ideò eam dimittere volebat; quia, veritatem mysterij, & sacramentum quoddam magnificum in ea cognoscebat; cui appropinquare, se indignum æstimabat, & humilem se longè facere quærebat: sicut Petrus, cùm ait; *Exi à me Domine, quia, homo peccator sum.* Luca. 5.

Item Lucas ait; *Transeamus vsque Bethlehem, & videamus hoc verbum, quod factum est, & Dominus ostendit nobis.* Videtur ergò, quod si Verbum factum est, creatura est; quod absit: cum alibi legamus: *Filius à patre solo est, non factus, nec creatus, sed genitus.* LXI. Luca. 2. Symb. Athan.

Solutio. Natum est Verbum, non factum simpliciter; sed, factum caro. Vnde, *videamus*, dixerunt. Prius enim, quàm fieret caro, videri non potuit. Vnde Beda ait: *Per non factum, sed genitum omnia facta sunt, non genita. Nam ipsius ex patre generatio, ipsa est causarum omnium conditio.*

Item; quidquid in DEO est, DEVS est: sed Ioannes dicit; *quod factum est in ipso vita est.* Ergò, quod factum est ipso, DEVS est. LXII. Ioan. 1.

Solutio. Aliter in ipso sunt, quæ per ipsum facta sunt; quia per ipsum, & in ipso habent, viuere, & moueri, & esse. Aliter in ipso sunt ea, quæ ipse est, hoc est, coæternaliter in eadem essentia & natura.

Item; *Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Nunquid omnis homo à luce vera illuminatur? Minimè. Multi enim in tenebris, & in vmbra mortis sedent? LXIII. Ioan. 1.

Solutio. Tres mundi sunt. Primus, qui absolutè solis inuisibilibus & spiritalibus impletur substantiis. Secundus, qui visibilibus & corporeis constituitur naturis. Tertius, qui affinitatem cum vtroque retinet, hoc est homo; corpore enim constat, & anima. Corpus, de mundo visibili, & animam de inuisibili assumens, vnum facit. De primo ergò mundo Ioannes intellexit; ad quem, quicunque venerit, veram lucem contemplatur.

Item quæritur de Rachel, si fleuit, quare consolari contempsit? si consolari contempsit, quare fleuit? LXIV. Matth. 2. Hier. 31.

 Solutio.

Solutio. Fleuit affectus matris, noluit consolari fides. Vel, sic: Noluit consolari; quia non sunt, scilicet consolandi: cùm dolorem non habeant, sed gloriam. Vel, *noluit consolari*; quia non sunt vltra reuocandi in mundum, de cuius ærumnis semel euasuerunt coronandi à Christo.

LXV. Item Lucas ait; Et erat pater illius & mater admirantes super his, quæ dicebantur de eo. Quare dixit Ioseph esse patrem?
Luca. 2.

Solutio. Quia nutrierat: Vel, quia secundum generationem à Dauid, cùm de eodem genere esset, pater potuit appellari: Vel; quia putabatur ab aliis.

LXVI. Item Simeon ad MARIAM ait; Et tuam ipsius animam pertransibit gladius: Tamen nulla docet historia, eam ex hac vita gladij occisione migrasse.

Solutio. (Per) gladium intelligimus dolorem; de quo dicitur: *& gladius in labiis eorum.* Cùm enim vidit crucifigi; doluit anima eius. Et benè dolor gladius dicitur, quia gladius ferreus non animam, sed corpus pertransit. Vnde Psalmista de Ioseph: *Ferrum pertransiit animam eius, donec veniret verbum eius.*
Psal. 55.
Psal. 104.

LXVII. Item, quid est, quod nato Domino *turbatus est Herodes, & omnis Hierosolyma cum illo?* Num turbatus est Ioseph & MARIA, siue Simeon, siue Anna, & alij, qui eum desiderabant? Minimè.

Solutio. Turbantur ira infideles: turbantur gaudio, fideles. Turbatur enim animus in gaudio, sicut in ira: In spe, sicut in timore, quia quatuor sunt animi passiones.

LXVIII. Item quæritur; quare Ioannes Baptista dixit; *Post me venit vir, qui ante me factus est?* Subdens; *& ego nesciebam eum*, quomodo nesciebat eum, cùm dixisset; *Ecce agnus Dei.*
Ioan. 1.

Solutio. Cùm vidisset spiritum (S.) in specie columbæ, & audisset vocem patris; ad comparationem illius intelligentiæ, quam tunc accepit, quasi nihil nouerat.

LXIX. Item quæritur; quare dixerit pater; *Pœnitet me fecisse hominem.*
Genes. 6.

Solutio. Pœnitentia quidem nulla in Deum cadit; sed nostro more loquens, qui compungi pœnitentia solemus; quando contra votum nostra opera verti videmus. Quidam tamen dicunt,

dicunt, *pœnitet me fecisse hominem*; id est, pœna tenet me, quia feci hominem, quod nihil est: imò, hæreticum est. Pater enim impassibilis est, & fuit, & erit: quod *Patropaßiani negant.*

Item quæritur; quare B. MARIA diem purgationis exspectans purgari voluit, cum purgatione non indigeret, se ipsa sciente? LXX. *Luc, 2.*

Solutio. Celare volebat filij maiestatem, hinc est, quod eum appellauit filium Ioseph, dicens: *Fili, quid fecisti nobis sic? Ecce, pater tuus, & ego dolentes quærebamus te.* Vel, quia legem soluere, legis amore, nolebat. *Ibidem.*

Item; Dominus ait; *Nonne ego vos duodecim elegi, & vnus ex vobis diabolus est?* Quomodo elegit diabolum, cùm alibi dicat; *multi vocati, pauci verò electi.* LXXI. *Ioan. 6.*

Solutio. Sicut iniqui malè vtuntur bonis operibus Dei; sic è contra Deus benè vtitur malis operibus iniquorum.

Item Lucas ait; *Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra*, quare dixit, *ascendunt*, & non, *descendunt*, cùm bona ascendant, mala descendant? LXXII. *Luca 24.*

Solutio. Omne, quod bonum est desursum est, & descendit. Vnde Iacobus; *Omne datum optimum: & omne donum perfectum, desursum est.* Cogitationes verò malæ non descendunt de sursum, sed deorsum pullulant: & ascendunt sicut malæ herbæ.

Item Paulus ait; *Caro & sanguis regnum Dei poßidere non possunt.* Nunquid autem Verbo caro factum (non) est? LXXIII. *1. Corinth. 15.*

Solutio. Caro & sanguis tripliciter accipitur. Iuxta naturam, vt est illud: *hoc nunc os ex oßibus meis, & caro de carne mea.* Iuxta culpam; Vnde Paulus; *Cùm sit inter vos zelus & contentio: nonne carnales estis, & secundum carnem ambulatis?* Iuxta corruptionem: Vnde Psalmista; *Et recordatus est, quia caro sunt.* Et ita secundum culpam & corruptionem caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Cæterum iuxta naturam. Vnde Iob: *Rursum circundabor pelle mea.* *Genes. 2.* *1. Corin. 3.* *Iob. 19.*

Item Petrus, qui piscator ante conuersionem fuit; quare conuersus ad piscationem rediit, cùm Veritas dicat: *Nemo mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, aptus est regno Dei.* LXXIV.

Solutio. Negotium, quod ante sine peccato extitit, postea repetere, culpa non fuit. Vnde Matthæus ad teloneum, non rediit. Ex-

diit. Exemplo igitur Matthæi ad priſtina negocia redire non debent hæretici.

LXXV. Ioan. 21. Item in Euangelio Ioannis Dominus ait: *Aſcendo ad patrem meum, & patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum.* Cùm *meum* dicat & veſtrum; quare communiter non dixit, *noſtrum?*

Solutio. Diſtinctè loquens indicat; quia, eundem patrem & Deum diſſimiliter habeat, quàm nos. *Aſcendo ad patrem meum,* per naturam; *veſtrum,* per gratiam. *Ad Deum meum,* quia deſcendi: Deum veſtrum, quia aſcendiſtis.

LXXVI. Pſal. 5. Pſal. 138. Sed quia prædictas quæſtiones Iudæi non reciperent: de eorum libris aliquantulas proponamus. Primò igitur obiiciamus illud, quod Dauid dicit: *Neque habitabit iuxta te malignus, neque permanebunt iniuſti ante oculos tuos.* Alibi ait; *Si aſcendero in cælum, tu illic es, ſi deſcendero in infernum ades.* Si ergò in inferno eſt, ante eum permanebunt iniuſti.

Solutio. Potentialiter eſt in inferno: præſentialiter autem, & corporaliter malignus iuxta eum non habitabit.

LXXVII. Pſalm. 120. Pſal. 3. Item, Dauid: *Ecce, non dormitabit, neque dormiet, qui cuſtodit Iſraël.* Alibi autem ait, *Ego dormiui & ſoporatus ſum.*

Solutio. Dominus dormire dicitur, vt homo: dormire nunquam dicitur, vt Deus. Sed hæc ſolutio eorum non eſt.

LXXVIII. Pſalm. 58. Pſalm. 22. Item Dauid, *Deus meus, miſericordia eius præueniet me.* Alibi autem ait; *Et miſericordia tua ſubſequetur me.* Si ergò præuenit, non ſubſequitur.

Solutio. Miſericordia Domini aliquando nos præuenit, vt bona inchoëmus: aliquando ſubſequitur; vt inchoata impleamus.

LXXIX. Pſalm. 148. Pſalm. 103. Pſal. 54. Iob. 15. Item Dauid; *præceptum poſuit, & non præteribit.* Et alibi inuenimus; *Terminum poſuiſti, quem non præteribunt.* Quare ergò alibi dictum eſt? *Viri ſanguinum, & doloſi, non dimidiabunt dies ſuos.* Et Iob: *Antequam dies eorum impleantur, peribunt.* Et Salomon: *Indiſciplinatis obuiat mors.*

Solutio. Sanctis omnia plena ſunt. Reprobis, omnia imperfecta; quia etſi vltrà viuant, ad perfectionem non perueniunt. Sancti, etſi præoccupati ſint, dies ſuos compleuerunt, iuxta illud: *Longitudine dierũ replebo eum, & oſtendam illi ſalutare meũ.* Pſalm. 90.

LXXX. Pſalm. 118. Item Dauid: *Latum mandatum tuum nimis*: Alibi autem legimus;

mus; *Abbreuiatum sermonem faciet Dominus super terram*, quomodo Latum, si est *abbreuiatum*? *Rom. 9.*

Solutio. Latum est, in exhibitione operis: breue est, in sermone, hoc est, in descriptione sermonis: quia, in duobus mandatis totum pendet.

Item Dauid in persona Christi: *Periit fuga à me; & non est, qui requirat animam meam.* Alibi autem ait: *Confundantur & reuereantur qui quærunt animam meam.* Si non est, qui requirit, quomodo dicit, *requirentes*? LXXXI. *Psalm. 141. Psal. 34.*

Solutio. Primò culpat eos, qui non requirunt eum sub amore, cum non fugiat diligentes se. Secundò, damnat Iudæos, qui quærebant eum sub odio; quibus & dixit; *Quem quæritis?* *Ioan. 18.*

Item; Hieremias ait; *Patres nostri peccauerunt, & nos iniquitates eorum portauimus.* Ezechiël autem ait: *Filius non portabit iniquitatem patris*: nec, è conuerso. LXXXII. *Thren. 5. Ezech. 18.*

Solutio. *Filius portabit iniquitatem patris, si similis ei fuerit in peccato.* Vnde Ezechiël ait: *Si quis genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, non fecerit simile eis, hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vitâ viuet.* *Ibidem.*

Item Dauid; *Videbunt* *iusti *& timebunt, & super eum ridebunt.* quare dicit *timebunt*; cum statim subdat, *ridebunt*? LXXXIII. ** multi.*

Solutio. *Timebunt iusti*, manentes in hac vita; seruientes Domino in timore; vt, qui stare se putat, videat, ne cadat. Ridebunt in gloria, dicentes de peccatore: *Ecce homo, qui non posuit Deum adiutorem suum.* *Psalm. 39. Psalm. 51.*

Item Dauid; *In Deo laudabo sermones meos.* Si, *in Deo*, quomodo, *meos*, imò, Dei? LXXXIV. *Psalm. 55.*

Solutio. Et, *in Deo*, & *meos*, in Deo, quia, ab ipso, *meos*, quia accepi, & ipse voluit meos esse, qui dedit. Simile est illud; *Panem nostrum quotidianum da nobis hodie*, quia ab illo petens, non sum vacuus: meum confitens ab ipso, non sum ingratus. *Matth. 6.*

Item Dauid; *Magnificata est vsque ad cælos misericordia tua.* Habet ne opus misericordia magnificari vsque ad cælos, vbi nullus est miser? LXXXV.

Solutio. Veritas præpollens in Angelis, nubibus, hoc est, hominibus data est, per quam homines misericordiam consecuti in resurrectionis commutatione Angeli fiunt, Domino teste, qui ait; *In resurrectione neque nubent, neque nubentur, sed erunt* *Matth. 19.*

ſicut Angeli Dei. Ita ergò vſque ad cælos miſericordia eius.

LXXXVI. Item Dauid; *Lætabitur iuſtus, cùm viderit vindictam, manus* Pſal. 57. *ſuas lauabit in ſanguine peccatoris.* Si iuſtus eſt, quid lauabit?

Solutio. Iuſtum appellat fidelem, qui per fidem, videt Chriſtum punire peccatores: & ſumens inde exemplum, peccare timet: Et ita lauat manus ſuas in ſanguine peccatoris.


Et nos fratres chariſſimi peccare timeamus, non timore ſeruili, in quo charitas non eſt; de quo ſcriptum eſt: *Timor, non eſt in charitate,* qui ſic enim timet, non eſt perfectus in charitate. 1. Ioan. 5. Vnde Horatius ait; *Oderunt peccare mali formidine pœnæ.* Timorem igitur habeamus filialem, in quo charitatis eſt dilectio & ſapientia, ſicut ſcriptum eſt; *Initium ſapientiæ timor Domini.* Vnde idem Metrocanorus ait: *Oderunt peccare boni virtutis amore.* Eccleſ. 1. Qui enim ſeruiliter timet, odit: Vnde Claudianus: *Aſperius nihil eſt humili, cùm ſurgit in altum: Cuncta ferit, dum cuncta timet, deſæuit in omnes.* Qui autem timet, filialiter amat, &, è conuerſo. Vnde in lib. Metamorph. *Nos cuncta timemus amantes.* Timeamus ergò, non timore odii, ſed amoris. Timeamus, vt filij, non, vt ſerui. Nobis enim dictum eſt; *Iam non dicam vos ſeruos; Vos autem dixi amicos.* Nos ergò filij, & amici, lauemus manus noſtras in ſanguine peccatorum, vt lotis manibus, ad menſam inuitati veniamus, non illoti,

Amen.

Finis Ebrardi Bethunienſis.




Iconiſmus



Iconismus Waldensium

EX CONFESSIONE EORVNDEM, QVAM PVBLICAVIT LVTHERVS ADDITA PRÆFATIONE ANNO 1533.

I. Amor VValdensium erga ingenuas disciplinas.



On odimus artes liberales, (quãuis in Academiis operam literis non dederimus) sed amamus, præsertim illas, quæ ad veritatis propagationem, ad erroris oppressionem, aut alio modo ad commune bonum conducunt. *Amant nimirum bonas artes, vt hodie Anabaptistæ; Et vt in eadem Bohemia, Thaboritæ, de quibus Dubrauius li.26. Historiæ Bohemicæ scribit;* Eos ferre noluisse, vt qui populũ doceret, Magister Artium, aut Ciuilis Canoniciq; Iuris Doctor appellaretur, quòd huiusmodi vocabula doctrinam à lege diuina prorsus alienam præ se ferant. *Scilicet liberales artes amant, qui vt Thaboritæ, & hodie Anabaptistæ*, sola

Biblia iactant, *nec ſcholis, inſtituendæ iuuentutis gratia, plus loci tribuunt; quàm qui nihil. Quapropter etiam à Luthero* in explicatione primi præcepti, *honoris & amoris ergò* Ruſtici *nominantur*. . .

II. Sacra ſupellex VValdenſium.

In noſtris conuentibus habemus menſam, non tabulas, non imagines, non cruces, non vexilla, non thuribula, non Baptiſteria; non aquæ luſtralis vaſa, &c. Sed tantùm neceſſaria, vt ſcamna, pulpita, Biblia; libros pro cantu. *Curta ſanè ſupellex, & quæ vix vlli, quantumuis ſacrilegiorum & rapinarum auidiſſimo, deſiderium inuadendi inijciat; maximè cum non fiat mentio calicum, & quamuis alibi calicum meminerint, eos tamen* Stanneos *duntaxat eſſe aiunt;* oder wo von ſie ſonſt ſein können / aut ex alia adhuc viliore materia, *ad imitationem Thaboritarum, qui, teſte Dubrauio, calices aureos & argenteos repudiant, obuijs quibuſque, ſiue luteis; ſiue ligneis contenti. At quem furem lutei & lignei aut ſtannei*

ſtannei calices ad audendum & aggrediendum inſtamment? Tuti ſunt VValdenſes, ne quis ex ipſis quærat: In templo, quid facit aurum?

III. Quomodo VValdenſes cœnent.

Id ipſimet nobis dant explicatum his verbis. Sternitur menſa linteo candido. Imponitur panis azymus; rubrum quoq; & album vinum in calicibus ſtanneis, Der Diener braucht kein Meßgewandt/ machet auch nicht Kreutz. Seruus (*ita vocemus, quem ipſi* Diener *indigitant*) non induitur Caſula, nec Cruces format, *metuens opinor, ne fuget Diabolos, qui Epuli huius præcipui paredri, &c.* Congregato iam populo, So ſinget man ein Lied/ Cantatur cantilena. *Cur nō Pſalmus aliquis! Cur* ein Lied! *Quæ vox quid Germanis ſignificet; Germanica lingua peritis non poteſt eſſe ignotū: Sed qualis conuentus, talis & cantus.* Poſtea fratres in ordinem coguntur, ſtantes aut in genua prouoluti. Circuit ſeruus, & vnicuiq; bolum panis porrigit; Deinde et-

iam hauſtum vini; *ne cœna ſit nimium arida. Poſtquam exempta fames Epulis, exſtinctaque vino ſitis*, Seruus *omnes monet, vt hoc tantum beneficium gratis animis agnoſcant & recolant; quos tandem fauſtis precationibus cumulatos, domum dimittit, forſan illud admodulans:*

Ite domum ſaturi, venit Heſperus, ite capellæ.

Illud valdè arridet, quòd ſeruus cœnā hanc coquit & cœnatoribus ſuis apponit, abſque vlla veſte ſacra; ſed in einem ſchlechten erbaren Kleide, *inquiunt boni iſti fratres*: in vili, honeſta tamen lacerna: *quia vt cœnam profanam veſtis ſacra quàm maximè dedecet; ita profana quam maximè decet.*

IV. Quando Waldenſes ieiunent.

Hoc ipſimet docent. Quando volunt, & quando libet, imò eſt cum & non libet; ieiunant tamen, ſi ſcilicet nihil ſit, quod edant. Si ſcire velis, quid edant, & quoties, quando ieiunant; reſpondent: Quidquid apponitur, & quoties apponitur; omnis enim creatura Dei bona eſt, quotieſcunque & quandocunque fruenda offertur.

V. Quo-

V. Quomodo Waldenses baptizent.

Adultos ita baptizant. Der Diener. Seruus affundit manibus eius, qui baptizari cupit, aquam, subiecta pelui. Ex qua aqua baptizandus abluit manus suas, & faciem in nomine sacrosanctæ Trinitatis. *En egregiam baptismi administrãdi rationem. Vbi forma à Christo præscripta? quã à Ministro proferri, dum aquam manibus baptizandi affundit; isti non indicant; Vt baptizandus dum manus & faciem ex aqua affusa abluit, eam proferat; inutile est, cum nemo se ipsum baptizare queat.*

VI. Quid Waldenses de politico magistratu sentiant.

Docent, à Deo datum; at non sibi, sed aliis. *Nam si & sibi Magistratum à Deo datum credunt, cur non patiuntur suos, dum quid litium habent, adire politici Magistratus tribunal? Cur ex suo cœtu iuri dicundo iudices constituunt, eosque qui alibi iustitiæ opem contra eiusdem sectæ consortes implorant, semel iterumque monitos ex Synago-*

nagogis suis eiiciunt, nec dignos iudicant, qui diutius Fratrum VValdensium numero accenseantur? Plura, qui de his volet; is ipsam VValdensium Confessionem consulat; in qua, præsertim de præsentia Christi in Eucharistia, vsque adeo perplexè & implicatè loquuntur; vt cum Lutherus eos suam in partem trahere vellet, id absolutè non auderet, metuens, ne subtectis & ænigmaticis VValdensium verbis aliquid suæ opinationi contrarium occultaretur. Quod & Caluino euenit; vt liquet ex Præloquiis seu Prolegomenis, quæ hisce tribus scriptoribus præfiximus.

FINIS.



BERN.


BERNARDVS ABBAS FONTIS CALIDI.

Aduersus


VVALDENSIVM SECTAM

Nunc

Primum in lucem prolatus.



INCIPIT TRACTATVS BERNARDI ABBATIS FONTIS CALIDI, CONTRA *VALLENSES, ET CONTRA ARRIANOS.



Ancta Romana Ecclesia præsidente Domino Lucio, *inclitæ recordationis; subitò extulerunt caput noui hæretici: Qui quodam præsagio futurorum, sortiti vocabulum, dicti sunt Valdenses; nimirum à* Valle *densa; eo quòd profundis & densis errorum tenebris inuoluantur. Hi, quamuis à præfato summo Pontifice condemnati, virus suæ perfidiæ longè, latèq; per orbem temerario ausu euomuerunt.*

Ea propter contra eos pro Ecclesia DEI *Dominus Bernardus Narbonensis Archiepisco-*

* VValdenses.

Lucius III. qui Pontificatum iniit Anno Christi 1181.

De origine & nomine Waldensium vide prolegomena in Scriptores contra Waldensium sectam non ita pridem publicatos cap. 1.

piscopus, religione, & DEI honestate insignis, Zelans legem DEI, se fortem murum opposuit. Accitis itaque pluribus tam Clericis, quàm Laicis, religiosis ac secularibus, ad iudicium vocauit. Quid plura? Causâ diligentissimè inuestigatâ, condemnati sunt.

Nihilominus tamen postea, & clam & publicè, semen suæ nequitiæ spargere ausi sunt. Unde rursum, quamuis ex abundanti, ad disceptationem vocati sunt, per quosdam tam Clericos, quàm Laicos: Et, ne lis diutius protraheretur, electus est ab vtraq; parte iudex, quidam sacerdos, Raimundus scilicet de Dauentria. Vir siquidem religiosus, ac timens DEVM, nobilis genere, sed conuersatione nobilior.

Assignata igitur die causæ aduenientе, congregatis inuicem partibus, aliisq; quàm plurimis clericis & laicis, de quibusdam capitulis, in quibus malè sentiebant, à veris Catholicis accusati sunt: èisq; per singula respondentibus, hinc, inde, diu disputatum est, & ab vtrâq; parte multæ productæ autoritates.

tates. Auditis igitur partium allegationibus; præfatus iudex, per scriptum, definitiuam dedit sententiam, & hæreticos esse in capitulis, de quibus accusati fuerant, pronunciauit.


Quibus autem auctoritatibus, vel rationibus suam assertionem defenderet; quidue eis, à nobis Catholicis responsum sit; aut, quibus scripturarum testimoniis fidem tueremur Catholicam, præsenti inteximus opusculo; adiectis etiam quibusdam aliis tractatibus contra aliàs hæreses. Hæc autem omnia fecimus maximè ad instruendos, vel commonendos quosdam Clericos; qui, vel imperitiâ, vel librorum inopia laborantes, hostibus veritatis non resistendo, facti sunt in offensionem & scandalum fidelibus, quibus præsunt. Eos namq; in fide Catholica non roborant, nec alimentis sanctarum scripturarum reficiunt. Vnde; quasi ieiuni in via præsentis seculi, viribus spiritalibus destituti deficiunt, ne ad patriam, scilicet paradisum valeant remeare. Iusta quidem est causa

maioris mali præscripti, deiici à caulis ouium Christi lupos rapaces, id est dæmones hæreticos & tyrannos; nec voce prædicationis, nec baculo disciplinæ seu seueritatis.

Suscipiant igitur, quæso, à nostra paruitate, si placet, exiguum munus huius opusculi, mandentq; memoriæ auctoritates SS. Patrum, vt, miserante DEO, habeant arma impenetrabilia, contra rectores tenebrarum, contra fabulatores mendacij, contra cultores peruersorum dogmatum, id est, dæmones hæreticos; quatinus DEI gratia præuia, & de ipsis valeant triumphare, & pro regimine atque doctrina subiectorum à summo pastore immarcessibilem gloriæ coronam percipere mereantur.




IN-



INDEX CAPITVLORVM.

CA-



CAPVT PRIMVM.

Est contra hoc, quod dicunt, non esse obediendum summo Pontifici, aliisuè Prælatis.

F. Moneta lib. 5. INprimis igitur arguuntur de inobedientia; quia scilicet non obediunt Ecclesiæ Romanæ, quæ plenitudinem habet potestatis ligandi & soluendi, & dignitatem, cæteras Ecclesias dispensandi.

S. Greg. homil. in octaua Pascha. Præterea, nec Episcopis, nec Sacerdotibus obtemperant; cùm, teste B. Gregorio, locum discipulorum Christi habeant Episcopi, & auctoritatem ligandi & soluendi, qui locum regiminis sortiuntur. Hac ergò auctoritate Romana Ecclesia, cæteriq; Episcopi, vtpote quibus dictum est, *quodcunq; alligaueritis super terram, erit ligatum & in cælo: Et quodcunq; solueritis super terram, erit solutum & in cælis*, præfatos hæreticos excommunicationis vinculo innodarunt: *in promptu habentes*, cum Apostolo, *vlcisci omnem inobedientiam. Nihil autem*, vt ait Augustinus super Ioannem, *sic debet formidare Christianus, quàm separari à corpore Christi.* Si enim separatur à corpore Dei, non est membrum eius. Si non est membrum eius, non vegetatur Spiritu eius. *Quisquis autem*, inquit Apostolus, *non habet spiritum Christi, hic non est eius.* Item illud de verbis Apostoli; *Omnis Christianus dilectissimi,*

Matth. 18. 2. Cor. 10. Rom. 8.

qui

qui à Sacerdotibus excommunicatur, satanæ tradi dicitur. Quomodo? scilicet, quia extra Ecclesiam est diabolus; sicut in Ecclesia Christus: Ac per hoc quasi diabolo traditur, qui ab Ecclesiastica communione remouetur. Vnde illos, quos tunc Apostolus satanæ traditos esse prædicat, excommunicatos à se esse demonstrat. Hinc est etiam, quod idem Apostolus ait ad Thessalonicenses: *Si quis nō obedierit verbo nostro per Epistolam, hunc notate; & , ne commisceamini cum illo, vt confundatur.* Ecce Apostolus mandat inobedientē sibi, reprehendi, & à cæterorum communione vel conuictu abijci, vt sic abiectus erubescat. 1. Thes. 3.

Ad Hebræos quoq; ait: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris.* Ad Timotheum quoq; ait: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore digni habeantur, maximè, qui laborant in verbo & doctrina.* Duplex honor exhibendus est Presbyteris, vt eorum scilicet præceptis obediatur; & cum debita reuerentia exteriora subsidia ministrentur. Dominus quoq;, vt ostenderet obediéntiam exhibendam esse Prælatis, ait: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi. Omnia ergò quæcunq; dixerint vobis, seruate & facite.* Et rursum: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Heb. 13. 1. Tim. 5. Matth. 23. Luc. 10.

Cùm igitur Christus & Apostoli præcipiant obediendum esse Episcopis & Presbyteris: quicunq; eis non obediunt, consequenter Christo, & eius Apostolis inobedientes existunt. Omnis autem præuaricatio & inobedientia, teste Apostolo, *accepit iustam mercedis retributionem.* Quomodo ergò effugient, qui Christi & discipulorum eius præcepta neglexerint? Quoniā itaq; inobedientes existunt, habendi sunt quasi Eth- Heb. 2.

Matt. 18. nici & Publicani, Domino dicente: *Si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.*

Præterea ab eorum communione eſt abſtinendum, ſicut ex præſcriptis Apoſtoli verbis ad Theſſalonicenſes patet: Nam & per legem Moſaicam, ſi quis imperio Sacerdotis non obedierit, occidendus eſt; ne ex malo inobedientiæ populus corrumpatur. Vnde in Deuter: *Qui ſuperbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio, qui eo tempore miniſtrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de medio Iſraël: Cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumeſcat ſuperbia.* Ecce hinc patet, quantum eſt crimen inobedientiæ: cùm is, qui Sacerdoti non obediebat, corporali gladio occidebatur. In tempore verò gratiæ, *quia Deus non vult mortem peccatoris, ſed vt conuertatur & viuat*, non occiditur corporaliter, ſed ſpiritali gladio feritur; cùm à communione fidelium per ſententiam Epiſcopi ſeparatur; vt ſic abiectus, erubeſcat & reſipiſcat.

Deut. 17.

Ezech. 18.

1. Reg. 15. Quicunq; etiam inobedientes ſunt, infideles eſſe conuincuntur, Samuele dicente: *quia peccatum ariolandi eſt, repugnare: &, quaſi ſcelus Idololatriæ, nolle acquieſcere.* Super quem locum ait B. Gregorius: *Sola eſt obedientia, quæ fidei meritum poſſidet, ſine quâ quisque infidelis conuincitur, etſi fidelis eſſe videatur.* Inobedientiæ quoque vitium inter mortalia crimina connumerat Apoſtolus dicens: *Gentiles repletos omni iniquitate, malitia, fornicatione, auaritia.* Et poſt pauca; *Inuentores malorum, parentibus non obedientes*; parentibus ſcilicet, ſicut Doctores orthodoxi exponunt, carnalibus vel ſpiritalibus. Et paulò poſt: *Qui talia agunt, digni ſunt mor-*

Rom. 1.

Ibid.

morte: non solùm autem, qui ea agunt, sed etiam, qui facientibus consentiunt. Consentire autem est, secundum Ambrosium; Si quum quis possit reprehendere, taceat, aut hoc audiens, aduletur.

Nec mirum; si inobedientes potestatibus Ecclesiasticis, digni sunt morte æterna. Teste enim Apostolo: *Non est potestas, nisi à Deo, quæ autem à Deo sunt, ordinata sunt. Itaq; qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt.* Rom. 13. Audiant ergò præfati erronei, & qui eis consentiunt, Apostoli præceptum dicentis: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Spiritus* quippe *sanctus*, sicut Apostolus ait in Actis Apost. *posuit Episcopos* super gregem suum, *regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Rom. 13. Actor. 20. Qui ergò Episcopis resistit per contumaciam, in Spiritum sanctum peccat. Nam & Iudæis murmurantibus contra Moysen & Aaron, responsum est: *Nec contra nos murmur vestrum, sed contra Deum.* Exod. 16. Hinc Iudas Iacobi ait: *Væ illis, qui in contradictione Chore perierũt.* Iud. Epist. Num. 16. Chore quippe, & eius complices insurrexerũt contra Moysen & Aaron Sacerdotes Domini; & confestim igne cælitus misso, combusti sunt. Contradictione ergò Chore pereunt, qui Sacerdotum imperio contradicunt, & ideo ignis æterni incendio concremantur. Vnde *væ*, id est, æterna damnatio est illis.

Præterea per inobedientiam Adæ peccatores constituti sunt multi: Et per obedientiam Christi, qui obediens fuit patri vsq; ad mortem, iusti constituti sunt multi. Quicunq; ergò inobedientes existunt, veteris hominis imaginem portant. Contra quod Apostolus ait: *Sicut portauimus imaginem terreni, porte-* 1. Cor. 15.

mus imaginem cœlestis, virtutem obedientię induentes, vt, qui per inobedientiam de paradiso eiecti sumus per obedientiam, quasi per aliam viam cum Magis redeamus. *Melior est enim obedientia, quàm victima; & auscultare magis, quàm offerre adipem arietum. Quia, per victimas aliena caro, per obedientiam verò voluntas propria mactatur.* Et Salomon, *Vir obediens, loquetur victorias.* Quia dum alienæ voci humiliter subdimur, nosmet ipsos in corde superamus. Ex his omnibus patet quanta sit virtus obedientiæ, quantumq; crimen inobedientiæ.

Matt. 2. 1. Reg. 15. S. Greg.

CAPVT II.

Tractat de dignitate Prælatorum, & quod eis sit deferendum & obediendum.

P. Moneta lib. 5. Matt. 8.



T verò luce clarius pateat, quantum Sacerdotes excellant cæteris, & quod eis sit deferendum & obediendum, ex verbis saluatoris potest perpendi; qui curato à lepra ait: *Vade, ostende te Sacerdoti, & offer munus, quod præcepit Moyses, in testimonium illis.* Sacerdotum quippe est, discernere, & iudicare, qui sint Catholici, quiùe hæretica contagione respersi. Inde est, quòd cum multos languentes Dominus sanauerit, leprosos tantùm ad Sacerdotes misit: In leprosi quippe corpore varius color designat in hæretico homine veritatem falsitati permistam. Planè Dominus noluit leprosum, licet mundatum, hominum cœtibus aggregari, sine iudicio sacerdotis, vt

vt apertè ostenderet eum, qui ab vnitate Catholica errauerit, licet fortè resipuerit, sine sacerdotali iudicio, conuentibus fidelium minimè aggregandum. Et in signum deuotionis & humilitatis iubetur oblationem facere sacerdoti, vt ei se subiectum pariter innuat, cuius manum diuino intuitu osculando hostiã immolet.

Item Clerici pascunt; alij, quasi oues, pascuntur; Et de altari viuunt illi: Isti verò offerre debent. Illi possunt peccatores tradere sathanæ: Isti verò, ante eos sedere; nec sine eorum consilio, quæ Dei sunt, agere debent. Vnde Hieronymus ad Heliodorum; *Alia causa est monachi, alia Clerici: Clerici oues pascunt, ego, pascor. Illi, de altari viuunt; mihi securis quasi ad radicẽ infructuosæ arboris ponitur. Si munus ad altare non defero, mihi ante presbyterum sedere non licet. Illi, si peccauero, licet me tradere satanæ in interitum carnis, vt spiritus sit saluus in die Domini.* Idem ad Rusticum: *Ecclesia habet senatum cœtum presbyterorum, sine quorum consilio nihil monachis agere licet. Roboam filius Salomonis ideò perdidit regnum: quia audire noluit presbyteros suos. Senatum quoque Romani habebant, quorum consilio cuncta agebant, & nos habemus senatum nostrum, cœtum presbyterorum.*

Præterea, cum quis de lege diuina dubitat, confestim ad sacerdotes currere debet, & interrogare. Ipsi sunt enim, per quos creator omnium fidelium plebes pascere disposuit. Hinc est enim, quod Dominus discipulis suis quinq;, vel septem panes tradidit, vt ponerent ante turbas. Spiritualem enim doctrinam sacerdotibus, qui in locum discipulorum successerunt ministrat; vt, quasi boni dispensatores familiæ

Dei animarum alimenta ministrent, ne in via huius
Luc. 12. seculi ab hoc cibo ieiuni deficiant. Hinc scriptum est:
Quis putas est fidelis dispensator & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam: vt det illis in tempore tritici
Act. 9. *mensuram.* Vnde & Dominus Paulum, adhuc Saulum, in via quidem prosternit; sed, quid eum oporteat facere, non docet: sed in ciuitatem ad discipulum
Act. 10. Ananiam docendum mittit. Nec Angelus, qui centurioni viro religioso apparet, eidem formam fidei tradidit; sed Simeonem accersiri iubet, vt per eum, quid oporteat facere, instruatur.

Ex quibus apertè datur intelligi, quod nullus præsumere debet docere aliquam viam perfectionis, nisi sit in ciuitate, id est, in sancta Ecclesia, & Christi sit discipulus; cùm Christus, vel eius Angelus Saulum vel centurionem docere noluerint, vt magisterium Ecclesiæ inuiolabiliter custodiendum esse ostenderent; & à nullis omninò attentandum, nisi ab his, qui in locum discipulorum successerunt, id est, ab Episcopis, & viris Ecclesiasticis, quibus id officij Dominus
Mal. 2. delegauit, sicut scriptum est, Malachia attestante: *Labia Sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.* Ecce, quanta sit dignitas Sacerdotis. Ipse est enim, sicut in Eze-
S. Greg. chiele legitur, gazophylacium in Domo Domini, qui thesaurum sapientiæ & scientiæ in pectore suo custodit, & ex cuius ore, Domino præcipiente, lex requirenda est. Quod ipse Dominus, teste Euangelio, per
Luc. 2. exemplum docuit, qui in templo, in medio Doctorum sedebat, audiebat illos, & interrogabat, docens pariter in sancta Ecclesia, maximè doctrinam cœle-

stem

ſtem addiſcendam eſſe, non in foro, non in plateis, vt tanto melius percipiatur, & memoriæ commendetur; quanto in Eccleſia non rebus temporalibus, ſed diuinis attentius vacatur.

Quantum verò eſt, quod ſacerdos Angelus Domini, id eſt, nuncius vocatur? ſupernum quippe iudicem nunciare mittitur: ideoque, etſi ex ſua deſpicabilis, tamen ex Domini perſona venerandus eſt. Teſte enim B Gregorio: *Sæpè potens perſona famulum habet deſpectum, per eum ſuis fortè, vel extraneis aliquod reſponſum mandat, non deſpicitur perſona loquentis ſerui, quia ſeruatur in corde reuerentia mittentis Domini.* Ita ergo quilibet ſacerdos, etſi forſitan dignè deſpicitur ab aliquo, in mente tamen ſua mittentis Domini reuerentiam ſeruare debet is, cui mittitur. *S. Greg.*

Sacerdotibus etiam peccatores nequitias ſuas confiteri debent, vt reatus ſui vinculis abſoluantur. Quâ ex re, Dominus ait quatriduano mortuo: *Lazare veni foras.* Qui, cùm egreſſus fuiſſet viuens, à vinculis per diſcipulos eſt ſolutus, Domino iubente & dicente eis: *Soluite eum, & ſinite abire.* Foras venit mortuus, cum culpam confitetur peccator. Venientem autem foras ſoluunt diſcipuli: quia prædicatores Eccleſiæ ei pœnam debent amouere, quam meruit, qui non erubuit confiteri, quod fecit. Sanè Iudas confeſſus eſt peccatum ſuum, non Chriſti diſcipulis, ſed Iudæis dicens: *Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* Et non profuit ei confeſſio. *Ioan. 11.* *Matt. 27.*

Nec ſolùm ſoluunt, ſed etiam ligant presbyteri reos, & Satanæ tradunt in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit. Vnde Dominus ait: *Quorum remiſeritis pecca-* *1. Cor. 5.* *Ioh. 20.*

cata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt. Teste quippe Gregorio, discipuli, quorum locum tenent Episcopi, vice Dei, quibusdam peccata retinent, quibusdam relaxant. Apostolus quoq; ait de fornicatore: *Iudicaui in nomine Domini nostri Iesu Christi*, hoc est, vice eius, vel ad eius gloriam; *tradere huiusmodi Satanæ, vt Spiritus saluus sit in die Domini nostri Iesu Christi.* Satanæ tradit, vt corporaliter vexet, & sic resipiscat: Vel secundum quosdam, intelligitur mors corporis: siue excommunicare; est tradere Satanæ. Quemadmodum enim diabolus nullum ius habet in hominé, postquam homo per fidem iustificatur; sed, postquá homo, pro culpa, ab Ecclesiæ Sacramentis, quæ sunt sibi arma contra Satanam, sequestratur, exinde sub iugo Satanæ religatur.

1. Cor. 5.

Præterea Spiritus sanctus plerumq; potius dignitatem Sacerdotis pensat, quàm meritum, & per eum electis prouidet. Vnde cùm esset Caiphas Pontifex, prophetauit; Vbi patenter Euangelista donum Prophetiæ diuino tribuit Sacramento dicens: *Cùm esset*, id est, quia esset summus *Pontifex.* Transit quippe aqua per canales lapideos ad areolas aromatum; id est, gratiæ spiritualis irrigatio nonnunquam per duras & insensibiles mentes præsidentium, rigat & infundit fidelium animas virtutum aromatibus redolentes & conficitas.

Iohan. 11.

Iac. 5. B. quoq; Iacobus ostendit, quàm sit necessarius & vtilis Ordo Sacerdotum, cum ait: *Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum Oleo in nomine Domini: & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remit-*

mittentur ei. Ecce oratio Sacerdotis & saluat; & per eam Deus infirmum alleuiat, & peccata remittit. Sic ergò saluat, dum corpori & animæ prodest oratio presbyterorum, releuando infirmitaté & remittédo peccata. Vbi pariter reprehendit eos, qui hæreticos inducunt, & presbyteros deserunt; cum Apostolus iubeat presbyteros induci, non hæreticos. Tacitè quoq; reprehendit quosdam etiam Christianos, qui, cùm infirmantur, non ad presbyteros, sed ad medicos mittunt; vel, ordine præpostero, postea mittunt: cùm sæpè languor animæ, sit causa infirmitatis corporis. Vnde Dominus Paralytici ad se allati prius peccata dimittit dicens: *Fili, remittuntur tibi peccata tua:* & postea, corpus sanat. *Sublata enim causâ, tollitur effectus.* *Matth. 9.*

Sacerdotum etiam est emergentes de religione Christiana quæstiones decidere. Vnde Moyses, ascendens in montem ait senioribus Israël: *Exspectate hic, donec reuertamur: habetis Aaron & Hur vobiscum, si quid natum fuerit quæstionis, referetis ad eos.* Quæstiones quippe nascentes inter fideles de fide aut cultu Christiano, ad Episcopos & presbyteros referendæ sunt. Inde est, quod ob hanc, & alias necessarias causas Episcopi per singulas ciuitates, & Presbyteri per singulas Ecclesias statuuntur ab Apostolis. Quapropter Apostolus ait Tito: *Huius rei gratiâ, reliqui te Cretæ, vt ea, quæ desunt, corrigas, & constituas per ciuitates presbyteros, sicut & ego disposui tibi.* In Actibus etiam Apostolorum habetur; quod Paulus & Barnabas constituerunt per singulas Ecclesias presbyteros. *Exod. 24.* *Tit. 1.* *Act. 14.*

Notandum verò, quòd presbyterorum nomine

Episcopi accipiuntur, sicut paulò ante ad Titum, & simplices sacerdotes, sicut & paulò supra in Actibus Apostolorum. Nam, & versa vice Episcoporum nomine, aliquando minores sacerdotes nuncupantur, sicut ad Philippenses, cum ait Apostolus: *Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, omnibus Sanctis, qui sunt Philippis, cum Episcopis & Diaconibus.* Neque enim in vna ciuitate plures sunt Episcopi: aut tacitis Sacerdotibus, de Episcopis loquens, interfereret de minore ordine, id est diaconorum; nisi quia Episcopos vocauit Sacerdotes. Interdum verò Episcopi, appropriato vocabulo dicuntur maiores Sacerdotes, sicut & vsus quotidianus probat.

Phil. 1.

His per excessum dictis, sciendum, quod in nouo Testamento, orta quæstione, an oportet credentes circumcidi, legemq; Moysi seruari? Statuerunt Paulus & Barnabas manere credentes ita, vt crediderant; & vt iidem Apostoli, & quidam alii ex aliis ascenderent ad Apostolos & Presbyteros in Hierusalem super hac quæstione. *Conuenerunt q; Apostoli & Seniores, videre de verbo hoc*: Et simul Apostoli & Seniores deciderunt quæstionem: Et super hoc Epistolam decretalē, credentibus exigentibus, direxerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur.

Act. 15.

Ibid.

Ex hoc patet exemplo, quod orta dubitatione circa cultum fidei Christianæ, ad summum Patriarcham, qui vice B. Petri fungitur, aliosq;, tam Archiepiscopos, qui personas Apostolorum, quàm Episcopos, qui locum obtinēt aliorum discipulorum: quos suprà in Actibus vocat Lucas nunc presbyteros, nunc seniores, recurrendum est. Si enim Apostoli Paulus

& Bar-

& Barnabas non præsumpserunt decidere tantam quæstionem, nisi communicato consilio cum Apostolis & Senioribus: et factâ magnâ inquisitione; pensandum est solerter, quantæ sit præsumptionis & dementiæ, de his, quæ ad fidem Dei ac eiusdem statum pertinent: ab aliis, & non à Christi Sacerdotibus inquirere, & maximè ab hæreticis, vel malis Catholicis.

Ad hoc Apostolus ad Corinthios ait: de rebus transitoriis non debere fideles causari apud infideles, sed apud sanctos: *Audet*, inquit, *aliquis vestrum habens negotium aduersus alterum, iudicari apud iniquos, & non apud sanctos. Nescitis quoniam Angelos iudicabimus? Quanto magis secularia? Etsi in vobis iudicabitur mundus, indigni estis, qui de minimis iudicetis.* Et post: *Sic non est inter vos sapiens quisquam, qui possit iudicare inter fratrem suum? sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles? Iam quidem omninò delictum est in vobis, quod iudicia habetis inter vos.* Si ergò negotium de rebus minimis sancti debent iudicare; id est, fideles, non infideles; multò magis, cùm de fide, & rebus spiritalibus agitur, vel dubitatur; non, ab hæreticis, vel infidelibus, sed à sanctis & fidelibus est tractandum & iudicandum. Et si infideles indigni sunt, qui de minimis iudicent; multò magis sunt indigni de religione Christiana iudicare & fide: Maximè cum Moyses moneat vnumquemque dicens: *Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi, maiores tuos, & dicent tibi.* Quis est pater, vel maiores, quos interrogare debemus, nisi Rectores animarum, qui in sancta conuersatione nos instituentes, quasi filios spiritales gigunt. Et quia dignitate vel merito

1. Cor. 6.

Deut. 32.

nos præcedunt, *maiores nostri* vocantur, qui alio nomine dicuntur *seniores*. Quibus & B. Petrus ait scribens
1. Pet. 5. credentibus: *Seniores, qui in vobis sunt, obsecro, ego consenior & testis Christi passionum, pascite, qui in vobis est,
Ibid. gregem Dei.* Et paulò post: *Similiter adolescentes subditi estote Senioribus.*

Ecce, patenter refert, fidelium grex à quibus debeat pasci, scilicet à Senioribus suis. Sicut enim ait B.
S. Greg. Gregorius: *Senes eos sacra scriptura vocat, qui morum grauitate, non temporum quantitate maturescunt, sicut scriptū est: Senectus enim venerabilis est, non diuturna, neq; annorum numero computata: Cani autem sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata.* Iuuenes quoq; dicuntur, qui nulla consilii grauitate deprimuntur: quos
1. Pet. 5 Apostolorum primus iubet subditos esse Senioribus, vt leuium leuitas, grauium grauitate grauetur, secun-
Psal. 17. dum illud: *Cum sancto sanctus eris, & cum viro innocente, innocens eris.* In quibus verbis reprehenduntur, qui præceptis seniorum, id est, Prælatorum non obtemperant; & sic Apostolo Petro inobedientes existunt.


Denique, *Sacerdotum est*, sicut Dominus ait eis
Leuit. 10. in persona Aaron Sacerdotis & filiorum eius, *discernere inter sanctum & prophanum, inter mundum & immundum, & docere omnia legitima, quæ præcepit Deus filiis Israël per manum Moysi*, sicut scriptum est in Leuitico: Dixit Dominus ad Aaron; *Vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis, tu, & filii tui: quando intrabitis tabernaculum testimonii: ne moriamini; quia, præceptum est sempiternum in generationes vestras; Et, vt habeatis scientiam discernendi inter sanctum & prophanum, inter pollutum & mundum, doceatisq; filios Israël omnia legitima mea,* quæ

quæ locutus est Dominus, ad eos per manum Moysi. Ex qua re liquidò apparet, quod presbyterorum est, non aliorum, discernere, qui sint sancti, id est, Catholici, & qui prophani, id est hæretici, quiue mundi à macula criminis; quique immundi, id est criminosi. Quin imò ad eos spectat docere fideles præcepta Dei. Quare damnabile est aliis, qui non sunt de tribu Leui, id est, de ordine Clericorum, vsurpare officium illorum in iudicando, vel docendo.

Ecce pauca de multis collegimus, ad ostendendum, quanta sit Episcoporum, ac Sacerdotum dignitas ac auctoritas: quo cognito, qui hactenus eis rebelles fuerunt, humiliter eisdem obtemperent.

CAPVT III.

Contra eos; qui detrahunt rectoribus animarum.



SEd quoniam sunt quidam, qui eisdem rectoribus animarum detrahunt: & cum periculo animarum suarum eos reprehendunt, ad ipsorum correctionem vel pauca dicamus. Audiant ergò, qui tales sunt; quod Apostolo teste, *detractores Deo odibiles, & susurrones, atque contumeliosi digni sunt morte.* Detractor verò est; qui bona proximi, in quãtum potest, minuit: & mala, quæ in eo non sunt, ei imponit. Susurro verò est, qui mala de proximo ad proximum occultè transfert. Contumeliosus est, qui aliquam turpitudinem dedecoris, vel in dicto, vel in

F. Moneta lib. 5.

Rom. 1.

1. Cor. 5. facto libenter infert proximo. Item idem ad Corinthios ait: *Si is, qui frater nominatur, est maledicus,* id est, detractor, *cum eiusmodi nec cibum sumere.* Et rursum: *Ma-*
1. Cor. 6. *ledici regnum Dei non possidebunt.*

Cùm ergò detractor, vel maledicus in communionem fidelium recipiendus non sit, & dignus sit morte, vtpote, qui non possidebit regnum Dei; specialiter tamen prohibetur quis maledicere rectori populi: Vnde Paulus, cū ab Anania Principe sacerdotum iuberetur percuti in ore; ignorans, esse Princi-
Act. 23. pem sacerdotum, ait: *Percutiet te Deus, paries dealbate. Et, qui adstabant, dixerunt: summum sacerdotem Dei maledicis?* Respondit Paulus: *Nesciebā fratres; quia Princeps sacerdotum est. Scriptum est enim: Principem populi tui non maledices.* Ecce autem, Principem populi, licet apertè contra legem agentem, & iudicantem se percuti, ait, non esse maledicendum, & scripturæ auctoritate hoc probat. Hinc ergò perpendant, qui rectoribus Ecclesiarum maledicunt, quantâ damnatione sint digni? Si Apostolus infidelem, & legi contraria agentem, maledicere supersedit: ex quo cognouit Principem populi: &, quod maledixerat, ideo ait se fecisse: quia nesciebat esse Principem populi.

Gen. 9. Præterea Cham, vidit verenda Patris sui Noe nudata, & risit; & ideo in sua posteritate damnatus est, dicente Noe: *Maledictus Chanaan puer seruus erit fratri-*
Ibid. *bus suis,* quia, mala Præpositorum suorum, non arguere: non diuulgare temerè quis debet; vel, dum videt, gaudere: alioquin damnabitur in posterum, id est, in futuro. Boni verò Noe filii verecunda Patris sui, iniecto dorsis pallio, auersi venientes operiunt.

Quid

Quia, bonis subditis, vt ait B. Gregorius, *sic præpositorum suorum mala displicent, vt tamen hæc ab aliis occultent, iudicantesq; factum, & venerantes magisterium nolunt videre, quod tegunt.* S. Greg.

Attendant etiam præfati detractores: quia humiliter sanctus Dauid obediuit Sauli superbo; Sed tamen regi, & à Domino electo, sed per sequenti, & occidere ipsum Dauid volenti; sed denique exigentibus culpis suis à Deo reprobato, & Dauid ad regni gubernacula electo à Domino. Cùm ergò hæc ita essent, malo regi ita Dauid obediuit, vt scriptum de ipso sit: *Quis in omnibus, sicut Dauid inuentus est in regno tuo ingrediens, & egrediens, & pergens ad imperium Regis?* Rursumque, cùm persequentem se regem ferire posset; eidem humili se professione prostrauit dicens, *Quem persequeris Rex Israël, quem persequeris? Canem mortuum, & pulicem vnum.* Hinc discant subditi; licet humiles, licet innocentes, prælatis sibi à Deo potestatibus, licet contra se sæuientibus deferre, non detrahere, obedire, non contradicere. Idem etiam Dauid; cùm serui eum sui ad feriendum Saul in speluncam ingressum, vbi ipsi erant, accenderent, fregit eos responsionibus; quia manum in Christum Domini mittere non deberet. Qui tamen occultè surrexit, & oram chlamydis eius abscidit. Et quia hoc fecerat, post hoc percussit Dauid cor suum. Ecce, dum pensat, à Deo vnctum, & sibi prælatum, licet, se quærentem, vt occideret, occidere non vult Dauid: Et quia, vel extremam oram chlamydis eius abscidit, pœnitet. Super hunc locum ait S. Gregorius: *Facta Præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum rectè repre-*

1. Reg. 19. & deinceps. — *1. Reg. 21.* — *1. Reg. 24.* — *1. Reg. 24.* — *S. Greg.*

hen-

hendenda iudicantur. Si quar do verò contra eos, vel in minimis lingua labitur, necesse est, per afflictionem pœnitentiæ cor crémetur, quatenus ad semetipsum redeat; Et cùm præposita potestas deliquerit, eius contra se iudicium, à quo sibi prælata est, perhorrescat. Nam, cùm in præpositis delinquimus, eius ordinationi, qui eos nobis prætulit, obuiamus.

Ecce auctoritatibus sanctarum scripturarum & sanctorum exemplis, probauimus, quanta sit reuerentia exhibenda, remota obtrectatione, ergà Prælatos, & eis esse deferendum, non detrahendum, vel maledicendum: aliôquin & Dei præceptis contra imus, & sanctorum vestigiis non instamus.

CAPVT IV.

Contra hoc, quod omnes, etiam laici prædicant: Et, quid ad hoc dicant, quidue nos, contra eos.



F. Moneta lib. 5.

SEcundò prædicant omnes passim, & sine delectu conditionis, ætatis, vel sexus. Et quoniam in hoc errore multi eorum, qui specie tenus Christiani dicuntur, seducuntur, gratia reuocandi ipsos, & reliquos confirmandi, cooperante Deo, videamus, quibus rationibus, vel auctoritatibus innitantur ipsi, quidue à Catholicis dicatur contra eas infirmandas, & penitus vacuandas, & tertio loco, quid in sua assertione Catholici inducant.

Primò igitur dicunt; ab omni, qui scit verbum Dei in populis seminare, prædicandum esse. Quoniam

niam Iacobus dicit: *Scienti bonum facere, & non facienti, peccatum est illi.* Quare autem, si scimus euangelizare, & cessemus, grauiter peccamus? hanc, cùm quidam hæresiarcha scripturam pro se induceret, ei responde; Legitur in Euangelio diabolum dixisse Domino Iesu: *Scio, quis sis, sanctus Dei. Et comminatus est ei Iesus dicens: obmutesce.* Ecce noluit Dominus per os diaboli prædicari: licet diceret, se scire ipsum: ne fortè veritati falsitatem promittens deciperet simplices, sicut in exordio feminam seduxit. Sic, sic, responde, ex ore tuo nomen Christi non est annunciandum, etsi scires: ne, more venefici, dum mellita pocula propinare crederis à quolibet simplice, permistum virus infundas. De malis quippe scriptum est: *Fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile.* Venenum aspidum insanabile est dogma hæreticorum: quia, quisquis illud bibit, id est, libenter audiendo percepit, morte procul dubio non caret. Iac. 4. Mar. 1. Deut. 32.

Præterea, non ait Apostolus: *scienti bonum* docere, sed, *facere*: quare intelligendum est de illo, qui bonum, quod intelligit, non perficit; & ideo peccat: non de illo, qui bonum, quod scit docere, non docet. Nec enim omnis homo peccat, qui non docet, quod scit: imò potius peccat, si doceat, cum tamen ipse præuaricator existat. Dauid enim dicente: *Peccatori dixit Deus; quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum, per os tuum?* Hoc Apostolus ait: *qui alium doces, teipsum non doces? qui in lege gloriaris, per præuaricationem legis Deum inhonoras.* Psal. 49. Rom. 2. Apol. 22.

Item in fomitem erroris sui inducunt illud, pro se: *Qui audit, dicat, veni.* Vbi B. Gregorius ait: *vt, qui* S. Greg.

in corde vocē superni amoris acceperit, foras etiam proximis vocem exhortationis reddat. Et rursum idem Gregorius: *In quantum pro diuina largitate sufficitis, proximis vestris boni verbi cyathos date.*

Ad hoc respondemus: quod si diligenter ista attendantur; eis, de erroneis obseruationibus non prosunt. Cùm enim ait: *qui audit, dicat; veni;* consequēter intelligitur; vt, qui non audit intus in corde vocem fraterni amoris: Vel, qui vocem Dei non audit aure corporis, vel cordis, licet corporis; aut etiam opere non implet, non dicat alii, veni. Qui enim verbo Dei non obtemperat, quâ fronte ad eandem obedientiam, quam ipse opere non implet, alium inuitet: aut, quomodo in alio ædificat obedientiam, quā in se destruit? Quia ergò verbum Dei non audiunt, imò inobediētes eidem existunt, sicut suprà monstratum est; alios docere non debent. Vnde & in hac eadem Homilia idem S. Gregorius ait: *In quantum profecisse pensatis, etiam alios trahite, & in via Dei socios habere, desiderate.* Ex his verbis patet; quos admoneat B. Gregorius, ad exhortandum proximos; eos scilicet, qui profecerant, & in via Dei erāt: quos admonet, vt iuxta quantitatem profectuum alios trahant. Sed, hæretici non profecerunt, imò defecerunt, & in via Dei non sunt; imò, sicut scriptum: *errare fecit eos in inuio, & non in via.* quare, alios exhortari non debent. Opera enim, si fides desit, sic sunt, tanquam si sint magnæ vires: & cursus celerrimus præter viam.

Psal. 106.

Item inducunt pro assertione sua illud, quod dicitur in Euangelio Marci: Ioannes quidem respondit Domino dicens: *Magister, vidimus quendam in nomi-*

Marc. 9.

mine tuo eijcientem dæmonia, qui non sequitur nos, & prohibuimus eum. Iesus autem ait: Nolite prohibere eum. Nemo est enim, qui faciat virtutem in nomine meo, & possit citò malè loqui de me, qui enim non est aduersum vos, pro vobis est.

Ecce, inquiunt, iste non sequebatur Apostolos: & tamen, quia dæmonia eijciebat in nomine Christi, Dominus imperat eis, ne prohibeant. Quare, si Christi nomen prædicamus, quamuis non sequamur Episcopos, & alios Sacerdotes, non tamen debent nos prohibere.

Sed ad hoc respondemus: quod autoritas illa nō iuuat eos; sed lædit. Ille namque & bonum operabatur, quia dæmonia eijciebat; & in nomine Christi, & sic, fidem habebat, &, non loquebatur malè. Qua de re, licet corporaliter non sequeretur Apostolos; nō erat prohibendus à bono opere: quia spiritaliter viuendo per fidem, & opera, Apostolos sequebatur, nec peruersum dogma introducebat. Sed isti, & infideles sunt; & sunt sine obedientia, *quæ sola fidei meritum possidet*: cùm sine fide, secundum Apostolum, impossibile sit, placere Deo: Et ideo, eorum opera, à via fidei eos elongant: nec per ea, Deo approximāt, sed recedunt, & fabricatores sunt mendacij, & cultores peruersorum dogmatum. Quare prohibendi sunt: quia sunt aduersum Christi Sacerdotes. Super hunc quoque locum Catholici doctores scripserunt dicentes: quòd in hæreticis & malis Catholicis non Sacramenta communia, in quibus nobiscum sunt; non contra: sed, diuisionem, paci, veritatique contrariam, qua aduersum nos sunt, & Dominum

non sequuntur nobiscum, detestari & prohibere debemus.

Phil. 1. Item aiunt illud Apostoli sibi suffragari, cum ait: *Quidam autem & propter inuidiam, & contentionem: quidam autem & propter bonam voluntatem Christum prædicant.* Quidam enim inuidebant Apostoli gloriæ, & contendebant habere, conantes se parificare illi, in laude prædicationis. Alii prædicabant Christum, quia, vellent omnes homines ad agnitionem veritatis venire. Et post pauca: *Quid enim? Dum omni modo, siue per occasionem, siue per veritatem Christus annuncietur. Et, in hoc gaudeo; sed, & gaudebo.* Ecce inquiunt: *Apostolus gaudet*, quocunque modo Christus *prædicetur, siue per inuidos, siue per bonos: siue bona intentione, siue praua.* Cur igitur Episcopi non gaudent similiter, quando à nobis Christus prædicatur; sed contradicunt nobis? Ad hoc dicimus; quòd multum refert, à quibus Christus annuncietur: A Catholicis, vel non Catholicis. A Catholicis prædicatur Christus aliquando bonis; aliquando malis, id est, inuidis, vel habentibus odio fratres: hoc est, modò pascunt oues Christi pastores boni; modò mercenarii. De his dicitur: *Super cathedram Moysi sederunt Scribæ & Pharisæi: quæ dicunt vobis, facite; quæ autem faciũt, facere nolite.* De bonis autem dicit Apostolus: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini fidem.* De non Catholicis verò, id est, hæreticis dicitur; *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestibus ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Et quasi quis quæreret, in quo discernerentur veri Prophetæ, à falsis, subdit Dominus:

Ibid. Matt. 23. Heb. 13. Matt. 7.

nus: *A fructibus eorum cognoscetis eos.* Quia, fideles opprimunt: Deum, si non verbis, factis blasphemant. Maximè autem per impatientiam discernuntur in tempore aduersitatis. Ieiunia enim, & orationes, & huiusmodi, sunt simulatis, sicut & bonis. Igitur discernuntur, non in foliis, id est, sermonibus tantùm; sed, in fructibus. Vnde Apostolus: *Veniam citò ad vos, si Dominus voluerit, & cognoscam non sermonem eorum, qui inflati sunt, sed virtutem. Non enim in sermone est regnum Dei, sed in virtute*; quasi dicat: Non cognoscam eorum folia, sed fructus. Ibid. 1. Cor. 4.

Præterea, Christus est veritas; sicut idem ait: *Ego sum via, veritas & vita.* Quare, qui peruersum dogma fingit & annunciat, Christum non prædicat. Igitur Apostolus loquitur de malis Catholicis, id est mercenariis, sed tamen Christum, id est, veritatem annunciantibus. Isti autem sua mendacia fabricant, & ideo iuxta præceptum Domini, àttendendum est ab eis, id est, diligenter cauendum. Eis itaque prædicantibus, non gaudemus: quia, Christum non prædicant, sed falsitatem. Et quia nec rectores sunt, nec mercenarii, sed lupi. Quoniam pastores & audiendi sunt & imitandi, vt iam suprà per Apostolum probauimus. Mercenarii audiendi sunt, in his, quæ verbo docent, vt fiant, non imitandi in opere, sicut Dominus ait: Lupi attendendi & vitandi. Vnde Apostolus: *Rogo fratres, vt obseruetis eos, qui dissensiones & offendicula, præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt, & declinate ab illis: huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri: & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Ecce, quia declinandi sunt Rom. 16.

tales; & quare? ſcilicet quia diſſentire faciunt à ſenſu ſcilicet fidelium credentes ſibi remouentes, & etiam offendere in proximum, cùm ſcriptum ſit: *Sine offenſione eſtote Iudæis & gentibus, & Eccleſia Dei.* In his ſcilicet, quæ licet fieri; & non fieri; *vt omnibus per omnia,* id eſt, vel faciendo, vel non faciendo, *placeatis*, prouidete. Vel; ideo diſſenſiones & offendicula ſimul iungit: quia; quicunque aliud ſentiunt, quàm cæteri fideles, offendunt; *impingentes in lapidem offenſionis & petram ſcandali:* Vnde & Apoſtolus: *Peccantes in fratres, & percutientes eorum conſcientiam infirmam*, exemplo ſcilicet, quod ab eis videtur, *in Chriſtum peccatis*, cuius membra ſunt. Apoſtolus igitur iubet diſſenſiones vitari, cùm ait: *Obſecro vos, fratres, per nomen Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchiſmata. Sitis autem perfecti in eodem ſenſu*, idem volendi; *in eadem ſcientia*, idem credendi. Et rurſum iubet etiam offendicula caueri, cùm ait: *Hoc iudicate magis, ne ponatis offendiculum fratri, vel ſcandalum.* Igitur hæretici, qui faciunt diſſenſiones & offendicula, doctrinæ Apoſtolicæ ſunt contrarii, & ideo declinandi ſunt.

1. Cor. 10. — Rom. 9. — 1. Cor. 8. — 1. Cor. 1. — Rom. 14.

Rurſum pro ſe inducunt illud; quod Moyſes reſpondit Ioſue; Cum enim Ioſue duobus in caſtris remanentibus & prophetantibus vellet obſiſtere; ei per Moyſen dicitur: quid æmularis pro me? *quis tribuat, vt omnis populus prophetet? &, det eis Dominus Spiritum ſuum.* Ecce, inquiunt, hæretici; Moyſes non inuidit prophetantibus, imò deſiderauit, vt omnis populus prophetaret. Clericorum autem ordo obſiſtit nobis, & inuidet prophetantibus, id eſt, exponenti-

Num. 11.

bus

bus mysteria verbi Dei. Prophetia quippe est futurorum prænunciatio, vel absconditorum reuelatio, seu occultorum mysteriorum expositio. Sunt igitur Clerici similes non Moysi, sed Iosuæ. Et quia sanctorum vestigiis non inhærent; sed inuidorum; peccant, & contra nos audiendi non sunt.

Ad hoc, nos dicimus, quia sicut & Moyses vellemus, vt omnis populus prophetaret, & daret eis Dominus spiritum suum, vt veritatem, quam nos loqui non sufficimus, ora cunctorum sonarent. *Sed vnusquisq; propriu donū habet à Deo, alius quidem sic, alius vero sic.* 1. Cor. 7. *Quosdam enim dedit Apostolos, quosdam autem prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem Pastores & Doctores.* Ephes. 4. Simile est quod Apostolus ait: *Volo omnes homines esse, sicut meipsum,* scilicet continentes; *sed vnusquisque habet proprium donum ex Deo, &c.* 1. Cor. 7. Deus autem dissensionis non est, sed pacis; sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum, docet Apostolus. 1. Cor. 14. Ergò Prophetia omnibus data non est. Et dicimus, illis non esse datā: Prophetia enim donum Dei est. Isti verò dissensionem & offendicula faciunt, sicut supra dictum est. Quare, in eis Deus non est, qui in pacificis & concordibus habitat. 2. Cor. 13. Vnde Apostolus; *Pacem habete; & Deus pacis, & dilectionis erit vobiscum.* Et alibi; *Supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis.* Col. 3. Isti autem pacem Catholicam nec habent, nec amant, sed, in populo Christiano dissensionem, & discordiam faciunt; adeò, quòd quidam eos sequuntur; quidam hæsitant, an eos, an verò viros Catholicos sequi debeant. Quare in eis vnitas spiritus non est, quæ in vinculo pacis seruatur.

Non

Non ergò inuidemus eis prophetantibus; quia Prophetæ non sunt; nisi fortè falsi; de quibus Dominus: *Attendite à falsis Prophetis, &c.* Et de huiusmodi Hieremias populo Israëlitico: *Prophetæ tui videbant tibi falsa, non aperiebant iniquitatem tibi, vt te ad pænitentiam prouocarent.* Tales sunt isti; qui populo Christiano videntur, & prædicant falsa. Et cùm scriptum sit: *Clama, ne cesses, annuncia populo meo scelera eorum, & domui Iacob peccata eorum.* Isti è contrario, non annunciãt fidelib⁹ crimina, quæ perpetrant; quidã, non ad pœnitentiam eos prouocant. Meritò igitur repelluntur quasi Pseudoprophetæ. Et certè Dominus ait: *Surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi.* Temporibus nouissimis Pseudochristi signa dabunt, & ideo, multos seducent. Nec mirum: cum isti, qui nulla signa faciunt, multorum fidem subuertant: & per dulces sermones seducant corda innocentum.

Matth.7. *Thren.2.* *Isa.58.* *Matt.24.*

Ad hoc dicunt: quod multi Laici, verbum Dei in populo fideli disseminauerunt, sicut fuit B. Honoratus, & sanctus Equitius, quorum meminit S. Gregorius in lib. Dialog. & in his temporibus sanctus *Raimundus*, cognomento *Paulus*; ad cuius sanctitatem approbandam, multa fiunt miracula. Deniq; & primi Apostoli idiotæ, & sine literis fuerunt. Et isti omnes, licet Laici, verbum Dei prædicauerunt. Quare, & nos, eorum actus imitantes, repellendi non sumus, imò audiendi.

Luc.24. Sed ad hoc respondemus; quod re verâ Apostoli, ante vocationem, sine literis fuerunt: sed *aperuit Domi-*

mi-

minus eis sensum, vt intelligerent Scripturas: Et Spiritum sanctum infudit; & ipsemet misit eos prædicare regnum Dei. Præterea, non errores, sed fidem Catholicam,& præcepta Domini prædicabant. Et,quia noua, & inaudita prædicabant; noua, & inaudita miracula,per Dei gratiam fecerunt; *Domino cooperante, &* Marc. 16.
sermonem confirmante,sequentibus signis. Sed isti, sacras literas non intelligunt, sicut & Apostolus ait: quod 1. Tim. 1.
quidam aberrantes, conuersi sunt in vaniloquium, volentes esse legis doctores, non intelligentes neque quid loquuntur, neque de quibus affirmant. Non intelligunt; quia, carent fide, sine qua, nemo potest donum intelligentiæ habere, sicut scriptum est: *nisi credideritis non intelligetis.* Item, non intelligunt: quia, non faciunt. Si facerent, quæ scripta sunt, benè intelligerent, sicut scri- Psal. 110.
ptum est: *Intellectus bonus omnibus facientibus eum.* Inde est, quod vinea ablata est colonis non reddentibus fructum, & data aliis agricolis, qui redãnt fructũ temporibus suis. Et talentum est ablatum seruo pigro, qui noluit negociari. Hinc & Dominus Iudæis: *Au-* Matt. 21.
feretur à vobis regnum Dei, id est, sacræ scripturæ intelligentia: *& dabitur genti, facienti fructus.* Spiritum verò sanctum non habent, quia, à sancta Ecclesia recesserunt; extra quam, nulli datur. Inde est, quod Dominus ait discipulis: *Sedete in ciuitate, quoad vsque indu-* Act. 1.
amini virtute ex alto. Ecclesia quippe est ciuitas regis magni, in qua qui sedent, id est, humiles, induuntur virtute altissimi. Vnde & Spiritus vehemens *repleuit* Act. 2.
totam domum, vbi erant sedentes, id est, sanctam Ecclesiam, vbi humiles recipiunt Spiritum sanctum. Scriptum est enim; *super quem requiescet Spiritus meus, nisi* Isa. 66.

ſuper humilem, & quietum & trementem ſermones meos. Ipſi verò humiles non ſunt; dum rectoribus Eccleſiarum ſe præferunt. E contra humilis Dauid, ſuperbũ regem ſibi prætulit, cum ait: *Quem perſequeris Rex Iſraël, quem perſequeris? canem mortuum & pulicem vnum.* Notandum; quàm humiliter de ſe ſenſerit; cùm ſe *canem mortuum, & pulicem vnum* nominauerit. Et quid de Saule, licet reprobato à Deo? quem regem Iſraël vocauit. Hinc tam hæretici, quàm alii ſuperbi Chriſtiani attendant, quantum debeant deferre poteſtatibus Eccleſiaſticis, vel ſecularibus, quarum merita apud Deum ignorant: Si ſanctus Dauid tantum veneratus eſt ſuperbum regem, quem ſciebat reprobatum à Deo, ſeq; electum ad regni gubernacula.

1. Reg. 24.

Præterea; ambulant inquietè, *nil operantes*, ſicut Apoſtolus ait de eorum ſimilibus, ſed *curioſè agentes*, ſcilicet, de alienis: quibus Apoſtolus iubet, *vt cum ſilentio operantes, ſuum panem*, id eſt, proprii laboris, *manducent*, non alienum. Cùm ergò ſuperbi ſint, & inquieti, non requieſcet ſuper eos Spiritus ſanctus, qui humiles & quietos inhabitat.

2. Theſſ. 3.

Quod verò de ſanctis Laicis opponunt; quia verbum Dei prædicauerunt; nullo modo obijcerent, ſi verba S. Gregorii attenderent. Ait enim de ſancto Honorato, quod virtute abſtinentiæ, humilitate, aliiſque virtutibus, & inſuper miraculis fulſit; interque ingentis ſaxi molem venientem ſuper cellam, & interempturam fratres, inuocato Chriſti nomine & ſigno crucis, per manum dexteram extenſam oppoſito fixit: Hunc alicuius fuiſſe diſciplinæ, ſe non audiſſe, teſtatur Gregorius: In quo hæretici inhærent, di-

dicentes, se instar illius, post se habere discipulos: licet nullum magistrum habuerint. Sed attendant, quæ subdit S. Gregorius. Ait enim; *Vsus rectæ conuersationis est, vt praeesse non audeat, qui subesse non didicerit.* Et idem ait: *Quod hæc* libertas in exemplum non est trahenda: *ne dum quisque se similiter sancto spiritu impletum, id est, non humano magisterio edoctum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat, &c.* Et item: *Hæc infirmis veneranda sunt, non imitanda.*

Sanctus quoque Equitius ab Angelo edoctus est, & missus, Nocte quippe speciosus iuuenis, per visionem ei adstitit, & in lingua phlebotomum posuit dicens: *Ecce, verba mea posui in ore tuo, egredere ad prædicandum.* Sanctus iste castitate, oratione, animarum zelo, doctrina, humilitate, prophetia, & potestate in effugandis spiritibus immundis fulsit. Non est igitur mirum, si iste à Deo edoctus & missus, & tot pollens virtutibus, licet sacrum ordinem non haberet, prædicauit. Sanè huius viri exemplo discant hæretici, quod debeant sine mora obedire & summo Pontifici, & Episcopis. Vocatus enim à Romano Pontifice per Vitalianum Defensorem, protinus gratias egit Deo; & illicò iussit hora eàdem iumenta parari; & Vitalianum vehementissimè vrgere cœpit, vt eadem hora exire debuissent. Sed quia Vitalianus ex itinere lassatus erat, ad eius nutum, nocte illa remanserunt. Manè verò facto summus Pontifex per alium nuncium mandauit, vt famulus Dei Equitius de monasterio non moueretur. Quo audito, seruus Dei, quamuis contristatus, quia non perrexerant, remansit. Ecce, iste sanctus Romano Pontifici obediés est, & in eundo, & in remanendo.

Item, eundem Dei famulum Castorius Episcopus rogauit, vt in congregatione sua susciperet quendam nomine Basilium, qui in magicis artibus primus, Roma fugiens, in monachico habitu Valeriam petiit. Rogatus igitur S. Equitius respondit Episcopo; hunc, quem mihi comendas pater, non video monachũ esse, sed diabolum: Et Episcopus ait: Occasionem quæris, ne debeas præstare, quod peteris: cui sanctus Equitius. Ego quidem hoc eum denuncio esse, quod video: ne tamen nolle me obedire existimes, facio, quod iubes. Susceptus igitur in monasterio est. Post dies verò non multos, absente Dei famulo, idem Basilius suis magicis artibus dementauit quandam Virginum sanctimonialium, quibus Equitius præerat. Illa quoq; Virgo febrire cœpit, ac dixit, se statim morituram, nisi Basilius (monachus) aduenirer, & curaret eam. Missum itaque est repentè, & Dei famulo nunciatum, qui & Virginem protinus curauit; & Basilium, euidenter à fratribus cognito, quod esset maleficus, à congregatione eijci fecit. Ecce, & Episcopo obediens extitit, in susceptione Basilii; licet, per Spiritum propheticę cognosceret, esse maleficum. His igitur exemplis discant hæretici obedire, & Romano Pontifici, & cæteris Eipscopis.

Sanè, quod allegant de S. Raimundo Paulo; quia cùm Laicus esset, prædicauerit, & Ecclesia eum receperit; verum est: Sed vir Catholicæ conuersationis, vt dicitur, honestè, permittentibus Episcopis, prædicauit, nullum inducens errorem, sed in omnibus orthodoxus, rectoribus Ecclesiarum obediens, toto studio ad colligendas Deo animas inardescens, hæ-

reticorum, pro *scire*, & *posse* acerrimus expugnator; super fluuium rapidissimum, qui dicitur *Durentia*, ex eleemosynis fidelium pontem construens, & transitum ab omni exactione, vt dicitur, liberum, peregrinis, cunctisque viatoribus redimens; cui operi pio, in loco, qui dicitur *Boni Pas*, cum aliis indigentibus, pro temporis opportunitate vacauit. Desinant ergò hęretici, hunc virum Catholicum, pro sui erroris ddfensione inducere, à cuius vestigiis tam procul deuiare noscuntur.

Hæc diximus, ad confutandas rationes hæreticorum, ostendendo etiam auctoritates sanctarum scripturarum, quas teste Apostolo Petro, ad suam perditionem deprauant, qualiter sint intelligendæ. Nunc verò studii sit nostri, proferre in medium, cooperante Spiritu sancto, & auctoritates & rationes, quibus luce clarius constet, eos non debere prædicare verbum Dei, nec à fidelibus esse audiendos.

CAPVT V.

Quod non licet eis verbum Dei ministrare fidelibus.

ET quoniam de Laicis quæstio est; an verbum Dei seminare valeant in populis; distinguendum est: An sint Catholici, vel non; Nimirum, si sint Catholici, & honestas vitæ eos commendet; si sermo eorum, sit sale sapientiæ conditus; & iuxta capacitatem singulorum, verbi mensuram di- *F. Moneta lib. 5.*

 spen-

spensare nouerunt, certoque loco præfuerint, aut sub obedientia veri Catholici fuerint, secundum quantitatem profectus sui, in scientia, vel opere ad nutum Episcoporum, vel presbyterorum, in quorum territorio fuerint, proximos exhortari, vt arbitror, poterunt: si tamen vxoribus alllligati non fuerint, nec eos pondus terrenæ solicitudinis oppressit. Sanè, si vita eorum reprehensibilis fuerit, eos audiri, necesse
Matth. 23 non est. Quod enim Dominus ait: *quæ dicunt, facite;* non est dictum, nisi de his, qui sedent super cathedrã Moysi, id est, de magistris & doctoribus diuinæ legis, quos Deus præfecit populo suo. *Peccatori autem dixit*
Psal. 49. *Deus: quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamen-*
1. Par. 17 *tum meum, per os tuum?* Hinc etiam Dauid dictum est: *Non ædificabis tu mihi domum; quia vir sanguinum es.* Vir sanguinum, templum Dei ędificare prohibetur; quia qui adhuc factis carnalibus incubat, necesse est, vt instituere spritualiter proximorum mentes erubescat.

Col. 4. *Sermo quoque, in gratia semper sit sale sapientiæ conditus,* secundum Apostolum, *vt sciat, quomodo oporteat vnicuique respondere*: aliter scilicet idiotæ, aliter literato, aliisque personis. Sed, quando hoc Laicus distinguere poterit: cùm ad hanc scientiam vix Clerici pertingant? Etquidem cibus non est aptus, nisi sale conditus: nec sermo est vtilis, sine documento sapi-
Leuit. 2. entiæ. Vnde in Leuitico: *In omni oblatione offeres sal;* id est, in omnibus dictis, vel factis Apostolicam sapientiam habeat. Si ergò Apostolicam sapientiam in dictis & factis non habeat, sermo eius est inutilis, & ideo vitand⁹. Apostolus enim ait ad Timotheũ: *prophana,*
Tim. 2. id est, hæreses, *inaniloquia deuita;* id est, (quæ sunt) si-

ne

ne fructu, etsi non ita mala, vt prophana. *Multum enim proficiunt ad impietatem*, id est, contra cultum Dei; *& sermo eorum, vt cancer serpit*, paulatim, quæ sana sunt; corrumpendo.

Ad hæc, qui docet, debet attendere capacitatem audientium, vt mensuram tritici, id est, diuini verbi dispenset, *sicut Deus diuisit vnicuique mensuram fidei.* Vnde Apostolus iubet prophetiam, id est, occultorũ reuelationem ministrari secũdum rationem fidei, id est, mensuram fidei eorum quibus manifestari debēt occulta; ne, velut imperfecta, altioribus suffocetur; vel adulta his, quibus est perficienda, frustretur. Alioqui, si in eius verbo auditor offenderit; apud Deum reus tenebitur doctor. Vnde, in lege scriptum est: *Si quis aperuerit cisternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritq́; bos, vel asinus in eam, Dominus cisternæ reddet precium iumentorum.* Cisternam aperire, est scripturæ sacræ arcana penetrari per intellectum. Ille verò cooperit, qui sublimes sensus scripturæ, coram non capientibus, per silentium tegit. Quisquis autem apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur; si per verba eius in scandalum siue munda, siue immunda, mens capiatur. *Rom. 12.* *Exod. 21.*

Præterea, si certo loco præfuerint, aut per obedientiam subiacuerint, euidentius innotescunt, & quia sanctæ Ecclesiæ obedientes sint, apertius liquet; cùm omnis ferè locus in aliqua sit diœcesi; omnisque diœcesis ferè limites proprios habeat. Nec hoc sōlùm, sed etiam in qualibet diœcesi constitutæ Ecclesiæ propriis limitibus distinguantur diuersimode: quatinus, nec Episcopus Iura Episcopalia, nisi in sua di-

diœcesi; nec sacerdos in parochia aliena, potestatem habeant; Cum scriptum sit: Nemo mittat falcem in alienam messem; id est, fideles, alii commissos nullus iudicare præsumat. Et Apostolus: *Tu quis es, qui iudicas seruum alienum: suo Domino stat, aut cadit.* Si ergò Episcopus extra suam diœcesin, vel Sacerdos extra suã parochiam potestatem suam exercere regulariter nõ possunt: quanto minus ignotus homo & laicus in messe aliena, id est, in populo alii commisso, falcem verbi, sine licentia Episcopi, vel Sacerdotis, ad cuius curam pertinet, mittere poterit? Et certè in vinea non laborauerunt, Euangelio teste, nisi à Patrefamilias conducti. Et in alio loco habetur, quod vineam suam locauit paterfamilias agricolis, qui reddent ei fructus temporibus suis: Et certè, licet ipsi non redderent fructus Domino, sed è contrario seruos eius cæderent, occiderent, & lapidarent, & in fine filium eius occiderent: nullus tamen præsumpsit vineam sibi mancipare, quandiu Dominus tolerauit eorum inutilitatem, & malitiam: quoniam, in plebe commissa alii quamuis inutili, quamuis malo, quandiu ab Ecclesia toleratur, sine eius nutu & licentia, cui credita est, nullus laborare, id est, vites inutiles eijcere, & fructuosas plantare, ligonem verbi ponere, vineam in superfluis putare, in necessariis propagare præsumit.

Rom. 14.

Matt. 10.

Matt. 21.

Denique, quis adeò demens est, vt oues alienas, Domino inconsulto, pascere attentet? Eo enim ipso suspectus est, quo seipsum ingerit, maximè, si ignotus est. Et iste est, qui *non intrat per ostium, sed ascendit aliunde,* & est fur & latro. *Fur autem non venit, nisi vt furetur*

Ioh. 10.

tur, mactet & perdat. Et certè, vt aiunt Doctores, per ostium quis intrat, credendo in filium Dei: & imitando humilitatem eius, amore eius, non pro mercede aliis prędicando. Aliòqui si infidelis est, vel superbus, vel, quæ sua sunt, quærat, non quæ Iesu Christi, fur est; quod alienum est, suum dicendo: & latro, occidendo.

Ex his omnibus videtur, nec Clerico, nec Laico, cuius habitatio ignoratur, (imò etiamsi sciatur, vbi habitet) esse licitum, vineam, id est, plebem, & gregem alienum excolere, seu pascere, sine licentia Episcopi, vel Presbyteri, ad cuius curam spectat. Et, si quis fortè præsumat, poterit ei illud obiici: *Quis constituit te principem, aut iudicem super nos?* Teste Euangelio legitur, quod quidam de turba dixit Iesu: *Magister, dic fratri meo, vt diuidat mecum hæreditatem. At ille dixit ei; homo, quis me constituit iudicem, aut diuisorem super vos?* Et, si in rebus transitoriis exigitur, vt iudex constituatur; ne se quis sponte ingerat; quanto magis in diuinis. Apostolo quoque teste: *Nec quisquã sumit sibi honorem, sed, qui vocatur à Deo, tanquam Aaron.* Itaque volens ostendere in vocatione Dei fidem, ex auditu verbi Dei, prædicationemq; ex fonte diuinæ gratiæ manare, ait: *Quomodo inuocabunt, in quem non crediderunt: aut quomodo credent ei, quem non audierunt: quomodo autem audient sine prædicante?* quomodo verò prædicabunt, nisi *mittantur?* Ex hac connexione probatur, quod nec inuocant aliqui Deum, si non ei credant: nec credunt, si non audierint: nec audiunt, si eis aliqui non prædicauerint; nec aliqui prædicare debent, nisi mittantur. Prius ergò est, à Deo mitti, à quo

Exod. 2. Luc. 12. Heb. 5. Rom. 10.

bona cuncta procedunt: Et sic, Deo mittenti q iusq; obedire debet, & prædicare. Sic nimirum Moyses mittitur à Deo filiis Israël: Et, post multas excusationes, ne mittatur, habitas, Deo in voluntate persistenti, obtemperat. Sic Isaias, sic & alii sancti Prophetæ, non nisi missi, populum Dei docuerunt.

Exod. 3.

In nouo quoque testamento, Apostoli, aliiq; Discipuli à Domino missi sunt prædicare verbum Dei. Vnde, & Apostoli dicũtur, id est, *missi*: Apostoli quoque Paulus & Barnabas à Spiritu sancto missi sunt, discipulis tamen ieiunantibus, orantibus, & imponentibus illis manus, & segregantibus in opus, ad quod assumpti erant: nec prædicandi officium accipiunt, quo vsque ista & à Deo, & à discipulis facta fuerunt. Deinde Apostoli per singulas Ecclesias presbyteros constituerunt. Sanctus quoque Paulus præcipit Tito, vt per singulas ciuitates presbyteros, id est, Episcopos constituat.

Act. 13.

Tit. 1.

Ex his patet; quod quidam mittuntur à Deo tantum: quidam, à Deo & homine: quidam, nec à Deo, nec ab homine. A Deo tantùm, vt Moyses, Ioannes Baptista, & præscript⁹ S. Equitius, scilicet B. Gregorio teste: *Istorum libertas vitæ ab infirmis non est trahenda; ne dum quis q, se similiter sancto Spiritu impletum præsumit, discipulus hominis esse despiciat, & magister erroris fiat.* A Deo mittuntur & homine, vt Apostoli à Christo Deo scilicet, & homine, & alii ab Apostolis, vel Episcopis eorum locum tenentibus. Hinc est, quod Apostolus ait Episcopis, quos ipse constituerat: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus sanctus posuit vos Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo.* Ecce, sicut

Act. 20.

cut liber Actuum Apostolorum refert; ipse constituerat, & tamen à Spiritu sancto missos, ait. Sunt alii, qui à Deo non mittuntur; sed extremitate præsumptionis per se veniunt; &, vt subtilius seducant, à Deo se missos mentiuntur; quibus verè potest illud propheticum coaptari: *Væ, qui prophetant de corde suo; qui ambulant post spiritum suum. Qui dicunt: dicit Dominus, & Dominus non misit eos.* Ezech. 13. De quibus Saluator in Euangelio Ioannis loquitur: *Omnes, qui ante me venerunt fures sunt & latrones.* Ioan. 10. Qui venerunt, non, qui missi sunt. Ipse enim ait: *Veniebant, & ego non mittebam eos.* In venientibus, præsumptio temeritatis: in missis verò, obsequium seruitutis est. *Væ* igitur, id est, ęterna damnatio est his, qui dicunt, se missos, & non sunt; quasi mēdacibus, furibus & latronibus, & præsumptuosis. Sanè qui à Deo mittuntur, signa euidentissima habent; virtutes, scilicet charitatem, pacem, patientiam, continentiam, benignitatem, humilitatem, & eius indiuiduam comitem obedientiam. Hinc B. Iacobus ait: *Quæ desursum est sapientia; primum pudica est, deinde pacifica, modesta, suasibilis, bonis consentiens, plena misericordia, & fructibus bonis, non iudicans, sine simulatione.* Iac. 3. Ecce, euidentia signa sapientiæ à Deo datæ.

Qui verò à Deo mittuntur & homine, habent testimonium apertum, quod missi sunt. Qui verò per se veniunt, nec sunt missi; nec habent testimonium hominis mittentis, nec Dei, si caruerint charitate, humilitate & obedientia: quæ, teste Beda, est indiuidua comes humilitatis.

Ex his omnibus certo certius est, eos, qui sacrum ordinem non habent, non facilè in plebe Dei audien-

dos; id est, nisi euidentia signa habeant, quòd à Deo sunt missi: Et, si rectoribus sanctæ Ecclesiæ obedientes non fuerint, patet, quod non sunt missi, sed per se venerunt. *Quia* enim *omnis potestas à Deo est; &, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, qui potestati resistit, Dei ordinationi resistit: qui autem Dei ordinationi resistit, damnationem sibi acquirit.*

Rom. 13.

Præterea, qui vxores habent, aut pondere terrenæ solicitudinis opprimuntur, ad disseminandum verbum Dei, idonei non sunt; Apostolo namque teste; *Qui cum vxore est, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori, & diuisus est.* Prædicator quippe verbi Dei, ab omni cura terrena cor liberum habere debet, vt tanto perspicatius aliis fugienda videat, quãto hoc ipse per scientiã & vitam verius declinat. Non enim propriè maculam in rebus considerat oculus, quem puluis grauat: hinc enim Dominus ait primis sanctæ Ecclesiæ doctoribus: *Nolite portare sacculum, neque peram.* Quid autem per peram significatur, nisi onera seculi? Hinc & primus Ecclesiæ pastor ait: *Non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis. Instituamus*, inquit, *super hoc opus viros boni testimonii, plenos spiritu sancto, & sapientia, nos orationi, & ministerio verbi instantes erimus.*

Luc. 10. Actor. 6. Ibid.

Cum igitur omnia supra dicta in doctore diuini sermonis attendenda sint, formidolosum est committere laico talentum verbi, maximè cùm hoc commissum sit Sacerdotibus, scilicet docere omnia legitima, quæ præcepit Deus filiis Israël per manum Moysi, Malachia dicente: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore eius; quia angelus Domini*

Mal. 2.

exer-

exercitum est. Hæc dicta sunt, si Laicus fuerit Catholicus; scilicet, vt sine licentia Episcopi, vel Presbyteri, in eius messe, id est, plebe, falcem verbi non mittat, nec familiæ, super quam Dominus eum non constituit, det tritici mensuram, aut se ingerens gregem pascat alienum, aut in vinea laboret aliena non vocatus.

CAPVT VI.

Respondetur obiectioni, qua dicunt cum Apostolo: Obedire oportet Deo, non hominibus; & de quibusdam aliis.



SAnè siue Laicus, siue Clericus in hæresim lapsus fuerit, à fidelibus audiendus non est, sed vitandus. Hæreticus verò est, qui antiquam, seu alterius hæresin sequitur, vel nouam fingit. Tales sunt; qui dicunt, non esse obediendum Episcopis, Sacerdotibus; nec, quod dictu horribile est, sanctæ Romanæ Ecclesiæ. Istos tales hæreticos esse, seu infideles, ex eo constat, quod supra dictum est: *Sola enim est obedientia, quæ fidei meritum possidet*; qua sine, quisq; infidelis conuincitur, etsi fidelis esse videatur. F. Moneta lib. 5.

Sed, inquiunt, *obedimus Deo, non hominibus, sequentes Petrum, qui dixit, Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus. Dominus quippe præceperat discipulis dicens: Euntes in mundum vniuersum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Principes verò sacerdotum, & magistratus templi, & seniores prohibuerant, ne docerent, aut loquerentur in nomi-* Act. 5. Matth. 28.

ne Iesu. Videns ergò Petrus Christum iussisse, vt docerent omnem creaturam : et è contra, Principes Iudaorum prohibuisse, dixit: Obedire oportet Deo magis, quàm hominibus.

Sed, ex hac scriptura præscripti hæretici errorem suum defendere nequeunt. Non est enim eis à Deo iniunctum, vt doceant. Illi enim, quos Dominus mittit, sicut prædictum est, euidentia signa humilitatis, cuius indiuidua comes est obedientia, & charitatis,
Marc. vlt. aliarumque virtutum & miraculorum habent. *Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Hæc signa illi non habent; quare nec à Deo missi
Iob 13. sunt, nec loqui debent. Vnde, cùm Beatus Iob vocasset amicos suos, in specie hæreticorum, *fabricatores*
Ibid. *mendacii, & cultores peruersorum dogmatum*, subdit: *Vtinam taceretis, vt putaremini sapientes:* Item: *Nunquid indiget Deus vestro mendacio, vt, pro illo loquamini dolos?* Et
Iob 16. item: *Nunquid habebunt finem verba ventosa?* Et rursum: *Rugæ meæ testimonium dicunt contra me: & suscita-*
Ibid. *tur falsiloquus contra faciem meam, contradicens mihi.* Et
Ibid. item: *Verbosi amici mei.* Et item: *Attendite ad me, &*
Iob 21. *obstupescite, & superponite digitum ori vestro.* Et item: *Responsio vestra ostensa est repugnare veritati.* Dominus quoque dixit ad Eliphaz Themanitem: *Iratus est*
Iob 42. *furor meus in te, & in duos amicos tuos; quia, non estis locuti coram me rectum, sicut seruus meus Iob.* Teste verò Gregorio, Iob habet typum sanctæ Ecclesiæ, & eius amici figuram hæreticorum: qui, eò dicuntur *amici*, quòd sanctæ Ecclesiæ in quibusdam Sacramentis communicant: sed, in erroribus, quos sectantur, vel fingunt, dicuntur, *fabricatores mendacij.* Et, quia, in ipsis defendendis laborant, dicuntur *cultores peruersorum dogmatum.*

tum. Et quoniam eorum malitia latet, vocantur *rugæ*: qui dicunt testimonium contra sanctam Ecclesiam, dum eam simul oppugnant, non rationibus, sed sermonibus falsis & inutilibus; & ideo dicuntur *falsiloqui, & verbosi*, & eorum verba *ventosa*: Et ideo eis expedit, tacere. Vnde, & optat Iob, vt taceant; & vt superponant digitum ori, & attendant rectores sanctæ Ecclesiæ loquentes, implentes illud Iacobi: *Sit autem omnis homo velox ad audiendum, & tardus ad loquendum.* Iac. 1.

Prouocant verò iram Dei in se: quia, aliter, quàm sancta Ecclesia, docent. Qua de re, nec eorum sacrificia, nec orationes Deus suscipit: Sed, si eis pœnitentibus sancta Ecclesia pro eis offerat, vel oret, suscipit. Vnde & Dominus ait amicis Iob: *Sumite vobis septem tauros, & septem arietes, & ite ad seruum meum Iob: & offerat holocaustum pro vobis: Iob autem seruus meus, orabit pro vobis: faciem eius suscipiam, vt non vobis imputetur in stultitiam. Neque enim locuti estis coram me, rectum; sicut seruus meus Iob. Et fecerunt, sicut fuerat ad eos locutus Dominus; & suscepit Dominus faciem Iob, & conuersus est ad pœnitentiam Iob, cùm oraret ille pro amicis suis.*

Desinant ergò hæretici verbosari; & relicto superbo principatu, quasi immolatis tauris & arietibus, pœnitendo ad sanctam redeant Ecclesiam; quę sacrificiis & precibus, pro eorum erratibus intercedit: quoniam, extra eam, nullius sacrificium, vel oratio suscipitur.

Apostolos igitur à Deo esse missos, vitæ honestas, miraculorum nouitas, doctrinæ integritas testabantur. Qua de causa, Iudæis infidelibus, Domini cruci-

fi-

fixoribus, ac discipulorum persecutoribus, præcipientibus aliud, vt scilicet nomen Domini exstingueretur, quasi blasphemantibus Deum, Apostoli obedire non debuerunt; sed Domino cooperanti, & sermonem confirmanti sequentibus signis, qui & eos miserat; sed è contra, præscripti hæretici, omninò, Deo non obediunt, & insuper obediunt infidelibus hominibus, id est, hæresiarchis: quidam verò, nec Deo, nec hominibus: Deo quippe non obedire, ex eo constat: quia, non obediunt his, quibus Dominus iussit obediri, scilicet, qui sedent super cathedram Moysi, id est, Episcopis & Sacerdotibus, qui locum Moysi tenent, dum populo Dei præsunt, regunt, & Dei præcepta docent, ac peruersos corripiunt. Hinc
Matt. 23. scriptum est: *Super cathedram Moysi sedent Scribæ & Pharisæi: Omnia ergò quæcunque dixerint vobis, seruate &*
Heb. 13. *facite.* Præterea, Apostolus ait: *Obedite Præpositis vestris, & subiacete eis.* Et Petrus: *Adolescentes subditi estote*
1. Pet. 5. *Senioribus.* Seniores verò vocat pastores gregis: de
Ibid. quibus supra dixerat: *Pascite, qui in vobis est, gregem Dei.*

Ex his certissimè apparet, prænominatos hæreticos nec Deo, nec Apostolis obedire. Quidam verò in reprobum sensum traditi, hominibus perfidis, vt hæresiarchis obediunt, contemptis pastoribus Catholicis. Alii, quasi oues sine pastore, nullius obedientiæ subiacent, quos lex Dei vocat *filios Belial*, hoc est, absque iugo. Sanè Dominus oues, quas per se pauerat, ascensurus ad cœlos, non sine pastore reli-
Iohan. 21. quit: sed B. Petro commendauit dicens: *Simon Ioannis diligis me plus his? pasce oues meas.* Quo exemplo instru-

ſtructi Apoſtoli atque Apoſtolici viri, per ſucceſſiones temporum fidelibus Dei paſtores præficere curauerunt. Nam & grex ſine paſtore perit; & exercitus ſine Duce; & vrbs ſine Domino; & regio, ſine Rectore diſſipatur, ſicut ſcriptum eſt: *Vbi non eſt gubernator, corruit populus.* Prou. 11.

Ex his & huiusmodi attendant inimici veritatis, quantum deſipiant, qui ſine gubernatore Deo, vel homine exiſtere præſumunt. Ex verbis igitur B. Petri, quibus ſe obedire Deo, non hominibus, aſtruere nitebantur, quaſi Goliath, proprio gladio iugulantur; dum, nec Deo, nec hominibus Catholicis obedire conuincuntur. Eâ propter, quaſi infideles, & anathematizati vitandi ſunt, nec ſalutandi, nec in communionem recipiendi, ſed fugiendi, & de medio tollendi. Hinc Apoſtolus ait: *Nolite iugum ducere cum infidelibus: quæ enim participatio iuſtitiæ cum iniquis? Aut, quæ ſocietas luci ad tenebras? quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aut, quæ pars fideli, cum infideli? Qui autem conſenſus templo Dei, cum idolis?* Item idem Apoſtolus: *Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema ſit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico; ſi quis vobis euangelizauerit præter id, quod accepiſtis, anathema ſit.* Et idem: *Hæreticum hominem poſt vnam & alteram correptionem deuita; ſciens, quia ſubuerſus eſt: qui eiusmodi eſt*, id eſt, perditus eſt, qui & ita incorreptibilis, *& delinquit proprio iudicio condemnatus.* 2. Cor. 6. Gal. 1. Tit. 3.

Alii iudicio Eccleſiæ, ab ea, pro ſuis criminibus eijciuntur; ſed hæretici ſuo iudicio ab ea recedunt. Idem præcipit Theſſalonicenſibus: *Ne commiſceantur* 2. Theſſ. 3.

G ei,

ei, qui non obedierit verbo, eiusdem Apostoli. Hinc & B. Ioannes: *Omnis, qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet.* Et post pauca: *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum; nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue: communicat operibus illius malignis.* Hinc & B. Paulus: *Denunciamus vobis fratres in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.* Et item: *Prophana, & inaniloquia deuita: multum enim proficiunt ad impietatem, &c.* Et iterum: *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Et item: *Auferte malum ex vobis ipsis*: quod fit, cùm malus homo à communione Ecclesię per disciplinam Ecclesiasticam eiicitur. Et item: *Currebatis benè; quis vos impediuit veritati non obedire? Nemini consenseritis: Persuasio enim non est ex eo, qui vocat vos, scilicet Deo, sed ex diabolo. Modicum fermentum totam massam corrumpit.* Et item: *Nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem & redarguite.* Et iterum: *Nemo nos decipiat in sublimitate sermonum, quæ scilicet non est, nisi in verbis.* Et iterum Ioannes: *Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, si ex Deo sunt.* Et B. Petrus: *Charissimus frater noster Paulus, secundum datam sibi sapientiam scripsit vobis, sicut & in omnibus Epistolis: in quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles deprauant, sicut & cæteras scripturas, ad suam ipsorum damnationem. Vos igitur, fratres, præscientes, custodite vosmetipsos, ne insipientium errore traducti, excidatis à propria firmitate.*

2. Ioann.
Ibid.
2. Thess. 3.
Galat. 5.
2. Petri 3.

Hæc sacrarum scripturarum verba, quasi commonitoria salutis fidelibus Christi cogitanda, memo-

ri-

riterq; retinenda excerpsimus; vt apertè sciant; non esse participationem, seu societatem habendam cum perfidis hæreticis, nec audiendos, quasi anathematizatos, sed vitandos, quasi perditos, & manifestè incorrigibiles, nec eis commiscendum esse, quasi inobedientib⁹, nec salutandos, aut in domũ recipiendos, quasi antichristos, sed quasi prophanos & inaniloquos devitandos. Trahunt nempe ad impietatem, & more cancri, paulatim sana membra, id est, fideles corrumpunt, atque quasi fermentum eos, qui sibi participãt, quasi massam similæ, amissâ naturali dulcedine Catholicæ vnitatis, inflant ad superbiam, & acidos reddunt, id est, sibi conformes mente, sed & mente corruptos, vt ait Apostolus, & qui veritate priuati sunt, existimantes quæstum esse pietatem, dum pro quæstu, non pro futuris prædicant. Hinc est, quod non est eis communicandum, sed magis sunt redarguendi. 1. Tim. 6. Tit. 1.

Vnde & Apostolus vtens verbis Isaiæ, quasi filiis ait: *Exite de medio eorum, & separamini dicit Dominus. Et immundum ne tetigeritis. Et, ego recipiam vos, & ero vobis in patrem, & vos eritis mihi in filios & filias dicit Dominus omnipotens.* Separatur à malis, qui eorum opera non imitatur. Immundum non tangit, qui peccatis non consentit. Exit, qui ore non parcit, sed quantum licet, corrigit. Hæc est cœlestis vox, quam Ioannes audiuit dicentem: *Exite de illa, populus meus, & ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius, non accipiatis: quoniam peruenerunt peccata eius vsque ad cœlum, & recordatus est Dominus iniquitatum eius.* His duobus modis non maculant nos, si eis non consentimus; sed redar- Isa. 52. 2. Cor. 6. Hier. 31. Apoc. 18.

guimus, quasi agentes opera tenebrarum, & quasi deprauatores sanctarum scripturarum, quasi infideles & insipientes, & corruptores mentium, & quasi lupos spirituales, qui rapiunt & dispergunt gregem Domini, sicut scriptum est: *intrinsecus sunt lupi rapaces*; habentes animum venenatum, & intentionem, & exterius si copia detur, persequendo, & interius, corrũpendo, & more spinarum, vel tribulorum, cruentantes eos, qui sibi appropinquant, & conscindentes, sicut scriptum est: *Nunquid colligunt de spinis vuas? aut, de tribulis, ficus?*

Matth. 7.

CAPVT VII.

Declaratur, quos maximè seducant, quos non?


Stenso, quantum noceant hæretici, in populo Dei, videamus, cooperante Spiritu sancto, quos maximè seducant.

Seducunt ergò mulieres, viros, non viriliter, sed muliebriter agentes; imperitos: mendaces; eos, qui non obediunt veritati; sed consentiunt iniquitati; auaros: denique eos, qui non habent signum in frontibus suis, id est, charitatem in cordibus. Seducunt mulieres prius, & per eas, viros; vt, diabolus prius Euam; & per eam, Adam. Sic & Iob per eius vxorem subuertere voluit dicentem: *Adhuc permanes in simplicitate tua? Benedic Deo, & morere.* Sic & per vxorem Pilati dicentem ei; *Nil tibi & iusto illi. Multa enim passa sum hodie per visum propter illum.* Mysterium passionis

Iob 1.

Matt. 27.

nis Domini voluit impedire; ne, per eius mortem, amitteret imperium. Hinc Apostolus de pseudochristis & hæreticis ait Timotheo: *Habentes quidem speciem pietatis, virtutem autem eius abnegantes; & hos deuita. Ex his enim sunt, qui penetrant domos; & mulierculas ducunt captiuas, oneratas peccatis, quæ ducuntur variis desideriis.* 2. Tim. 3.

Ecce patet, quia seducunt non firmos, sed mulieres seductibiles, dignas seduci, vtpote oneratas peccatis. Seducunt & viros, fœmineæ debilitatis, sicut scriptum est: *Congregatio taurorum in vaccis populorum. Tauros* vocat hæreticos; qui sunt superbi, & indomiti cũ vitiis: qui congregantur in vaccis populorum; hoc est, in illis, qui facilè possunt seduci. Psal. 67.

Seducunt & imperitos: Vnde, in prouerbiis; *Mulier stulta & clamosa, plenaq; illecebris vitiorum, & nihil omninò sciens, &c.* ait; *qui est paruulus, declinet ad me.* Mulier stulta & clamosa, est hæretica prauitas; *Stulta* scilicet, per fatuum intellectum: *& clamosa*, per garrulitatem: *plenaq; illecebris vitiorum; & nihil omninò sciens*, ait: *qui est paruulus, declinet ad me.* Paruulus est omnis stultus, deficiens sensu. Prou. 13.

Seducunt & innocentes, scilicet simplices. Vnde Apostolus: *Per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.* Seducunt & corde humiles: Vnde in Prouerbiis: *Generatio, quæ pro dentibus gladios habet; & commandit molaribus suis: vt comedat inopes de terra, & pauperes.* Ex omnibus hæretici pro dentibus gladios habent: quia, eorum praui doctores, percutere magis, quàm mederi, occidere potius, quàm viuificare nouerunt. Hi inopes de terra comedunt, dum quosdam Rom. 16. Prou. 30.

dam sensu tardiores seducendo, in suo corpore velut mortuos tangunt. Similiter & pauperes ex omnibus, hoc est, corde humules de congregatione fidelium supplantare conantur.

Psal. 10. Seducere nituntur rectos corde; Vnde: *Ecce peccatores intenderunt arcum, parauerunt sagittas suas in pharetra, vt sagittent in obscuro rectos corde. Peccatores*, id est hæretici, intenderunt arcum, hoc est scripturam veteris & noui Testamenti ad se detorserunt, iuxta suum errorem eam interpretantes; *& parauerunt sagittas suas*, hoc est, venenata verba in corde; & hoc ideo, *vt sagittent rectos corde in* obscuro, idest, in ambiguis: Vel sic; *in obscuro*, id est, in simplici sensu, & propter carnales & imperitos obscurato: vel, *in obscura Luna*, id est, Ecclesia, quæ obscurata fuit in exordio fidei, vel, quæ obscuratur nebulis blasphemorum: vel, cùm cædibus Martyrum cruentatur. In hac obscuritate sagittant hæretici. Quia, sciunt hæc tempora decipiendis infirmis accommoda. Illis autem subuersis, arbitrantur etiam sic adtrahere rectos corde. Vel, filii Ecclesiæ dicuntur *obscura luna*, dum peccant; in qua hæretici sagittant; cùm per tales ministrari Ecclesiæ Sacramenta præparant: per quos quosdam infirmos decipiunt, cùm ministrorum merita attendere, suggerunt.

Ephes. 4. Ex his patet; quod seducunt infirmos & inscios: quòd, ne fiat, Apostolus admonet dicens: *Vt iam non simus paruuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ, in nequitia hominum, in astutia, ad circumuentionem erroris.* Non simus, inquit, *paruuli* intellectu; *fluctuantes*, id est, modò benè, modò malè agentes; *& circum-*

fe-

feramur, alio urgente, omni vento doctrinæ: Doctrina prauorum, quasi ventus tempestatis impellit ignorantem & infirmum ad perditionem, id est, naufragium: quæ doctrina, fit in nequitia & astutia hominum, id est, per homines nequam in se, & ad simplicium deceptionem astutos: quorum doctrina, semper fit ad circumuentionem erroris; hoc est, vt aliqua circumuentione, in errorem inducant. Hinc ergò alibi ait: *Nolite fieri imprudentes, sed intelligentes, quæ sit voluntas, &c.* Et iterum: *Fratres, nolite pueri effici sensibus: sed malitia paruuli estote; sensibus autem perfecti estote.* Ephes. 5. 1. Cor. 14.

Sanè sapientes & fortes non seducunt. Vnde in Prouerbiis: *Frustra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Oculi pennatorum, animæ sunt beatorum, virtutum pennis suffultę; quæ acuto visu cœlestia contemplantes, ad superna euolant: Ante quorum intuitum frustra ab impiis deceptionis rete prætenditur: quia diuinitus adiutæ, cunctos eorum laqueos facilè transcédentes, ad supernam pertranseunt scientiam. Prou. 1.

Seducunt & eos, qui veritatem, seu charitatem non recipiunt. Vel, si recipiunt, non recipiunt, vt salui fiant, & eos, qui consentiunt iniquitati: Vnde Apostolus, volens de diabolo, qui iam per Pseudochristos operatur mysterium iniquitatis, ostendere, quos decipiat per Antichristum, ait: *Destruet illustratione aduentus sui eum, cuius est aduentus secundum operationem Satanæ in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis, iis, qui pereunt: eò quod charitatem veritatis non receperunt, vt salui fierent: Ideo mittet illis Deus operationem erroris, vt credant mendacio,* 2. Thess. 2.

vt

vt iudicentur omnes, qui non crediderunt veritati, sed consenserunt iniquitati.

Ioh. 5. Et Dominus in Euangelio Ioannis: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me. Si alius venerit in nomine suo, illum accipietis.* Ecce, qui veritatem, quæ Christus est, non recipit, districto Dei iudicio, credit mendacio, & recipit erroris operatorem: &, qui veris Dei signis non credidit, credit mendacibus; vt, qui à veritate se elongauit & eius signis; iungitur mendaci

Psal. 27. per mendacia signa. Vnde & Dauid de reprobis: *Secundum opera manuum eius tribue ipsis: redde retributionẽ eorum ipsis: quoniam non intellexerunt opera Domini, & in opera manuum eius destrues illos, & non ædificabis eos.*

Apoc. 9. Denique seducunt eos, in quibus non est signum Dei, id est charitas, seu virtus fidei. Vnde in Apocalypsi præceptum est in specie hæreticorum locustis; ne læderent fœnum terræ, neque omne viride, neque omnem arborem, nisi tantùm homines, qui non habent signum Dei in frontibus suis. Quid hic terra significat, nisi sanctam Ecclesiam, sicut scriptum est;

Eccles. 1. *Terra in æternum stat.* Huius terræ fœnum, sunt incipientes, adhuc formidantes æstum tribulationum; sed tamen fidei & vnitati Ecclesiæ totis cordis radicibus pro posse inhærentes. Viride verò quid aliud significat, nisi eos, qui virorem sui ostendunt, quo vitam fidei operum profectibus ostendunt? Quid verò arbor significat, nisi contemplatione, & operum, seu virtutum excellentiâ sublimes?

His igitur tribus fidelium generibus hęretici non nocent: sed his, qui non habent *signum Dei*, id est, cha-

ritatem: *In quo*, vt B. Ioannes ait, *manifesti sunt filii Dei, & filii diaboli*; Et Dominus: *In hoc cognoscent, quia mei eritis discipuli, si dilectionem habueritis ad inuicem.* Vel signum Dei, est virtus Dei: de qua idem Ioannes: *Haec est victoria, quae vincit mundum: fides vestra.* Hi igitur, qui hoc signum non habent, dignum est, vt lædantur: vt qui in sordibus sunt, sordescant adhuc: &, *consummetur nequitia peccatorum.* Digni sunt, vt tales habeant magistros, qui magistrum vnum contempserunt Deum, per quos cæcos cæci in foueam cadant. Hinc in Osee hæresiarchis dicitur: *Laqueus facti estis speculationi omnes vos & expansum rete super Thabor.* Laqueus sunt & rete, per quos, qui signo Dei carent, irretiuntur in speculatione cœlestium, quam illis promittunt. 1. Io. 3. Ioh. 13. 1. Ioh. 5. Apoc. 21. Psal. 7. Os. 5.

Meritò verò per locustas instabiles, saltantes, ore nocentes frugibus, plus quàm cætera minuta animalia, hæretici designantur. Quia, *in veritate non steterunt, sed exierunt ex nobis; quia non erant ex nobis. Si enim fuissent ex nobis, mansissent vtique nobiscum.* Et in disceptatione positi quasi saltant, dum in aliquo errore conuicti ad aliquam fugiunt, imò saltant vmbram rationis, ne victi videantur. Ore verò nocent: quia, sicut scriptum est: *Acuerunt linguas suas sicut serpentes, venenum aspidum sub labiis eorum.* Acuerunt linguas suas sicut serpentes, vt *per dulces sermones & benedictiones*, seducant corda innocentium; & ideo venenum aspidum est eis, non in labiis, sed, sub labiis; quia, non apertè, sed occultè lædunt, & more serpentium per linguam morsu venenum erroris insanabile immittunt. Vnde, & plus, quàm cæteri praui homines, qui per minuta animalia figurantur, ore nocent frugibus, Psal. 139.

H id

id est, operibus & virtutibus quorundam fidelium. Quia ea, quæ nec penitus auferunt, quandoq; vitiant & corrumpunt: vt aut ex toto priuētur fide Catholica; aut in fide hæsitent; quod, quantum sit malum, ex verbis B. Iacobi patet, qui ait: *Qui verò hæsitat*, in fide scilicet, *similis est fluctui maris, qui à vento mouetur, &c. Non ergò æstimet homo ille, quod aliquid accipiat à Domino.*

Iac. 1.

Sanè & auari, plurimumq́ue exigentibus culpis suis merentur seduci. Vnde legitur, diabolum dixisse contra Achab Regem, sed idololatram: *Ego decipiam Achab; Et dictum est: In quo decipies?* Qui respondit: *Egrediar, & ero spiritus mēdax in ore omnium prophetarum eius.* Achab enim Rex; peccatis magnis præcedentibus, dignus erat, vt tali deceptione debuisset damnari: quatenus, qui sæpè volens ceciderat in culpam, quandoque nolens caperetur ad pœnam, occultâ iustitia, licentia malignis spiritibus datur; vt quos volentes in peccati laqueo strangulant, in peccati pœna etiam nolentes trahant.

3. Reg. 22.


Item is, qui vitam reprobam non mutat, à perpetrandis peccatis animum non auertit: cùm à Propheta aliquid requirit, illa audit, Deo disponente, quæ meretur audire damnandus. Ecce, & domus Israël à cultu Dei sub idolorum seruitute recesserat, & tam ē ad Prophetas, à quib⁹ decipi consueuerat, spe veniebat prospera requirens: Cùm verò ex ore Prophetarum, peruersa agens, prospera audiret, quid aliud superna iudicia agebant, nisi, vt peccator populus in suo corde caperetur: quatenus, qui perfidiam sequendo deliquerat, sic prophetarum suorum blan-

dis

dis sermonibus deciperetur: vt iam nec pertimesceret, quia deliquisset: & tantò post durius raperetur ad pœnam, quanto nunc securius viueret in culpa.

Sed ecce, largiente Deo, genus humanum veram fidem publicè fatetur, subdi cuilibet creaturę in adoratione renuit. Securus ergò, prophetam quilibet in fide positus consulit: quia, hoc auditurus est, quod audire fidem decet. Fidenter dico, si ab immunditiis aliis, atque à prauis actibus recessit securus est. Nam cùm Paulus clamet, *& auaritia, quæ est idolorum seruitus*: *Col. 3.* quisquis adhuc auaritiæ subiectus est, à cultu idolorum liber non est. Si ergò is, qui auaritiæ anhelat, in fide quidem positus esse videtur, sed aliena ambit, accipere honores mundi desiderat, temporalem gloriam concupiscit: atque de hac eadem gloria prophetam consulat: iustum valde est, vt ex culpæ suæ merito à Prophetæ ore prosperaaudiat; quatenus, si verba Dei audire in sacro eloquio noluit, vt terrena despiceret, cœlestia amaret, illud, Deo iudice, ex Prophetæ sui ore audiat, vnde amplius obligatus cadat.

Ecce ex his patet; quod auari à cultu idolorum liberi non sunt, quamuis in fide positi videantur. Vnde Deo iudice, illud ex Prophetæ sui ore audiunt, vnde obligati cadant: Et, vt generaliter dicamus, qui vitam reprobam non mutat, ille audiet, Deo disponente, quæ meretur audire damnandus; vt sic cæcorum duces sint cæci.



CAPVT VIII.

Contra hoc, quòd mulieres prædicare posse dicunt.

P. Monetalib. 5.



RÆter errores iam dictos, grauiter errant; quia fœminas, quas suo consortio admittũt, docere permittunt, cùm hoc sit Apostolicæ doctrinæ contrarium. Scriptum est enim: *Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui. Si quid autem volunt discere; domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia*: Ecce Apostolus iubet, vt mulieres taceant in Ecclesiis, materialibus, vel in congregationibus fidelium, non quidem ab oratione, vel laude Dei, sed à Doctrina; &, ne quæ in Ecclesia aliquid interrogent sub occasione docendi, sed domi, viros suos. Vnde apertius alibi ait: *Mulier in silentio discat cum omni subiectione: docere autem mulieri, non permitto, neque dominari in virum, sed esse in silentio. Adam enim primum formatus est; deinde, Eua: Et, Adam non est seductus: mulier autem, seducta in præuaricatione fuit.* Ecce apertè Apostolus dicit: vt mulier, etiam cùm discit, sileat; nec doctorem Ecclesiæ interroget. Docere quoque, non permittitur, vel dominari in virum duabus de causis: tum scilicet, quia post virum formata est; tum etiam, quia seducta fuit in præuaricatione Dominici præcepti, quasi diceret: *& non vir.*

1. Cor. 14.

1. Tim. 2.

Igitur ratione temporis, & culpa exigente, docere, non permittitur, vel dominari in virum; nec doctorem interrogare: quia, pro peccato, quod ipsa indu-

duxit, semper verecunda, conspectũ publicum fuge- 1. Pet. 3.
re potius debet, quàm quærere. Beatus quoq; Petrus ait: *Mulieres subditæ sint viris suis, vt, & si, qui non credunt verbo, per mulierum conuersationem sine verbo lucrifiant; considerantes in timore sanctam conuersationem vestram.* Ecce, hic dicitur apertè: quomodo fideles mulieres debent lucri facere viros infideles, scilicet exemplo sanctæ conuersationis, sine verbo prædicationis. Vnde colligitur; quia, si virum docere non potest verbo: sed opere tantùm, multò minus alios docere potest verbo. Timendum est enim; ne hostis antiquus, arte pristina vtens, per mulieris verbum, virum seducat. Sic ait (ad) Iob per mulierem: *Adhuc permanes in sim-* Iob 2.
plicitate tua? Benedic Deo, id est, maledic, *& morere.* Sed vir in quiete & tribulatione perfectus, repulit eam dicẽs: *Quasi vna de stultis mulieribus locuta es:* Et sic in sterquilinio positus, superauit eum, qui primum hominẽ in paradiso prostrauit. Hinc & in lege dicitur mulie- Gen. 3.
ri: *Sub viri potestate eris.* Hinc & Apostolo teste: *Mu-* 1. Cor. 11.
lier, si comam nutriat, gloria est illi: quoniam capilli pro velamine dati sunt ei. Ecce, quæ debet esse gloriã mulieris, scilicet velare seipsam in signum scilicet subiectionis; *Caput enim mulieris vir.* Et iterum: *Omnis mulier o-* Ibid.
rans, aut prophetans non velato capite, deturpat caput suũ. Et iterum: *Non est creatus vir propter mulierem, sed mulier propter virum. Ideo debet mulier potestatem habere supra caput, & propter angelos;* quibus scilicet grata est, sacrata & pia significatio.

Qua ergò temeritate præsumat mulier verba Dei publicè docere, quæ ipsum Deum orare, aut prophetare non debet, nisi velata.? Et, si caput mu-

lieris est vir, qua fronte audeat docere virum, scilicet caput suum? Et, si in signum subiectionis & pudoris, velamen debet habere, reminiscatur peccati, pro quo ex prima præuaricatione punita est, & viro subiecta: nec legem libertatis docere præsumat subiecta. Hinc in decretis dist. 23. per Concilium Carthaginense VI. iubetur; *Mulier, quamuis docta & sancta, viros in conuentu docere non præsumat. Laicus autem, præsentibus Clericis, nisi ipsis rogantibus, docere non audeat.*

Luc. 2. Præterea gloriosa Dei mater & virgo, quæ *conseruabat omnia verba* sibi ostensa, *conferens in corde suo*, non legitur prædicasse: Sed, nec Maria Magdalena, aut aliqua de mulieribus, quæ secutæ sunt Dominum.

Sed dicunt inimici veritatis, mulieres debere docere; eo quòd Apostolus dicat ad Titum: *Anus similiter*, scilicet exhortare, vt sint *in habitu sancto; non criminatrices, non multo vino seruientes, benè docentes; vt prudentiam doceant adolescentulas, vt viros suos ament; filios suos diligant, prudentes, castas, sobrias, curam domus habentes, benignas, subditas viris suis, vt non blasphemetur verbũ Domini.* Ad quod notandum est: Apostolum non dicere, vt publicè viros anus doceant, sed priuatè adolescentulas, ita tamen, vt eas prudentiam illam doceant quam consequenter subdit. Nec tamen nisi anus docere permittit: quæ, sicut ætate, sic morum maturitate adolescentulas excedunt: vt præter ea, quæ cum senibus communia habent, quæ superius dixit Apostolus; scilicet, vt sint sobrii, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione, & patientia; habeant, quæ pro sexu illo propria subiungit Apostolus dicens; vt sint *in habitu sancto, &c.* Repelluntur igitur, ne doceant mulie-

Tit. 2.

res hæresim sapientes: secundum prædicta autem verba, ne doceant, nisi sint anus moribus & ætate, &, ne doceant, nisi adolescentulas: imò, omninò interdicitur eis, ne doceant; ideo scilicet; quia non sunt sanæ in fide, sine qua esse conuincitur, quisquis obediens non est, vt superius monstratum est.

Item hunc errorem confirmare nituntur exemplo Annæ prophetissæ; quæ, Euangelio teste, in ipsa hora, qua Dominus oblatus est in templo, superueniens, confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israël. *Luc. 2.*

Sed attendant, qualis erat Anna. Erat quippe viro mortuo, vidua vsque annos octoginta quatuor; *quæ non discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die.* Merito ergò tam diuturnæ abstinentiæ, continentiæ, & continuæ orationi data est ei prophetia. Adducat quis talem fœminam: & ego libenter audiam, non docentem, sed confitentem sua peccata Deo, vel, confitentem Domino confessione laudis. Nec dicitur hic, quia prædicauit, vel docuit; sed, *loquuta est de Christo omnibus, qui exspectabant redemptionem Israël.* Non est idem, *prædicare*, & *loqui*. Omnis enim, qui prædicat, vel docet, loquitur; Sed, non omnis, qui loquitur, prædicat, aut docet. Loquitur enim quis, dum orat, nec tamen dicitur docere: Loquebatur ergò de Christo, *confitendo*, id est, laudando vel prophetando, non docendo. Diuersa enim sunt dona spiritus, scilicet prophetia, & doctrina; quod potest perpendi ex verbis Apostoli dicentis; *Nunc autem fratres, si venero ad vos linguis loquens, quid vobis prodero, nisi vobis loquar aut in reuelatione, aut in scientia, aut pro-* *Ibid.* *1. Cor. 14.*

Ibid. *prophetia, aut in doctrina?* Et iterum: *Cùm conuenitis fratres, vnusquisque vestrum psalmum habet, doctrinam habet, apocalypsin habet, linguam habet; interpretationem habet. Omnia ad ædificationem fiant.* Et iterum: *Vos estis cor-*
1. Cor. 2. *pus Christi, & membrum de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum.* Et i-
1. Cor. 12. terum: *Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiæ; alii autem sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alteri gratia sanitatum in vno Spiritu: alteri operatio Virtutum, alteri prophetia, alteri discretio spirituum, alteri gratia linguarum, alteri interpretatio sermonum.* Cùm igitur aliud sit donum prophetiæ, aliud sermo doctrinæ, securè concesserim, Annam, seu quasdam mulieres prophetasse: nec tamen consequenter dicendum erit, easdem docuisse: aliôqui male posuit Apostolus eadem quasi diuersa.

CAPVT IX.

Contra hoc, quod dicunt defunctis fidelibus non prodesse viuorum eleemosynas, ieiunia, Missarum solennia, aliasuè orationes.

P. Moneta lib. 4. T quoniam mos est malè errantium, nisi continuò resipiscant, in deteriora labi; *vt, qui nocent, noceant adhuc; & qui in sordibus sunt, sordes-*
Apoca. 22. *cant adhuc; vt & consummatur nequitia peccatorũ;* audét iam insani hęretici, eis, quos seducunt, dicere: defunctis

ctis nil prodesse fidelibus viuorum eleemosynas, ieiunia, orationes, nec etiam Missarum solennia, seu orationes pro eis factas. Hæc hæresis refellenda est, pri⁹ auctoritatibus Canonicis: deinde, scripturis patrum Catholicorum, seu rationibus Catholicis.

Legitur ergò in libro Macchabæorum: *Quod Vir fortissimus Iudas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, &c.* Ecce vir fide plenus, zelo legis Dei accensus, pro populo Dei multum orans, Deo deuotus tyrannis resistens, pro lege Dei sui certans vsque ad mortem, pro his, *qui cum pietate dormitionem acceperant*, duodecim millia drachmas misit Hierosolymam offerri. Hoc Ecclesia Catholica legit deuotè, prædicat publicè, & seruat in exemplo, offerens pro fidelibus defunctis, vt à cunctis reatibus absoluti, cum Deo sine fine lætentur. *2. Macc. 12.* *Ibid.*

Et certè legimus in nouo Testamento, circumcisionem, aliaque nonnulla veteris Testamenti instituta debere cessare: nusquam verò legitur sacrificia pro fidelibus defunctis esse prohibita: cùm certò certius sit; quædam peccata nonnullorum fidelium hîc solui; quædam, in futuro: Vnde & in libro Macchab. habetur: *Sancta & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Inde etiam Dominus ait: Qui autem dixerit* (verbum) *contra Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro.* In qua sententia datur intelligi, quasdam culpas in hoc seculo, quasdam verò in futuro posse laxari. Quod enim de vno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur, paruis scilicet, minimisque *Ibid.* *Matth. 12.*

peccatis: ſicut eſt aſſiduus ocioſus ſermo, immoderatus riſus, peccatum curæ rei familiaris: quæ vix ſine culpa vel ab ipſis agitur, qui culpam qualiter declinare valeant, ſciunt: aut, in non grauibus rebus, error ignorantiæ. Hinc & B. Auguſtinus ait in Enchiridio: *Neque negandum eſt defunctorum animas, pietate ſuorum viuentium releuari, cùm pro illis ſacrificium mediatori offertur; vel eleemoſyna in Eccleſia fiunt.* Et iterum: *Cùm ſacrificia ſiue altaris, ſiue quarumcunque eleemoſynarum pro baptizatis omnibus offeruntur, pro valdè bonis gratiarũ actiones ſunt; pro valdè malis, etſi nulla ſunt adiumenta mortuorum, qualeſcunque viuorum conſolationes ſunt; pro non valde malis propitiationes ſunt. Quibus autem proſunt, aut ad hoc proſunt, vt ſit plena remiſſio; aut certè, vt tolerabilior fiat ipſa damnatio.*

Præterea, quod preces viuentium proſint defunctis fidelibus, exemplis conſtat non paucis. Ecce enim, cum teſte B. Gregorio, Germanus Capuanus Epiſcopus, ex præcepto medicorum, pro corporis ſalute Angulanas thermas ingreſſus eſſet, vt lauaretur; & Paſchaſium ſedis Apoſtolicæ diaconum iam defunctum, qui miræ ſanctitatis fuerat, eleemoſynarum maximè operibus vacans, cultor pauperum, & contemptor ſui, ſtantem & obſequentem in caloribus inuenit: Et inquiſitus, quid illic tantus vir faceret? reſpondit: ſe in pœnali illo loco deputatum, ideo tantùm, quia contra Symmachum pro Laurentio ſenſerat; vt, eo ſpreto, Laurentius ſummus Pontifex crearetur; aliis fidelibus contra ſentientibus, qui & præualuerunt. *Sed quaſo*, inquit, *te, pro me Dominum deprecare: atque in hoc cognoſces, quod exauditus ſis; ſi huc redi-*

diens, me non inuenies. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus strinxit; Et post paucos dies rediit, sed iam prædictum Paschasium in loco eôdem minimè inuenit.

In eôdem quoque libro, Petro interrogante, quidnam esse possit, quod mortuorum valeat animabus prodesse? Respondet B. Gregorius: *Si culpæ post mortem insolubiles non sunt, multum solet animas, etiam post mortem, sacra oblatio hostiæ salutaris adiuuare: ita, vt hoc nonnunquã ipsæ defunctorũ animæ videantur expetere.* Presbyter enim quidam in diœcesi Centumcellensis vrbis in aquis calidis, quoties necessitas corporis exigebat, lauari consueuerat; cùm quidam vir incognitus cum magno famulatu de pedibus calceamenta abstrahebat, vestimenta suscipiebat, exeunti à calorib9, *Sabana* præbebat, atq; omne ministerium peragebat. Cumque hoc sæpius fieret, quadam die duas oblationum coronas obsequenti sibi viro pro benedictione obtulit; petens, vt benignè susciperet, quod ei charitatis gratia offerebat: quam oblationem humiliter renuens, inter cætera, ait: *Si mihi patrocinari vis, omnipotenti Deo pro me offer hunc panem, vt pro peccatis interuenias: Et tunc te auditum esse cognosce, cum huc ad lauandum veneris, & me non inueneris.* In quibus verbis disparuit: & is, qui homo esse videbatur, euanescendo innotuit; quia, spiritus fuit. Idem verò presbyter, hebdomada se continua pro eo in lachrymis afflixit, salutarem hostiam quotidie obtulit, & reuersus post ad balneum eum iam minimè inuenit. Qua ex re, quantum prosit animabus immolatio sacræ oblationis, ostenditur, quando hanc & ipsi mortuorum Spiritus

à viuentibus petunt, & signa indicant, quibus per eam absoluti videantur.

Monachus quoq; quidam in monasterio B. Gregorii in vltima ægritudine pro tribus aureis, quos absconderat quasi proprios, à fratribus contemptus est; vt eius morti interesse nollent, & fratrum sepultura careret. A morte verò eius 30. diebus euolutis, consulente B. Gregorio, 30. diebus continuis salutaris est hostia immolata: Et post hoc, apparens cuidam per visionem nocte; dixit, sibi benè esse: quia communionem receperat, cum præcedenti die tricesima oblatio fuisset impleta pro eo.

Ecce, his patet exemplis, multum prodesse spiritibus defunctorum preces, & immolationem hostię salutaris; cum per ista à peccato dissensionis, seu schismatis prædictus Paschasius, & à peccato proprietatis post amaritudinem animi habitam in exitu; & post ignis Purgatorii cruciatum 30. dierum, præscriptus monachus sit absolutus.

Hoc etiam roboratur, & amoto omni dubietatis scrupulo, confirmatur testimonio, & longissima consuetudine Catholicę Ecclesię, quæ est, Apostolo teste, *columna & firmamentum veritatis.* Orat namq; pro defunctis fidelibus, nō solum alias, sed etiam inter sacra Missarū solemnia. Et certè, si nulla alia suppeteret autoritas, exemplū, aut ratio, sufficere debet sanctæ Ecclesiæ tanto tempore, approbata consuetudo. Nam si Matth. 18. *in ore duorum aut trium testium, stat omne verbum*: quanto magis si tota Ecclesia, vbiq; terrarum hoc concorditer clamat? Spiritus enim sanctus, sicut Dominus ait, docet (eam) omnem veritatem. Hic repleuit

or-

orbem terrarum, id est, sanctam Ecclesiam, quæ est vbique terrarum; & ideo, non permittit errare ipsam. Hæc est enim septem lucernæ, supra candelabrum tabernaculi. Septiformis quippe gratia Spiritus sancti, Catholicam illustrat Ecclesiam, ne tenebris errorum inuoluatur.

His etiam adminiculantur rationes Catholicæ. Etenim, vt ait Augustinus: *Quidam viuendi modus nec tam bonus est, vt non requirat ista post mortem; nec tam malus, vt ei non prosint ista post mortem. Est verò talis in bono, vt non requirat ista: Est q. rursus talis in malo, vt nec his valeat, cùm de hac vita transierit, adiuuari. Ergò, pro non valdè malis propitiationes sunt, pro valde bonis gratiarũ actiones; Pro valdè malis nulla sunt adiumenta mortuorum, sed viuorum qualescunq; consolationes.* I.

Nec mirum, si viuentium beneficia, vel orationes mortuis corporaliter prosint in quibusdam culpis soluendis; cum prosint etiam mortuis in anima ad infidelitatis, vel aliorum criminum labem abolendam. Orauit quippe B. Stephanus pro lapidantibus, & conuersus est Paulus. Orauerunt pro paralytico, quem portabant quatuor viri, & dimissa sunt ei peccata, & corporis salus reparata. II.

Item Christus, corporaliter positus in monumẽto, spiritu in infernum descendens eduxit inde suos: quid igitur mirum, si electi ad loca purgationis descẽdẽtes, inde postea educantur, cùm pro ipsis illa victima immoletur, quæ singulariter ab æterno interitu animã saluat, quæ mortem vnigeniti nobis per mysterium reparat? Et si oratio pro alio facta cõfert ei, quid mirum, si eleemosynã, aut ieiunium pro alio exhibitum III.

tum

tũ ei prosit? Sunt illa enim verba Apostoli: *Sine intermissione orate.* Ait S. Augustin⁹: *Iustus nunquã desinit orare, nisi desinat iustus esse. Semper orat, qui semper benè agit.*

1. Thes. 5.

IV. Rom. 12.

Item: *Sicut in vno corpore multa membra habemus: omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus sumus in Christo: singuli autem alter alterius membra. Deus autem temperauit corpus, vt non sit schisma*: id est discordia, *in corpore*, id est, in Ecclesia, vbi debet esse vnitas: *Sed in id ipsum pro inuicem solicita sunt membra*: Solicita, inquam, sint in id solicitudinis, quod sit ipsum, id est, indifferens, vt non minus pro alio, quàm pro se (laboret.) Et, *Si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra. Siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra.*

Ibid.

Ex his patet; quòd sicut per eandem animam diuersa membra viuunt, & colligantur: Sic & per eundem Spiritum Christi, diuersa eius membra reguntur, & in vnitate conseruantur. Inde est, quod pro se inuicem soliciti sunt omnes fideles in Christi corpore constituti; vt, si quid patitur vnus, compatiantur cæteri. Et ideo, fidelibus in igne purgatorio patientibus cæteri compatientes soliciti sunt pro eis: *Solicitudine* verò *non pigri*, sed quasi pro se laborant, pro eis absoluendis. Inde est, quod ieiunando, vigilando, eleemosynis, aliisq; piis actibus insistendo, orationibus instando, talibus remediis & viuis & defunctis in Christi corpore per vnitatem fidei & compagem dilectionis constitutis subuenire procurant.

Ibid.

V. Apoc. 3. Psal. 10.

Et nimirum *sanctus & verus, qui habet clauem David, qui claudit, & nemo aperit, aperit, & nemo claudit, qui habet claues mortis & inferni, desiderium pauperum exau-*

audit, & aures eius in preces eorum; vt eos soluat, quos Ecclesia soluit: eos liget, quos Ecclesia ligat, sicut ipse ait: *Quodcunque ligaueritis super terram, erit ligatum & in cælis; & quodcunque solueritis super terram, erit solutũ & in cælo.* Ideòq; si quos Ecclesia soluit super terrã, soluuntur & in cœlo, siue viuentes, siue morientes fideles. Ait enim: *Quodcunque*. Matth. 16.

Legitur etiam in libro Dialogorum, quod B. Benedictus pro vitio linguæ, nisi se corrigeret, duas sanctimoniales excommunicauit: quæ, pristinis moribus non mutatis post paululùm defuncti sunt, & in Ecclesia sepultæ: Sed, dum sanctæ communionis hostia fieret, ab Ecclesia exire videbantur. Tunc B. Benedicto indicatum est; qui protinus, manu sua dedit oblationem, iubens, vt pro eis offerretur: quæ dum pro eis fuisset immolata; non sunt visę vlterius ab Ecclesia exire. Communionem quippe à Domino per seruum Domini receperant. Ecce, & ex hoc patet; quantum prosit oblatio fidelium spiritibus defunctorum. Vt enim caro iudicare de spiritibus possit, hoc largiri dignatus est, factus pro hominibus, Deus, caro.

Sed ad hoc obiiciunt inimici veritatis; post mortem hanc, prædicta nulli prodesse: Et ad sui erroris assertionem inducunt hęc testimonia. Dominus enim dicit: *Ambulate, dum lucem habetis, ne, tenebræ vos comprehendant.* Et Apostolus: *Ecce, nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis.* Et iterum: *Dum tempus habemus, operemur bonum ad omnes, maximè autem, ad domesticos fidei.* Et Salomon: *Quodcunq; potest manus tua, instanter operare: quia, nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quò tu properas.* Et Dauid: *quoniam in se-* Ioh. 12. 2. Cor. 6. Gal. 6. Eccles. 9. Ps. 105.

cu-

culum misericordia eius. Ex his verbis liquet, quod post mortem tenebris pœnarum inuoluitur; qui in hac luce viam Dei perambulare contempserit. Hic enim benè operantib⁹ misericordia Dei tribuitur. Malis verò post hanc vitam, non misericordia, sed iudiciũ Dei erit. Quia tunc nullum possunt sibi comparare subsidium, aut salutem. Quapropter viuentium beneficiis defuncti salutem adquirere nequeunt, aut ratio-

2. Cor. 5. nem. Item teste Apostolo: *Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisq; propria corporis, pro vt gessit, siue bonum, siue malum.* Ecce, secundũ hæc verba vnusquisq; reportabit in iudicium bonũ, vel malum, quod gessit in proprio corpore. Ex quo datur intelligi, non prodesse sibi, quod alius gessit pro eo, post solutionem corporis.

Ad hoc sciendum, has auctoritates hoc innuere, quod post mortem nullus potest comparare sibi aliquod meritum. Nullus enim, qui in hac vita neglexerit, postquam obierit, Deum poterit promereri. Veruntamen, si quis in fide operante per dilectionẽ vltimum clauserit diem, fidelium precibus, aut piis actibus poterit adiuuari. Hic enim meruit, vt ab ipsis fidelibus iuuaretur. Quia, inter ipsos fideles fideliter viuendo fidẽ seruauit, & inter membra corporis Christi membrum extitit. Hinc B. Augustin⁹ ait: *Hîc omne meritum comparatur; quo possit post hanc vitam releuari quispiam, vel grauari. Nemo se præparet, qui hoc neglexit, cùm obierit; Deum promereri.* Non igitur ista, quę pro defunctis commendandis frequentat Ecclesia, illi Apo-

Rom. 14. stolicę sunt aduersa sentẽtię, qua dictũ est: *Omnes astabimus ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisq; secun-*

dum

dum ea, quæ per corpus gessit, siue bonum, siue malum. Quia etiam hoc meritum sibi quisq;, cum in corpore viueret; comparauit, vt ei possent ista prodesse. Nec enim omnibus prosunt. Et quare non omnibus prosunt, nisi propter differentiam vitæ, quam quisq; gessit in corpore? Hinc & B. Gregorius loquens ait: *Hoc sciendū est; quia illic saltem de minimis nihil quisq; digne purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actib⁹ in hac adhuc vita positus, vt illic obtineat, promereatur.* Inde est, quod ait: quia supra dictus Paschasius *ex suarum eleemosynarum largitate obtinuit hoc, vt tunc potuisset promereri veniam, cum iam nil posset operari.* Quod autem ait Apostolus *per corpus*, intelligendum est, per tempus, quo vixit in corpore.

CAPVT X.

Contra eos, qui negant ignem purgatorium, & aiunt, Spiritus à carne solutos, continuò ire ad cælum, vel infernum.

SVnt verò hæretici quidam, qui asserunt animas à carne solutas continuò ascendere in cęlum, aut descēdere in inferni supplicium. Negant enim ignem purgationis. His obloquuntur auctoritates, exempla, ratioq; Catholica. Apostol⁹ enim ait: Christum esse fundamentum; atq; subiungit: *Si* 1. Cor. 3. *quis superædificauerit supra hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides preciosos, ligna, fœnum, stipulam, vniuscuiusq; opus quale sit, ignis probabit. Si, cuius opus manserit, quod superædificauit, mercedem accipiet; si cuius opus arserit, detrimentum patietur: ipse tamen saluus erit; sic tamen quasi per ignem.* Hoc de igne futuræ purgationis potest accipi.

Pensandum igitur solicitè est : quia illum dixit per ignem posse saluari; non, qui super hoc fundamẽtum ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est, peccata maiora, & idcircò duriora; atq; tunc, insolubilia, sed; ligna, fœnum, stipulam, id est, minima peccata, atq; leuissima, quę ignis facile consumat. Itẽ Augustin⁹ in Enchiridio: *Incredibile non est, aut inueniri, aut latere nõnullos fideles, per ignem quendã purgatorium, quanto magis, minusuè bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius, citiusq; saluari; non tamen tales, de qualibus dictum est, quod regnũ Dei non possidebunt, nisi conuenienter pœnitentibus eadem crimina remittantur. Conuenienter autem dixi: vt steriles in eleemosynis non sint.* Item B. Ioannes Baptista ait populo de Christo; *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto, & igni.* Purgat quippe Dominus peccata in baptismate & igni tribulationis temporalis; seu igni purgationis. Item scriptum est: *Pone ollam super prunas vacuam, donec incalescat & liquefiat æs, & consumatur rubigo.* Olla est, quæuis anima fidelis nunc plena virtutibus & operibus bonis, nunc vacua, id est imperfecta. Et quia in sanctis desideriis & operibus perfecta plenè non est, (sed,) peccatorum venialium rubigine est fœdata; & ideo super prunas ignis purgatorii poni iubetur, quousque crucietur ignis ardore, & sordes peccatorum leuium in igne consumantur. Tanta enim erit mora permanendi in igne, quanta erit rubigo peccati.

Gal. 5. *Matt. 3.* *Ezech. 24.*



C A-

CAPVT XI.

Contra eos, qui dicunt, eosdem Spiritus defunctorum ante iudicium, nec cælum, nec infernum ingredi, sed aliis contineri receptaculis.

SVnt è contra alii, qui dicunt, animas nec cœlum, nec infernũ ingredi ante iudicium. Sed animas iustorum placidis contineri receptaculis; reproborum verò Spiritus, in locis pœnalibus. Piorum verò receptacula vocari *Paradisum*: sicut malorum loca pœnalia, *Infernum*. Post iudicium verò electos sidereas possidere mansiones, & reprobos, inferni cruciatibus torqueri. P. Moneta lib. 4.

Sed & hi in sua assertione falluntur. Tria quippe sunt loca, quæ Spiritus à carne solutos recipiunt. Paradisus recipit Spiritus perfectorum. Infernus valdè malos. Ignis purgationis eos, qui nec valde boni sunt nec valdé mali. Et sic, valdè bonos suscipit locus valdè bonus: Valdè malos, locus summè malus: mediocriter malos, locus mediocriter malus, id est, leuior inferno, sed peior mundo. De valdè bonis erat Apostol[9], qui dicebat: *Cupio dissolui, & esse cum Christo.* Christus autem est in dextera Dei patris, vbi etiam interpellat pro nobis. Quocircà, qui cum Christo esse post dissolutionem corporis cupiebat, haud dubium, quia in cœlo, vbi Christus est, esse desiderabat. Vnde euidentius ad Corinthios ait: *Scimus, quoniam si terrestris domus nostra huius habitationis dissoluatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam æternam in* Phil. 1. 2. Cor. 5.

cælis. Ecce, sine omni ambiguitate scit Apostolus, post dissolutionem terrestris domus, id est, corporis, quod est de terra, se habere in cælis domum æternam, non manu factam, id est, ministerio alterius, sed ex Deo, id est, operatione diuina. Hinc & Dominus: *Vbi fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ.* Quia, animæ spirituales, soluta mole corporis, ascendũt ad cœlum, vbi Christus est non solùm secundum naturam diuinam, sed & secundùm humanam, in qua corporaliter cœlos ascendit.

Matt. 24.

Ioh. 12.

Et iterum: *Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi ego sum, illic & minister meus erit.* Et iterum: *Si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio, & accipiam vos ad me ipsum, vt, vbi ego sum, & vos sitis.* Et rursum: *Pater, quos dedisti mihi, volo, vt vbi ego sum, & illi sint mecum, vt videant claritatem meam, quam dedisti mihi.* Magna itaque est merces amoris, & operis boni, esse cum Christo: Re vera, inæstimabilis honor, vt sit adoptiuus cum vnico; vt sit, vbi est vnicus, non coæqualiter diuinitati, sed consociatus æternitati.

Ioh. 14.

Ioh. 17.

1. Cor. 6.

De valdè malis ait Apostolus: *Nolite errare; neq; fornicarii, neque idolis seruientes, neque adulteri, neque molles, neq; masculorum concubitores, neq; fures, neq; auari, neq; ebriosi, neque maledici, neque rapaces, regnum Dei possidebunt.* Et in Apocalypsi Dominus: *Timidis & incredulis, & execratis & homicidis, fornicatoribus, & veneficis, & idololatris, & omnibus mendacibus: Pars illorum erit in stagno ardenti igne, & sulphure, quod est mors secunda.* Ecce, magna committentes crimina, non possidebunt regnum Dei, sed detrudentur in infernum.

Apoc. 21.

Sanè leuia peccata committentes ad ignem tran-

ſcunt purgatorium, vt purgentur: Si tamen bonis actibus in hac adhuc vita poſiti, vt illuc veniant, obtineant; quos Apoſtolus ait ſaluari, ſic tamen, *quaſi per ignem*, vt prædictum eſt.

CAPVT XII.

Contra eos, qui in Eccleſia orare nolunt; nec Eccleſiam eſſe nuncupandam aſſerunt: Vbi probatur, & Eccleſiam eſſe vocandam, & ibi eſſe orandum, & in magna veneratione habendam. Vbi etiam reſpondetur cuidam eorundem hæreticorum obiectioni; qua ex verbis B. Stephani aiunt, quod excelſus non habitat in manufactis, & ideo nec in Eccleſia.

PRæterea apponunt iniquitatem ſuper iniquitatē, & domum Dei, domum vtiq; orationis contemnentes, malunt orare in ſtabulis, vel in cubiculis, ſeu in thalamis, quàm in Eccleſia. Et ad maiorem contemptum, mulierculis & inſipientibus perſuadere nituntur, non eſſe Eccleſiã, nec ſic debere vocari. *F. Moneta lib. 5.*

Contra quos ſacræ ſcripturę proferimus teſtimonia: *vt hoc præſcientes fideles*, ſicut B. Petrus docet, *cuſtodiant ſemetipſos, ne inſipientium errore traducti, à propria excidant firmitate.* Attendendum igitur eſt, quod domus Dei, domus orationis vocatur, & Eccleſia. Quantaq; ſit ei reuerentia exhibenda, ſcriptum eſt in libro *2. Pet. 3.* *Iob. 2.*

Euangeliorum; quod Dominus inuenit in templo vendentes boues & oues, & columbas, & nummularios ſedentes; & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, oues quoq; & boues, & nummulariorum effundens æs, menſas ſubuertit: Et his, qui columbas vendebant, dixit: *Auferte iſta hinc, & nolite facere domum patris mei domum negotiationis.* Hæc
Mar. 11. Ioannes. Marcus verò ait: quod non ſinebat Dominus; *vt quisquam transferret vas per templum, & docebat dicens eis: Nonne ſcriptum eſt quia domus mea, domus orationis vocabitur omnibus gentibus: Vos autē feciſtis eam ſpe-*
Luc. 19. *luncam latronum.* Et his geſtis; ſecundum Lucam, *erat quotidie docens in templo.*

Ecce euidenter patet, quòd templum vocat *domum patris ſui*: &, *domum ſuam*; &, *domum orationis* non ſolùm ſibi, vel Apoſtolis, ſed in cunctis gentibꝰ, id eſt, electis ex Iudæis & Gentibus. Hæretici verò, nec domum Dei, nec domum orationis vocant, nec in ea cū electis orare curant: ſed malunt in domibus ſuis, quā in domo Dei orare. In quo, patet, nec verbis, nec opere, Dominum Ieſum Chriſtum ſequi; dum templum, quod ipſe tantoperè veneratur & ſermone & opere, ipſi blaſphemant: nec in eo, vbi gentibus orandum eſſe prædixit, orant. Beſtiam namq́;, hoc eſt, Antichriſtum ſequuntur; id eſt, imitantur; qui ſicut in
Apoc. 13. Apocalypſi dicitur: *Aperuit os ſuum in blaſphemias, blaſphemare nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cælo habitant.*

Blaſphemant tabernaculum Dei, dum dicūt, potius in cubiculis, vel ſtabulis, quàm in domo Dei orādum. Blaſphemant nomen Dei, dum dicunt, non cre-

aſſe

asse, aut regere mundum. Blasphemāt eos, qui in cœlo habitant, dum dicunt, Apostolos, Martyres, ciuesq; cœli, nullam posse opem conferre supplicantibus fidelibus.

Præterea, in templo docebat, sicut dictum est: *Et erat docens quotidie in templo.* Ibi doctores audiebat, sicut scriptum est de parentibus eius, *quia inuenerunt illū in templo sedentem in medio doctorum, audientem illos & interrogantem*: Et cum dicerent: *dolentes quærebamus te*; Respondit: *Quid est, quod me quærebatis? nesciebatis, quia in his, quæ patris mei sunt, oportet me esse.* Ecce inuentus in templo, respondet, illud esse patris sui, & oportere se esse in eo.
Luc. 19.
Luc. 2.

Adhuc scriptum est in Euangelio Lucæ de discipulis Domini post ascensionem: *Et erant semper in tēplo laudantes & benedicentes Deum.* Et post aduentū sancti Spiritus, sicut in Actib⁹ Apostolorum habetur: *Erant quotidie perdurantes vnanimiter in templo.* Et iterum; *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horā orationis nonā*: & tunc claudū ex vtero matris suæ reparauerūt.
Luc. 24.
Act. 2.
Act. 3.

Item, Angelus Domini educēs Apostolos de carcere, ait: *Ite, & stantes in templo loquimini plebi omnia verba vitæ huius. Qui cum audissent, intrauerunt diluculo in templum, & docebant.* Item: *Paulo oranti in templo, contigit fieri in stuporem mentis, & videre Iesum.* Anna quoq; vidua *non discedebat de tēplo seruiens nocte ac die.* Simeon etiam *iustus & timoratus, exspectans consolationem Israël; et Spiritus sanctus erat in eo: & venit in spiritu in templū; Et accepit Iesum in vlnas suas, & benedixit Deum.*
Act. 5.
Act. 22.
Luc. 2.
Ibid.

Ex his patet; quod Apostoli in templo orant, laudantq; Deum; & videt Paulus Iesum: Ibiq; ex præ-

ce-

cepto Angeli docent: Anna etiam à templo non discedebat seruiens Domino die ac nocte: Vir quoque sanctus Simeon, Spiritu sancto plenus in eodem spiritu venit in templum, & accipit Iesum, & benedicit. Quare ergò impii hæretici iactant se seruare Euangeliũ, & sequi Apostolos; cùm non in templo orent, sed in thalamo, nec ibi doceant, sed in foro, & quidam clam in domo.

O insensati nunquid molestum est vobis, si Deus in qualibet vrbe, villa & castro domum habeat vt honoretur à suis; cum multi vestrum habeant non vnã, sed plures ad vestras voluntates? Item vos habetis domos; aliam ad manducandum; aliam, ad dormiendũ, aliam, ad alios vsus: Cur inuidetis populo Christiano, si habeat domum ad orandum, laudandùmue Deum, seu ad docendum verba vitę? Item, quia Deus omniũ est, nõ vnius solius, ab omnib' in cõmuni est orandus.

Quod autem domus orationis dicatur Ecclesia, & auctoritate & ratione probatur. Ecclesia quippe dicitur nunc conuocatio fidelium, nunc congregatio malorum, nunc domus Dei, ad quam plerumq; & hi, & illi conueniunt: Ecclesia dicitur conuocatio fidelium; vnde scriptum: *Paulus vinctus Iesu Christi, & Timotheus frater Philemoni dilecto & adiutori nostro, & Appiæ sorori charissimæ, & Archippo commilitoni nostro, & Ecclesiæ quæ in domo sua est. Gratia vobis & pax à Deo patre nostro, & Domino Iesu Christo.* Ecclesia dicitur cõgregatio malorum; vnde David: *Odiui Ecclesiam malignantium.* Ecclesia quoq; dicitur, domus orationis: vnde Apostol' ad Corinth. *Conuenientibus vobis in Ecclesia, audio scissuras esse, & ex parte credo.* Et paulò post: *Conuenientibus*

Ps. 25.

1. Cor 11.

vo-

vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidẽ esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum ? aut Ecclesiam Dei contemnitis & confunditis eos, qui non habent ? Apertè ait, quia Corinthii, quorum quidam erant boni, quidam mali, conueniebant in Ecclesia, id est, in domo orationis, sicut Expositores authentici dicunt: Et ideo subiungit: *Conuenientibus vobis in vnũ.* Quid est *in vnum conuenire*, nisi in vnum locum simul venire; quem locum superius nominauit *Ecclesiam*? Et quoniam in illo loco, id est, in Ecclesia, se reficiebant, reprehendit eos dicens: *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut Ecclesiam Dei contemnitis?* hoc est, nõ habetis alia loca, vbi vos reficiatis? Aut, cum habeatis alia loca, Ecclesiam Dei, id est domum orationis contemnitis, ibi manducando, aut bibendo. Quasi diceret; Ecclesia, non est domus ad manducandum, vel bibendum, sed ad orandum: Et ideo, si domos habetis ad manducandum vel bibendum, ibi vos reficite, nõ in domo orationis, id est, in Ecclesia, Quocirca, qui in Ecclesia Dei manducat, aut bibit, ipsam contemnit, maximè, si habeat domum ad manducandum. Ecclesia namq; Dei, non est domus ad manducandum & bibendum; sed domus orationis.

Ex his patet, Ecclesiam Dei dici hoc loco domum orationis. Alioqui, si quis dicat, Ecclesiam Dei dici hic fideles, intendat, quanta sequatur absurditas. Apostolus quippe reprehendit hic Corinthios comedentes in Ecclesia Dei. Et, si Ecclesia Dei, intelligitur hic fidelium, * conuocatio, consequenter, videbi- * *Congregatio.*

L tur

tur eos, qui comedunt in conuentu fidelium reprehẽdere: & sic reprehensibilis erit Dominus, qui manducauit & bibit cum discipulis. Ad hæc, consequetur, nõ esse manducandum cum aliquo; aut, manducandum esse tantùm cum infidelibus; quod sentire, est sum̃a dementia. Restat igitur, vt Ecclesiam Dei intelligamus ibi domum orationis. Vnde & Ecclesia dicitur per etymologiam, ædes Clericorum: non, quod ipsi tantum in ea conueniant: sed, quia cæteris fidelibus frequentius; & quia eorum est, eam custodire, claudere, aperire, & diuina ibi celebrare mysteria.

Nec mirum; si Ecclesia Dei dicitur tam conuocatio fidelium, quàm locus orationis, vbi conueniunt: sicut & domus dicitur mansio aliqua, & manentes in
Luc. 14. ea. Cùm enim legitur; *Dominum intrasse in domum principis Pharisæorum, sabbato manducare panem*: domus significat mansiones. Cùm autem legitur de regulo; quia *credidit ipse, & domus eius tota*; domus significat manentes in domo. Ciuitas quoq; significat locũ ciuium aliquorum: &, ciues ibi manentes. Locum si-
Luc. 19. gnificat, cùm dicitur: *Videns ciuitatem fleuit Iesus*. Ciues
Matth. 21. significat, cum dicitur: *Cum intrasset Iesus Hierosolymã, commota est vniuersa ciuitas, dicens: quis est hic?* Neq; enim murorum ambitus, aut locus ipse dicebat, *Quis est hic?* sed, ciues in manentes.

Synagoga quoq; dicitur locus orationis, in quo Iudæi congregabantur. Et ipsi etiam Iudæi hinc aiunt
Luc. 7. ad Dominum de centurione: *Synagogam ipse ædificauit nobis*; significantes nomine Synagogæ domum, quam eis ædificauerat ad orandum. Ioannes quoq; ait An-
Apoc. 2. gelo Smyrnæ Ecclesiæ; *Blasphemaris ab his, qui se dicunt*

Iu-

Iudaeos esse, & non sunt, sed sunt synagoga Satanae. Quo in loco, sine omni scrupulo Iudęos vocat synagogā satanę.

Manifestum est igitur tum autoritate Apostoli, tū inductione praescriptorum similium, Ecclesiam Dei dici tam domum orationis, quàm conuocationem fidelium. In Ecclesia enim materiali, varietas, siue multitudo lapidū, aut lignorum significat diuersos ordines fideliū: Pauimentū & tectū, Subditos & Praelatos: Fenestrę, per quas lux cęli infunditur doctores, p quos caeteri fideles illustrantur; qui luce sermonis Dei illuminātur. Fundamentū, quod totum pondus Ecclesię sustinet, Christus est, qui mores nostros sustinet: Ostium, fides: Altare, Deus: Latitudo Ecclesiae, charitas: Altitudo, spes: Longitudo, perseuerantia: Lampades, seu candelae, Scripturae, siue Virtutes: Cymbala, signum iubilationis. Cùm ergò materialis Ecclesia significet spiritualem, non inconuenienter eius nomē accipit. Quia plerumq; signum censetur nomine rei, cuius est signum. Hinc Propheta ait de mãna: *Panem Angelorum manducauit homo*; non quia esset panis Angelorum; sed quia significabat illum: Et Apostolus ait de petra, quae fundebat aquam Iudaeis: *Consequente eos petra; petra autem erat Christus*: non, quia petra esset Christus; sed, quia significabat Christum; qui aqua sapientiae nos potat. Psal. 77. 1. Cor. 10.

Cùm autem dicimus, in domo orationis, id est, in Ecclesia orandum, inimici veritatis contra nos inducunt illud Euangelicum; *Tu autem, cùm oraueris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora patrem tuum in abscondito; & pater tuus, qui videt in abscondito, reddet tibi.* Ex his enim aiunt, orandum esse in cubiculo, nō in Ecclesia. Matt. 6.

Sed, si orandum est in cubiculo, non in Ecclesia,

Iesus Christus, in cuius ore dolus nō fuit, errauit, cùm vocauit domum orationis, si ibi non oratur. Si autem verum dixit: imò, quia verum veritas dixit, domus orationis est: quia, ibi orandum est. Item si in Ecclesia orandum non est, peccauerunt Petrus & Ioannes, qui ascenderunt ad templum, ad horam orationis nonā: Item peccauit Paulus; peccauit & Anna; quæ non discedebat à templo ieiuniis & orationib⁹ seruiens nocte ac die, quod vtiq; sentire, extremæ dementiæ est. Constet igitur, orandum esse in Ecclesia, tum auctoritate Christi, tum exemplis Apostolorum, aliorumq; sanctorum.

Orandum tamen est vbiq;, sicut Apostolus ait:
1.Tim.2. *Volo viros orare in omni loco; leuantes puras manus, sine ira & disceptatione: similiter & mulieres.* Et Propheta: *In o-*
Ps.102. *mni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.* Cùm ergò vbiq; sit orandum, voluit Deus specialiter esse locum orationi deputatum, scilicet tantùm ad orandum, & seruiendum Deo, vt tantò attentius fiat oratio, quantò ibi soli vacatur Deo, ne quid aliud fiat. Alia quippe loca, plurib⁹ sunt plerumq; negociis implicita: Et ideo, si ibi oret quis, velit nolit, nonnunq̃ interrumpitur oratio. *Muscæ namq; morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Causę quippe temporales muscarum more, per insolentiam se ingerentes, corda orātium confundunt: ne, orationes, quę per se velut aromata fragrarent, suauem reddant Deo in orantibus odorem.

Cùm ergò ait Dominus; vt oraturus intret in cubiculū, non statuit, vt lect⁹ materialis sit locus orationis: nusq̃ enim hoc fecit: nusq̃ vocauit lectum, vel thalamum, domum orationis. Sanè templum vocat do-

domum Dei, & *domum orationis.* Non ergò intelligendũ est de lecto materiali, sed spirituali. Vocat igitur *cubiculum*, secretum cordis: vbi, si bona est cõscientia, suauiter quis pausat: si verò mala, vehementer grauatur. Oraturus itaq; quis, secretum cordis intrare debet; vt non tantùm ore, sed & corde oret: Cubiculũ cordis intret, ne mens per exteriora fusa, fructum orationis perdat. In se verò reuersa, tantò facilius per orationẽ impetret, quantò cunctis aliis spretis, soli Deo vacare contendit: Et ideo, quandiu orationi insistitur claudendũ est ostium, id est aditus cordis per circumspectionem muniendus; vt desideria illicita coërceantur, nec concupiscẽtia carnalis admittatur; sed tota cordis intẽtione pater cælestis oretur, eò attentius: quo clauso cordis aditu, á superuenientibus non interrũpitur curis. Hęc est oratio, quę cęlũ penetrat. Hęc pulsat aures patris cælestis. Hæc impetrat, si quid postulat. Vnde subditur: *Et pater tu⁹, qui videt in abscõdito reddet tibi.*

Præterea, quia in Ecclesia orare nolunt, contra nos prætendunt excusationes in peccatis; & inducunt illud quod B. Stephanus ait in Act. Apostolorũ: *Salomõ ædificauit Deo domum; sed non Excelsus in manu factis habitat, sicut Propheta dicit: Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? Aut, quis locus requietionis meæ est? Nonne manus mea fecit hæc omnia?* Et inquiunt; si Excelsus nõ habitat in manu factis; non habitat in Ecclesiis factis manu hominum. Si autem ibi non habitat, cur iremus illuc ad orandum? Matt. 6. Act. 7.

Ad quod respondemus, sic intelligendum: *Deus nõ habitat in manufactis*, id est nõ ibi clauditur, aut cõtinetur in manu factis. Imensus est enim, & incircũscript⁹

Deus, & inlocalis, & ideo, non circũſcribitur, aut continetur loco. Cui enim cælum ſedes eſt, & terra ſcabellũ, quomodo contineretur in aliqua domo? Cùm habitas in domo tua; ibi includeris, nec vſpiam alibi es. Non ſic habitat Deus in manu factis templis, vt ſic ibi includatur, quatenus nuſquam ſit alibi.


Ioh. 4. Præterea, *Spiritus eſt Deus*, ſicut idem ait: & ideo, loco corporali non continetur: ſed habitat per gratiã in cordibus electorum. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. *Det* Ephes. 3. *vobis pater Domini noſtri Ieſu Chriſti habitare Chriſtum per fidẽ in cordibus veſtris*. Fides enim tua de Chriſto, Chriſtus (eſt) in corde tuo. Hinc & Propheta; *& repulit ta-* Pſal. 77. *bernaculum Silo, tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus*. Ecce, quomodo habitauit Deus in tabernaculo ſuo. Habitauit enim ibi in hominibus: Sic habitat Deus in Eccleſiis, habitando in hominibus: Et ideo potius habitat ibi, quàm alibi. Quia interdũ plures ibi conueniunt, & cum maiori deuotione, ac feruentiori fide concurrunt, ſeruitur Deo obſecrationibus, & perceptione ſacri pabuli, id eſt, corporis Chriſti, & diuini verbi. Cùm igitur ſemper & vbiq; ſit Deus in cordib⁹ electorũ; plenius & perfectius eos replet in Eccleſiis, cùm in ſuo obſequio eos viderit promptiores. Verũtamẽ, ſi Deus vbiq; eſt; cùm dicat: *Cælum & terram ego impleo*: in manufactis eſt, continens, ac regens: ſed nõ ibi ita inhabitat, vt in cordibus electorum: hîc enim inhabitat etiam per gratiam: In illis verò eſt, per eſſentiam, potentiam, & præſentiam.

Explicit liber.

ERMENGARDVS CONTRA VVALDENSIVM SECTAM.


Nunc

Primùm in lucem prolatus.



INDEX CAPITVM HVIVS OPVSCVLI, LICET FINE MVTILI.

IN-




SANCTI SPIRITVS ADSIT
NOBIS GRATIA.

INCIPIT OPVSCVLVM *ERMENGAVDI; CONTRA HÆRETICOS QVI DICVNT ET CREDVNT MVNDVM ISTVM, ET omnia visibilia non esse à Deo facta, sed à diabolo.

** Ermengardi.*

CAPVT I.

Deum esse rerum omnium creatorem.



HÆRETICI dicunt & credunt mundum istum, & omnia, quæ in eo videntur, videlicet, cælum, quod videmus, & solem & lunam & stellas, & terram, & omnia animalia, & homines, & ea, quæ in ea videntur, mare & pisces, & omnia, quæ in eo videntur, vel sunt, dicunt in absconditis suis, ab omnipotenti Deo non esse facta, sed à Principe malignorum spirituum. Quibus hæreticis, & eorum isti malitioso errori plurimæ noui Testamenti auctoritates sunt contrariæ.

Quæ Ermengardus breuiter attingit, ea copiosissimè exequitur, F. Moneta locu iam in Ebrardo & Bernardo citatu.

Habetur in Euangelio B. Ioannis, qui contra hæreticos talem errorem affirmantes scripsit dicens: *In* *Ioan. 1.*

 princi-

principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In hoc manifestum est, quod Deus omnipotens, pater, & filius, & Spiritus sanctus, creauit & fecit omnia visibilia & inuisibilia, vt B. Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos testatur dicens; *Fide intelligimus secula aptata esse Verbo Dei.* Item in eâdem Epistola: *Qui omnia creauit, Deus est.* Item, in Actibus Apostolorum inuenitur, quod omnes Apostoli & discipuli in vnum congregati vocem suam vnanimiter leuauerunt dicentes: *Domine Deus, tu, qui fecisti cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, &c.* Item, quod Ioannes in Apocalypsi dicit: *Et Angelus quem vidi stantem supra mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, &c.* Item in eôdem; *Timete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora iudicij eius; & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & fontes aquarum.* Item Paulus in Epistola ad Hebræos dixit: *Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum, sunt cæli.* Item in Euangelio secundum Matthæum: *Confiteor tibi pater cæli & terræ, &c.* Item Ioannes de eodem; *Et mundus per ipsum factus est, &c.*

Heb. 11. *Hebræ. 3.* *Actor. 14.* *Apoc. 10.* *Apoc. 14.* *Hebr. 2.* *Matth. 11.* *Ioan. 1.*

Et istæ auctoritates noui Testamenti vobis sufficiant: quamuis multæ auctoritates in nouo & veteri Testamento, & in Prophetis eadem testificantes, quod Deus creauit & fecit omnia visibilia & inuisibilia, inueniantur. Item in Actibus Apostolorum Paulus & Barnabas; *Viri fratres,* annuntiamus *vobis, ab his*

Actor. 14.

vanis

vanis conuerti ad Deum viuum & verum, qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, dans pluuias de cælo, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda vestra.

CAPVT II.

Non esse duos Deos.

HOc quod hæreticici dicunt, duos esse Deos, vnum omnipotentem, & alium, malignum, cōtra omnem diuinam scripturam sentiunt. Quia, omnis scriptura, diuinitus inspirata, noui & veteris Testamenti, & omnium Prophetarum, vnum Deum solummodò affirmat. Dicit enim B. Paulus in Epistola ad Ephesios; *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma Vnus est Deus & pater omnium, qui est super omnia, & in omnibus nobis.* Item Marcus in Euangelio; Quidam de Scribis interrogauit Dominum Iesum, quod esset omnium primum mandatum: Iesus autem respondit ei; *quia primum omnium mandatum est; Audi Israel; Deus tuus, Deus vnus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Et ait illi Scriba; *Benè magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.*

Hæretici dicūt, duos esse Deos, vnum bonū alium, malignum.

Ephes. 4.

Marc. 12.

CAPVT III.

Legem Mosaicam à vero Deo datam & latam.

DIcunt hæretici, *Legem Moysi quam Veterem dicimus, ab omnipotenti Deo non esse datam; sed, à principe malignorum spirituum.* Cui errori plu-

rimæ auctoritates diuinarum ſcripturarum contradicunt. Dicit enim Dominus in Euangelio ſecũdum Matthæum: *Nolite putare, quia veni ſoluere legem, aut Prophetas, non veni ſoluere, ſed adimplere.* Ipſe, qui filius Dei eſt, ſi lex à diabolo data fuiſſet, non dixiſſet; ſe eam adimplere; imò deſtrueret. Item; ſecundum Lucam: *Poſtquam conſummati ſunt dies purgationis MARIÆ, ſecundum legem Moyſi, tulerunt illum in Hieruſalem, vt ſiſterent eum Domino, ſicut ſcriptum eſt in lege Domini, &c. Et, vt darent hoſtiam, ſecundum quod dictum eſt in lege Domini.* Et iterum, *Et vt peracta ſunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in ciuitatem Galilaam ſuam Nazareth.* Et hoc certum eſt, & ſine omni dubitatione, Chriſtum, qui verus Deus, & verus homo eſt; non conſentiret diabolicæ legis præcepta in ſe ſeruari, vel implere.

Matth. 5. Luca, 2.

Ioan. 5. Item in Euangelio ſecundum Ioannem Dominus dicit; *Nolite putare; quia ego accuſaturus ſim vos apud patrem; Eſt, qui accuſat vos Moyſes, in quo vos ſperatis. Si enim crederetis Moyſi, crederetis forſitan & mihi, de me enim ille ſcripſit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Ac ſi dicat, qui non credit verba veteris legis, & in fide ſua non recipit, verba Euangelii ad ſuam ſalutem credere, vel recipere non poteſt. Item in Euangelio ſecundum Lucam; Dominus dixit cuidam Legiſperito, ſe interroganti, quid facere deberet, vt vitam poſſideret æternam, quærens ab eo, quid eſſet ſcriptum in lege? Ille peritus reſpondens dixit ei; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum ſicut teipſum:*

Luca. 10.

dixit-

dixitque illi; rectè respondisti; hoc fac & viues. Si enim lex Moysi à Deo data non fuisset, nunquam Christus pro eâ obseruandâ, vitam promisisset. Item in eôdem Dominus testatur; *habent Moysen & Prophetas; audiant illos, &c.* In hoc apparet, quòd obseruatio legis & Prophetarum non permittit hominem ire ad pœnarum loca inferni. *Luca.16.*

Item in eôdem; cùm Christus resurrexisset à mortuis, duobus discipulis euntibus in castellum Emaus, apparens legem testificans dixit; *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & in omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant;* Si enim lex data esset à diabolo Moysi, nunquam Christus suis discipulis doceret, & interpretaretur. Item in eôdem ipsa Veritas dixit; *quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me.* Item in Euangelio secundum Matthæum; Dominus Pharisæis quærentibus; quare discipuli eius traditiones seniorum transgrederentur? dicit; *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit; honora patrem tuum & matrem tuam; Et quicunque maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Et certum est hoc testimonium de lege Moysi. Et Christus dixit, hoc testimonium à Deo esse dictum & datum: Ergò lex à Deo data est. *Luca.24.* *Ibidem.* *Matth. 15.*

Item in Actibus Apostolorum Paulus ait; *Annuntio vobis, DEVS, qui fecit cælum & mundum, & omnia, quæ in eo sunt; hic cæli & terræ cùm sit Dominus.* Idem Paulus in eodem (lib.) excusans se aduersus Iudæos, de his, de quibus accusabatur ante Felicem præsidem *Actor.17.* *Actor.24.*

Cæsareæ dicens; *Confiteor hoc tibi, quod secundum sectam, quam Iudæi dicunt hæresim, sic deseruio Deo meo patri, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt.* Item
Rom. 8. Paulus in Epistola ad Romanos: *An ignoras*, dicit: *lex peccatum est? absit. Lex quidem sancta & bona, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.*

CAPVT IV.

Moysen non fuisse Magum.



TEM sunt quidam hæretici, qui Moysen Magum fuisse, asserunt, & omnipotentem Deum non ei fuisse locutum, nec, ei dedisse legem. Contra quem errorem Paulus in Epistola ad
Heb. 1. Hebræos scripsit dicens; *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Sed Moyses est vnus ex Prophetis, quibus Deus locutus est. Dicitur & *fidelis in*
Hebr. 3. *Domo*, cui Deus locutus est: Item in eodem: *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est.* Et Moyses quidem fidelis erat, *in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum verborum, quæ dicenda erant, Christus verò tanquam filius in domo sua: quæ domus, sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmum retineamus.* Apostolus verò non eum esse Magum, sed fidelem in domo Dei esse famulum testatur.

Item Moyses in multis scripturis noui & veteris Testamenti, ac Prophetarum amicus, & fidelis Dei
Hebr. 11. dicitur. Sic B. Paulus in Epistola ad Hebræos de eo commemorauit dicens; *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei,*

lo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in Dei remunerationem: quia hoc apparet certissimè, quoniam B. Paulus de Moyse, & de lege Moysi, & de Deo Hebręorum non diffidebat: sed Moysen & sanctum, & bonum, & legem sanctam & bonam, & Deum Hebræorum omnipotentem Deum asserebat, & corde credebat.

CAPVT V.

Matrimonium esse licitum.

HÆretici secundum Tatianum hæreticum, qui matrimonium damnabat omne; matrimonium maris & feminæ ad inuicem commiscentes, nullo modo posse saluari dicunt & credunt. Sed huic errori multa testimonia diuinarum scripturarum noui & veteris Testamenti sunt contraria.

Habetur in Euangelio secundum Matthæum, quòd Dominus Pharisæis se interrogantibus dixit, *Si licet homini dimittere vxorem suam, quacunque ex causa?* Qui respondens, ait eis: *Non legistis, quia, qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo, in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo non separet.* Sed Christus ad hoc venit in hunc mundum, vt hominē ab omni malo separet, & feminam similiter. Sed omne, q; impedit hominem à vita ęterna, malū est; sed, si malū esset (vti) matrimonio, nunquam prohiberet *Matth. 19.*

Christus

Christus separari: nec etiam consentiret: qui in nullum malum consensit. Item in Marco de eôdem: *Ab initio autem creaturæ, masculum & feminam fecit eos* DEVS, *&c.* Item in Luca; *Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, &c. Erant autem ambo iusti ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Sequitur itaque; quoniam iusti erant, saluabantur. *Et non erat filius illis; eo quòd Elizabeth esset sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Et etiam notandum, quòd non stetit per virum, quòd non haberet filium: sed per mulierem, quia sterilis erat. *Et Angelus Domini apparens Zachariæ in templo, dixit ei: Ne timeas Zacharia: quia exaudita est oratio tua. Vxor enim tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, &c. Erit enim magnus coram Domino; & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Item, vnde hoc sciam? *Ego enim sum senex, & vxor mea, processit in diebus suis.* Et nota, quia hoc dixit, non credens verbis Angeli propter vxoris senectutem, quia ipsa præcesserat conceptiuam ætatem. Item; *Innuebant patri eius; quem vellet vocari eum.* Euangelista non vocaret eúm patrem, nisi haberet filium. Nemo enim potest esse pater naturalis, nisi filium naturalem habeat. Item; *Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto.* Ecce trina paternitatis affirmatio. Et Euangelium non aufert eis, quin sint iusti ambo ante Dominum pro generatione filij: si incedant in omnibus mandatis Domini; nec in Veteri Testamento, nec in nouo.

Marc. 10. *Luca 1.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.*

1. Corin. 7. Item in Epistola ad Corinthios Apostolus dans consilium fidelibus Christianis, dixit: *Propter fornicatio-*

cationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaque virum suum. Vir vxori debitum reddat; similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Id est, nolite continere, altero nolente. Item in eodem; *Dico autem non nuptis, sed viduis, si sic permanserint, sicut ego; quod si non continent, nubant: Melius est enim nubere, quam vri. His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus; vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Item sequitur: *si quis ergò vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*: & è conuerso: *Alióqui filij vestri immundi essent. Nunc autem mundi sunt.* Non credidit Apostolus, virum & vxorem, si sunt fideles, pro redditione maritalis debiti amittere suam sanctitatem; si cætera eorum opera sint bona.

Item Apostolus in eadem; *Si acceperis vxorem, non peccasti: Et, si nupserit virgo, non peccauit.* Idem in eâdem Apostolus ait: *qui matrimonio iungit virginem suam, bene facit: & qui non iungit, melius facit.* Hæc præcepta supra dicta Apostolus suis discipulis non daret, & hæc verba eis non scriberet, si propter hoc coniugale factum crederet eos esse damnandos.

Item Apostolus in Epistola ad Timotheum; *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum; in hypocrisi loquentiũ mendacium, prohibentium nubere.* Et nota, quòd spiritus sanctus apertè ma- *1. Timo. 4.*

Iesus Christus, in cuius ore dolus nō fuit, errauit, cùm vocauit domum orationis, si ibi non oratur. Si autem verum dixit: imò, quia verum veritas dixit, domus orationis est: quia, ibi orandum est. Item, si in Ecclesia orandum non est, peccauerunt Petrus & Ioannes, qui ascenderunt ad templum, ad horam orationis nonā: Item peccauit Paulus; peccauit & Anna; quæ non discedebat à templo ieiuniis & orationib9 seruiens nocte ac die, quod vtiq; sentire, extremæ dementiæ est. Constet igitur, orandum esse in Ecclesia, tum auctoritate Christi, tum exemplis Apostolorum, aliorumq; sanctorum.

Orandum tamen est vbiq;, sicut Apostolus ait:
1. Tim. 2. *Volo viros orare in omni loco; leuantes puras manus, sine ira & disceptatione: similiter & mulieres.* Et Propheta: *In omni loco dominationis eius, benedic anima mea Domino.*
Ps. 102.
Cùm ergò vbiq; sit orandum, voluit Deus specialiter esse locum orationi deputatum, scilicet tantùm ad orandum, & seruiendum Deo, vt tantò attentius fiat oratio, quantò ibi soli vacatur Deo, ne quid aliud fiat. Alia quippe loca, plurib9 sunt plerumq; negociis implicita: Et ideo, si ibi oret quis, velit nolit, nonnunq̄ interrumpitur oratio. *Muscanamq; morientes perdunt suauitatem vnguenti.* Causę quippe temporales muscarum more, per insolentiam se ingerentes, corda orātium confundunt: ne, orationes, quę per se velut aromata fragrarent, suauem reddant Deo in orantibus odorem.

Cùm ergò ait Dominus; vt oraturus intret in cubiculū, non statuit, vt lect9 materialis sit locus orationis: nusq̄ enim hoc fecit: nusq̄ vocauit lectum, vel thalamum, domum orationis. Sanè templum vocat do-

domum Dei, & *domum orationis*. Non ergò intelligendũ est de lecto materiali, sed spirituali. Vocat igitur *cubiculum*, secretum cordis: vbi, si bona est cõscientia, suaniter quis pausat: si verò mala, vehementer grauatur. Oraturus itaq; quis, secretum cordis intrare debet; vt non tantùm ore, sed & corde oret: Cubiculũ cordis intret, ne mens per exteriora fusa, fructum orationis perdat. In se verò reuersa, tantò facilius per orationẽ impetret, quantò cunctis aliis spretis, soli Deo vacare contendit: Et ideo, quandiu orationi insistitur claudendũ est ostium, id est aditus cordis per circumspectionem muniendus; vt desideria illicita coërceantur, nec concupiscẽtia carnalis admittatur; sed tota cordis intẽtione pater cælestis oretur, eò attentius: quo clauso cordis aditu, á superuenientibus non interrũpitur curis. Hęc est oratio, quę cęlũ penetrat. Hęc pulsat aures patris cælestis. Hæc impetrat, si quid postulat. Vnde subditur: *Et pater tu⁹, qui videt in abscõdito reddet tibi.*

Præterea, quia in Ecclesia orare nolunt, contra nos prætendunt excusationes in peccatis; & inducunt illud quod B. Stephanus ait in Act. Apostolorũ: *Salomõ ædificauit Deo domum; sed non Excelsus in manu factis habitat, sicut Propheta dicit: Cælum mihi sedes est; terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi, dicit Dominus? Aut, quis locus requietionis meæ est?* N*onne manus mea fecit hæc omnia*? Et inquiunt; si Excelsus nõ habitat in manu factis; non habitat in Ecclesiis factis manu hominum. Si autem ibi non habitat, cur iremus illuc ad orandum? *Matt. 6.* *Act. 7.*

Ad quod respondemus, sic intelligendum: *Deus nõ habitat in manufactis*, id est nõ ibi clauditur, aut cõtinetur in manu factis. Imensus est enim, & incircũscript⁹

Deus, & inlocalis, & ideo, non circũſcribitur, aut continetur loco. Cui enim cælum ſedes eſt, & terra ſcabellũ, quomodo contineretur in aliqua domo? Cùm habitas in domo tua; ibi includeris, nec vſpiam alibi es. Non ſic habitat Deus in manu factis templis, vt ſic ibi includatur, quatenus nusquam ſit alibi.

Ioh. 4. Præterea, *Spiritus eſt Deus*, ſicut idem ait: & ideo, loco corporali non continetur: ſed habitat per gratiã in cordibus electorum. Vnde Apoſtolus ad Epheſ. *Det vobis pater Domini noſtri Ieſu Chriſti habitare Chriſtum per fidẽ in cordibus veſtris*. Fides enim tua de Chriſto, Chriſtus (eſt) in corde tuo. Hinc & Propheta; *& repulit tabernaculum Silo, tabernaculum ſuum, vbi habitauit in hominibus*. Ecce, quomodo habitauit Deus in tabernaculo ſuo. Habitauit enim ibi in hominibus: Sic habitat Deus in Eccleſiis, habitando in hominibus: Et ideo potius habitat ibi, quàm alibi. Quia interdũ plures ibi conueniunt, & cum maiori deuotione, ac feruentiori fide concurrunt, ſeruitur Deo obſecrationibus, & perceptione ſacri pabuli, id eſt, corporis Chriſti, & diuini verbi. Cùm igitur ſemper & vbiq; ſit Deus in cordib⁹ electorũ; plenius & perfectius eos replet in Eccleſiis, cùm in ſuo obſequio eos viderit promptiores. Verũtamẽ, ſi Deus vbiq; eſt; cùm dicat: *Cælum & terram ego impleo*; in manu factis eſt, continens, ac regens: ſed nõ ibi ita inhabitat, vt in cordibus electorum: hic enim inhabitat etiam per gratiam: In illis verò eſt, per eſſentiam, potentiam, & præſentiam.

Epheſ. 3.


Pſal. 77.

Explicit liber.

ERMENGARDVS CONTRA VVALDENSIVM SECTAM.

Nunc

Primùm in lucem prolatus.



SANCTI SPIRITVS ADSIT
NOBIS GRATIA.

INCIPIT OPVSCVLVM *ERMENGAVDI; CONTRA HÆRETICOS QVI DIÇVNT ET CREDVNT MVNDVM ISTVM, ET omnia visibilia non esse à Deo facta, sed à diabolo.

* Ermengardi.

CAPVT I.

Deum esse rerum omnium creatorem.

HÆRETICI dicunt & credunt mundum istum, & omnia, quæ in eo videntur, videlicet, cælum, quod videmus, & solem & lunam & stellas, & terram, & omnia animalia, & homines, & ea, quæ in ea videntur, mare & pisces, & omnia, quæ in eo videntur, vel sunt, dicunt in absconditis suis, ab omnipotenti Deo non esse facta, sed à Principe malignorum spirituum. Quibus hæreticis, & eorum isti malitioso errori plurimæ noui Testamenti auctoritates sunt contrariæ.

Quæ Ermengardus breuiter attingit, ea copiosissimè exequitur, F. Moneta locu iam in Ebrardo & Bernardo citatu.

Habetur in Euangelio B. Ioannis, qui contra hæreticos talem errorem affirmantes scripsit dicens: *In* *Ioan. 1.*

M *princi-*

principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil. In hoc manifestum est, quod Deus omnipotens, pater, & filius, & Spiritus sanctus, creauit & fecit omnia visibilia & inuisibilia, vt B. Apostolus Paulus in Epistola ad Hebræos testatur dicens; *Fide intelligimus secula aptata esse*
Heb. 11. *Verbo Dei.* Item in eâdem Epistola: *Qui omnia creauit,*
Hebra 3. *Deus est.* Item, in Actibus Apostolorum inuenitur,
Actor. 14. quod omnes Apostoli & discipuli in vnum congregati vocem suam vnanimiter leuauerunt dicentes: *Domine Deus, tu, qui fecisti cælum & terram, & mare, & omnia, quæ in eis sunt, &c.* Item, quod Ioannes in Apo-
Apoc. 10. calypsi dicit: *Et Angelus quem vidi stantem supra mare, & super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum, qui creauit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, &c.* Item in eôdem; *Ti-*
Apoc. 14. *mete Dominum, & date illi honorem; quia venit hora iudicij eius; & adorate eum, qui fecit cælum & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt, & fontes aquarum.* Item Paulus in
Hebr. 2. Epistola ad Hebræos dixit: *Et tu in principio Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum, sunt cæli.* Item
Matth. 11. in Euangelio secundum Matthæum: *Confiteor tibi pa-*
Ioan 1. *ter cæli & terræ, &c.* Item Ioannes de eodem; *Et mundus per ipsum factus est, &c.*

Et istæ auctoritates noui Testamenti vobis sufficiant: quamuis multæ auctoritates in nouo & veteri Testamento, & in Prophetis eadem testificantes, quod Deus creauit & fecit omnia visibilia & inuisibi-
Actor. 14. lia, inueniantur. Item in Actibus Apostolorum Paulus & Barnabas; *Viri fratres,* annunciamus *vobis, ab his*

vanis

vanis conuerti ad Deum viuum & verum, qui fecit cælum & terram, & omnia, quæ in eis sunt, dans pluuias de cælo, & tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda vestra.

CAPVT II.

Non esse duos Deos.

HOc quod hæreticici dicunt, duos esse Deos, vnum omnipotentem, & alium, malignum, cōtra omnem diuinam scripturam sentiunt. Quia, omnis scriptura, diuinitus inspirata, noui & veteris Testamenti, & omnium Prophetarum, vnum Deum solummodò affirmat. Dicit enim B. Paulus in Epistola ad Ephesios; *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma Vnus est Deus & pater omnium, qui est super omnia, & in omnibus nobis.* Item Marcus in Euangelio; Quidam de Scribis interrogauit Dominum Iesum, quod esset omnium primum mandatum: Iesus autem respondit ei; *quia primum omnium mandatum est; Audi Israel; Deus tuus, Deus vnus est. Et diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, &c.* Et ait illi Scriba; *Benè magister in veritate dixisti, quia vnus est Deus, & non est alius præter eum.*

Hæretici dicūt, duos esse Deos, vnum bonū, alium, malignum.

Ephes. 4.

Marc. 12.

CAPVT III.

Legem Mosaicam à vero Deo datam & latam.

DIcunt hæretici, *Legem Meysi quam Veterem dicimus, ab omnipotenti Deo non esse datam; sed, à principe malignorum spirituum.* Cui errori plurimæ

rimæ auctoritates diuinarum scripturarum contradicunt. Dicit enim Dominus in Euangelio secūdum Matthæum: *Nolite putare, quia veni soluere legem, aut Prophetas, non veni soluere, sed adimplere.* Ipse, qui filius Dei est, si lex à diabolo data fuisset, non dixisset; se eam adimplere; imò destrueret. Item; secundum Lucam: *Postquam consummati sunt dies purgationis MARIÆ, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini, &c. Et, vt darent hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini.* Et iterum, *Et vt peracta sunt omnia secundum legem Domini, reuersi sunt in ciuitatem Galilaeam suam Nazareth.* Et hoc certum est, & sine omni dubitatione, Christum, qui verus Deus, & verus homo est; non consentiret diabolicæ legis præcepta in se seruari, vel implere.

Matth. 5.

Luce. 2.

Ioan. 5. Item in Euangelio secundum Ioannem Dominus dicit; *Nolite putare; quia ego accusaturus sim vos apud patrem; Est, qui accusat vos Moyses, in quo vos speratis. Si enim crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi, de me enim ille scripsit. Si autem illius literis non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Ac si dicat, qui non credit verba veteris legis, & in fide sua non recipit, verba Euangelii ad suam salutem credere, vel recipere non potest. Item in Euangelio secundum Lucam; Dominus dixit cuidam Legisperito, se interroganti, quid facere deberet, vt vitam possideret æternam, quærens ab eo, quid esset scriptum in lege? Ille peritus respondens dixit ei; *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mente tua, & proximum tuum sicut teipsum:*

Luca. 10.

dixit-

dixitque illi; rectè respondisti; hoc fac & viues. Si enim lex Moysi à Deo data non fuisset, nunquam Christus pro eâ obseruandâ, vitam promisisset. Item in eôdem Dominus testatur; *habent Moysen & Prophetas; audiant illos, &c.* In hoc apparet, quòd obseruatio legis & Prophetarum non permittit hominem ire ad pœnarum loca inferni. *Luca. 16.*


Item in eôdem; cùm Christus resurrexisset à mortuis, duobus discipulis euntibus in castellum Emaus, apparens legem testificans dixit; *Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? Et incipiens à Moyse, & in omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus scripturis, quæ de ipso erant;* Si enim lex data esset à diabolo Moysi, nunquam Christus suis discipulis doceret, & interpretaretur. Item in eôdem ipsa Veritas dixit; *quoniam necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & psalmis de me.* Item in Euangelio secundum Matthæum; Dominus Pharisæis quærentibus; quare discipuli eius traditiones seniorum transgrederentur? dicit; *Quare & vos transgredimini mandatum Dei, propter traditionem vestram? Nam Deus dixit; honora patrem tuum & matrem tuam; Et quicunque maledixerit patri, vel matri, morte moriatur.* Et certum est hoc testimonium de lege Moysi. Et Christus dixit, hoc testimonium à Deo esse dictum & datum: Ergò lex à Deo data est. *Luca. 24.* *Ibidem.* *Matth. 15.*

Item in Actibus Apostolorum Paulus ait; *Annuntio vobis,* DEVS, *qui fecit cælum & mundum, & omnia, quæ in eo sunt; hic cæli & terræ cùm sit Dominus.* Idem Paulus in eodem (lib.) excusans se aduersus Iudæos, de his, de quibus accusabatur ante Felicem præsidem *Actor. 17.* *Actor. 24.*

Cæsareæ dicens; *Confiteor hoc tibi, quod secundum sectam, quam Iudæi dicunt hæresim, sic deseruio Deo meo patri, credens omnibus, quæ in lege & Prophetis scripta sunt.* Item
Rom. 8. Paulus in Epistola ad Romanos: *An ignoras,* dicit: *lex peccatum est? absit. Lex quidem sancta & bona, & mandatum sanctum, & iustum, & bonum.*

CAPVT IV.

Moysen non fuisse Magum.



TEM sunt quidam hæretici, qui Moysen Magum fuisse, asserunt, & omnipotentem Deum non ei fuisse locutum, nec, ei dedisse legem. Contra quem errorem Paulus in Epistola ad
Heb. 1. Hebræos scripsit dicens; *Multifariam, multisque modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis locutus est nobis in filio.* Sed Moyses est vnus ex Prophetis, quibus Deus locutus est. Dicitur & *fidelis in*
Hebr. 3. *Domo*, cui Deus locutus est: Item in eodem: *Omnis namque domus fabricatur ab aliquo: qui autem omnia creauit, Deus est.* Et Moyses quidem fidelis erat, *in tota domo eius, tanquam famulus, in testimonium eorum verborum, quæ dicenda erant, Christus verò tanquam filius in domo sua: quæ domus, sumus nos, si fiduciam & gloriam spei vsque ad finem firmum retineamus.* Apostolus verò non eum esse Magum, sed fidelem in domo Dei esse famulum testatur.

Item Moyses in multis scripturis noui & veteris Testamenti, ac Prophetarum amicus, & fidelis Dei
Hebr. 11. dicitur. Sic B. Paulus in Epistola ad Hebræos de eo commemorauit dicens; *Fide Moyses grandis factus negauit se esse filium Pharaonis, magis eligens affligi cum populo Dei,*

lo Dei, quàm temporalis peccati habere iocunditatem, maiores diuitias æstimans thesauro Aegyptiorum improperium Christi. Aspiciebat enim in Dei remunerationem: quia hoc apparet certissimè, quoniam B. Paulus de Moyse, & de lege Moysi, & de Deo Hebręorum non diffidebat: sed Moysen & sanctum, & bonum, & legem sanctam & bonam, & Deum Hebræorum omnipotentem Deum asserebat, & corde credebat.

CAPVT V.

Matrimonium esse licitum.

HÆretici secundum Tatianum hæreticum, qui matrimonium damnabat omne; matrimonium maris & feminæ ad inuicem commiscentes, nullo modo posse saluari dicunt & credunt. Sed huic errori multa testimonia diuinarum scripturarum noui & veteris Testamenti sunt contraria.

Habetur in Euangelio secundum Matthæum, quòd Dominus Pharisæis se interrogantibus dixit, *Si licet homini dimittere vxorem suam, quacunque ex causa?* Qui respondens, ait eis: *Non legistis, quia, qui fecit ab initio masculum & feminam fecit eos, & dixit: propter hoc, dimittet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo, in carne vna. Itaque iam non sunt duo, sed vna caro. Quod ergò Deus coniunxit, homo non separet.* Sed Christus ad hoc venit in hunc mundum, vt hominē ab omni malo separet, & feminam similiter. Sed omne, q impedit hominem à vita ęterna, malū est; sed, si malū esset (vti) matrimonio, nunquam prohiberet Matth. 19.

Christus

Christus separari: nec etiam consentiret: qui in nullum malum consensit. Item in Marco de eodem: *Ab initio autem creaturæ, masculum & feminam fecit eos Deus, &c.* Item in Luca; *Fuit in diebus Herodis regis Iudeæ sacerdos quidam nomine Zacharias, de vice Abia, &c. Erant autem ambo iusti ante Dominum, incedentes in omnibus mandatis & iustificationibus Domini sine querela.* Sequitur itaque; quoniam iusti erant, saluabantur. *Et non erat filius illis; eo quòd Elizabeth esset sterilis, & ambo processissent in diebus suis.* Et etiam notandum, quòd non stetit per virum, quòd non haberet filium: sed per mulierem, quia sterilis erat. *Et Angelus Domini apparens Zachariæ in templo, dixit ei: Ne timeas Zacharia: quia exaudita est oratio tua. Vxor enim tua pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem, &c. Erit enim magnus coram Domino; & Spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.* Item, vnde hoc sciam? *Ego enim sum senex, & vxor mea, processit in diebus suis.* Et nota, quia hoc dixit, non credens verbis Angeli propter vxoris senectutem, quia ipsa præcesserat conceptiuam ætatem. Item; *Innuebant patri eius; quem vellet vocari eum.* Euangelista non vocaret eum patrem, nisi haberet filium. Nemo enim potest esse pater naturalis, nisi filium naturalem habeat. Item; *Zacharias pater eius impletus est Spiritu sancto.* Ecce trina paternitatis affirmatio. Et Euangelium non aufert eis, quin sint iusti ambo ante Dominum pro generatione filij: si incedant in omnibus mandatis Domini; nec in Veteri Testamento, nec in nouo.

Marc. 10. *Luca 1.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ibidem.*

1. Corin. 7. Item in Epistola ad Corinthios Apostolus dans consilium fidelibus Christianis, dixit: *Propter fornicatio-*

catio-

cationem vnusquisque suam vxorem habeat, & vnaquaque virum suum. Vir vxori debitum reddat; similiter & vxor viro. Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir corporis potestatem non habet, sed mulier. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, vt vacetis orationi. Id est, nolite continere, altero nolente. Item in eodem; *Dico autem non nuptis, sed viduis, si sic permanserint, sicut ego; quod si non continent, nubant: Melius est enim nubere, quam vri. His autem, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus; vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* Item sequitur: *si quis ergò vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam, &c. Sanctificatus est enim vir infidelis per mulierem fidelem*: & è conuerso: *Aliôqui filij vestri immundi essent. Nunc autem mundi sunt.* Non credidit Apostolus, virum & vxorem, si sunt fideles, pro redditione maritalis debiti amittere suam sanctitatem; si cætera eorum opera sint bona.

Item Apostolus in eadem; *Si acceperis vxorem, non peccasti: Et, si nupserit virgo, non peccauit.* Idem in eâdem Apostolus ait: *qui matrimonio iungit virginem suam, benè facit: & qui non iungit, melius facit.* Hæc præcepta supra dicta Apostolus suis discipulis non daret, & hæc verba eis non scriberet, si propter hoc coniugale factum crederet eos esse damnandos.

Item Apostolus in Epistola ad Timotheum; *Spiritus manifestè dicit, quia in nouissimis temporibus discedent quidam à fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum; in hypocrisi loquentiũ mendacium, prohibentium nubere.* Et nota, quòd spiritus sanctus apertè ma- 1. Timo. 4.

nifeſtauit quoſdam de fide diſcedere, & eos (doctrinis) dæmoniorum adhærere, mendacium in hypocriſi loqui. Et illi tales, nubere prohibent. Item in eodem Apoſtolus; *Volo iuniores nubere, filios procreare, matresfamilias eſſe, nullam occaſionem dare aduerſario maledicti gratia.* Et nota; ꝙ Apoſtolus non credidit, pro hoc facto eſſe aliq̃ damnationis occaſioné cõiugatis.

Item habemus in Epiſtola 1. B. Petri. B. verò Petrus Apoſtolus qui princeps omnium Apoſtolorum, à Deo conſtitutus fuit, & etiam totius Eccleſiæ caput,
Matth. 16. vt in Euangelio Chriſtus ait, *Tu vocaberis Cephas*, & in eodem, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam*, poſtquam viris, fidelibus Chriſtianis doctrinam ſuam ſcripſiſſet, ſcripſit mulieribus, qualiter propriis viris ſuis ſubiectæ eſſent, humilitatem
1. Pet. 3. ſeruantes, cũ modeſtiã dicens: *Similiter & mulieres ſubditæ ſint viris ſuis; vt &, ſi qui non credunt verbo, per mulierum conuerſationem ſine verbo lucrifiant, &c. ſic enim aliquando ſanctæ mulieres, ſperantes in Deo, ornabant ſe ſuis viris, ſicut Sara, obediebat Abrahæ, Dominum eum vocans, cuius eſtis filiæ, benefacientes, &c.* Hic innuit B. Petrus viros ab vxoribus, & vxores à viris nõ diſcedere; quia Abraham à Sara, vxore ſua, non diſceſſit, niſi per mortem: ſed, nutu Dei cognouit eam, & filium genuit, ſicut Elcana, Annam, & Ioachim Suſannam.

1. Cor. 11. Item B. Paulus in Epiſtola ad Corinthios; *Volo vos ſcire, quòd omnis viri caput eſt Chriſtus, caput autem mulieris eſt vir, caput verò Chriſti, eſt Deus. Non vir ex muliere, ſed mulier ex viro. Etenim non eſt creatus vir propter mulierem, ſed mulier propter virum. Veruntamen, neque vir ſine muliere, neque mulier ſine viro, in Domino.*

Item

Item habetur secundum Ioannem; quod saluator noster, & mater eius, & discipuli eius vocati venerunt ad nuptias, & in iisdem nuptiis, initium signorum suorum coram discipulis suis fecit, scilicet de aqua vinum. Propter hoc certissimum est, nuptias esse bonas, quia non est credendum, nisi bonæ essent, Christum venisse: Nec tantum (quia) miraculum in eas fecisse. Item Paulus in Epist. ad Corinth. *Mulier alligata est lege viri, quanto tempore vir eius viuit; quod si dormierit vir eius, liberata est à lege viri; & cui vult, nubat, tantum in Domino.* Item Paulus ad Timotheum: *Saluabitur mulier per generationem filiorum, si permanserit in fide, & dilectione, & sanctificatione, & sobrietate.* *Ioan. 2.* *1. Corin. 7.* *1. Tim. 2.*

CAPVT VI.

Conceptionem & Natiuitatem Ioannis Baptistæ à bono Angelo annunciatam esse.

ITem Ioannem Baptistam non à bono Angelo, sed à dæmoniaco nunciatum fuisse. Nec bonũ eum esse credunt. Sed contra hunc errorem multa in Euangeliis testimonia inueniũtur: vt in Euangelio B. Ioannes scripsit; *Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in testimonium, &c.* Item idẽ in eodem testatus est de Christo; *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Item; testimoniũ Ioannes perhibuit de Christo; *Qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; super quem videris spiritum Dei descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto, &c.* Item in eodem; *Qui habet sponsam, spon-* *Ioan. 1.* *Ibidem.* *Ibidem.* *Ioan. 3.*

sus est: Amicus autem sponsi, qui stat, & audit cum gaudio, gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergò gaudium meum impletum est. Item in Euangelio secundum Matthæum Christus ipsum Ioannem *Baptistam commendat dicens:*
Matth. 11. *Amen dico vobis; non surrexit inter natos mulierum maior*
Ibidem. *Ioanne Baptistá.* Item; *Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis, & plus, quàm Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est; Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam meam ante te.* Qui de Ioanne sentit malum, vel peruersè, contra Christum, & contra Apostolos, & contra Catholicam fidem est.

Matth. 4. Habemus in Euangelio, quod ipse Ioannes Baptista in flumine Iordanis Christum baptizauit, & Spiritum sanctum in specie columbæ super eum descendẽtem vidit, & cælos apertos, & vocem patris di-
Ibidem. centis: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Si ipse esset à maligno spiritu nunciatus, vt hæretici dicunt; nunquam Christus ab eo se permitteret baptizari: nec tantum sacramentum ab eo vellet initiari. Item in Matthæo, ipse Christus eum appro-
Matth. 21. bat dicens Pharisæis; *Amen amen dico vobis, quia publicani & meretrices præcedunt vos in regnum Dei. Venit enim Ioannes Baptista ad vos in via iustitiæ, & non credidistis ei: Publicani & peccatores & meretrices crediderunt ei. Vos autem eum videntes, nec pænitentiam habuistis postea, vt crederetis ei.* Ecce Christus de Ioanne Baptista asseuerat dicens; quod in viam iustitiæ in qua itur ad regnum Dei, ipse Ioannes in ea ambulabat, & eam prædicabat. Quod non ageret, si malignus, vel à maligno spiritu fuisset nunciatus. Item in Euangelio secun-

secundum Ioannem de commendatione Ioannis Baptistæ: *Vos misistis ad Ioannem: ipse testimonium veritati perhibet. Ego autem non ab homine testimonium accipio: sed, hoc dico, vt vos salui sitis: Ille, erat lucerna ardens & lucens. Voluistis autem vos exultare ad horam in luce eius.* *Ioan. 5.*

CAPVT VII.

De Christi Incarnatione, Natiuitate, Passione, Morte, Resurrectione, & num verè manducauerit ac biberit.

DE Incarnatione Christi sunt quidam hæretici: inter istos Condomanam hæresin sequentes; qui dicunt, *Christum non ex femina natum; nec habuisse veram carnem; nec verè mortuum; nec quidquam passum: sed simulasse passionem. Nec credunt eum manducasse; nec, bibisse; & quasi phantasticum corpus habuisse; nec eum resurrexisse.*

Contra hunc errorem hæreticorum eorum, qui non credunt Christum de Virgine femina fuisse natum, destruendum, testimonium habemus in Matthæo: *Cùm natus esset Iesus in Bethlehem Iudæ.* Idem in eodem; Apparuit Angelus Domini in somnis Ioseph dicens; *Surge, & accipe puerum cum MARIA matre eius, &c.* Item in Euangelio secundum Lucam; *Ascendit autem Ioseph à Galilæa in Bethlehem ciuitatem, vt profiteretur ibi cum MARIA desponsata sibi vxore prægnante. Et impleti sunt dies, vt pareret; & peperit filium suum primogenitum, &c.* Idem in eôdem; Angelus, *Matth. 2.* *Ibidem.* *Luca. 2.*

Domini natiuitatem pastoribus nunciauit dicens: *Ecce enim Euangelizo vobis gaudium magnum, quod erit omni populo; quia natus est vobis hodie saluator, qui est Christus Dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: inuenietis infantem pannis inuolutum, & positum in præsepio.* Item in eodem: *Postquam consummati sunt dies octo, vt circumcideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus: quod vocatum est ab Angelo, priusquam in vtero conciperetur.*

Ibidem. Item in eodem; *Cùm factus esset Iesus annorum duodecim; ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem diei festi, consummatisque diebus, cùm redirent, remansit puer Iesus in Hierusalem; & non cognouerunt parentes eius, &c. Et Iesus proficiebat ætate & gratia, & spiritu sancto apud Deum, & homines.* Item in Epistola ad

Galat. 4. Galatas, Paulo attestante; Christum natum fuisse ex muliere, cùm dixit; *At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos, qui sub lege erant, redimeret.*

Habemus etiam plura testimonia de Christi conceptione, natiuitate, circumcisione, pueritia, ætate,

Ioan. 18. adolescentia. Item Ioannes de natiuitate; *Ego in hoc natus sum, & ad hoc veni, vt testimoniū perhibeam veritati.*

De incarnatione Christi, testimonia aduersus hæreticos qui non credunt Christum habuisse veram carnem, sed aërium corpus eum assumpsisse.

Sed contra hunc errorem Ioannes Euangelium suum scripsit dicens: *In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum, &c. Et Verbum*

Ioan. 19. *caro factum est, & habitauit in nobis.* Item in eodem; *Iudæi rogauerunt Pilatum, quoniam Parasceue erat, vt non remanerent corpora in cruce sabbato, &c. vt eorum crura frange-*

frangerentur. Et milites quidem primi fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus est cum eo; Ad Iesum autem cum venissent, vt viderunt eum iam mortuum, non fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit; & continuò exiuit sanguis & aqua: Et qui vidit, testimonium perhibuit; & verum est testimonium eius. Et Ioannes in Epistola 1. dicit: *Omnis spiritus, qui confitetur Iesum in carne venisse, ex Deo est. Et, omnis spiritus, qui soluit Iesum, ex Deo non est*, id est, negat eum * carnalem esse hominem, *Et hic est Antichristus.* Item in eadem: *Et scimus; quoniam filius Dei venit, & induit carnem pro nobis, & mortuus est, & resurrexit à mortuis, pro nobis.* Item idem Ioannes in secunda Epistola: *Iam multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur Iesum Christum in carne venisse. Hic est seductor & Antichristus. Omnis, qui recedit, & non manet in doctrina Christi, Deum non habet. Qui permanet in doctrina*, hoc est, in fide Apostolica, hic, & patrem, & filium habet. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, sed Iesum Christum in carne venisse negat; nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dicatis. Qui enim dicit illi, Aue, communicat operibus illius malignis.*

1. Ioan. 4.

** ex carne vera compositum.*

Ibidem.

Ibidem.

Item Paulus in Epistola ad Romanos; *Quod ante promiserat per Prophetas suos in scripturis sanctis, de filio suo, qui factus est ei ex semine Dauid secundum carnem, qui prædestinatus est filius Dei, &c.* Item Petrus in Epistola prima: *Christo ergò passo in carne, & vos eâdem cogitatione armamini, quia, qui passus est in carne, desiit à peccatis.*

Rom. 1.

1. Pet. 4.

Item contra eosdem hæreticos, qui non credunt Christũ passum, nec fuisse mortuũ: contra hunc errorem

Matth. 27. rem Matthæus in Euangelio scripsit dicens; IESVM flagellatum Pilatus tradidit Iudæis vt crucifigeretur, *Tunc milites præsidis suscipientes Iesum in prætorio exuentes chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de spinis, posuerunt super caput eius, & arundinem* Ibidem. *in dextera eius, &c.* Item in eodem; *Tum crucifixerunt eum, &c.* Item in eodem; *Tunc vnus militum accepta lancea, punxit latus eius, & exiuit sanguis & aqua.* Hæc de Christi passione, & eius morte, Cæteri Euangelistæ in Euangeliis suis hæc eadem testificantur. Item Actor. 2. in Actibus Apostolorum, *Petrus stans cum omnibus Apostolis inter Iudaos, dixit; Viri Israëlitæ, audite verba hæc; Iesum Nazarenum, virum approbatum à Deo, verbis, virtutibus, prodigijs & signis quæ fecit per illum Deus in medio vestri, sicut vos scitis: hunc definito consilio, & præscientia Dei traditum, per manus iniquorum affligentes interemistis; quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni.* Et hoc testimonium (est) de passione, & morte Christi, & etiam de resurrectione, quod omnes Apostoli in eodem loco manentes testificati sunt.

1. Pet. 2. Item Petrus de passione Christi in Epistola 1. *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius, &c. Cùm pateretur, non comminabatur; qui peccata nostra pertulit corpore suo super lignum;* Rom. 5. cuius morte sanati sumus. Item Paulus in Epistola ad Romanos de morte eius dixit; *quoniam cùm adhuc pec-* Rom. 8. *catores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Idem in eâdem; *Christus Iesus, qui pro nobis mortuus est, imò, qui & resurrexit;* Et de his plura testimonia habentur.

De Christi resurrectione contra hæreticos, qui non credunt Christum resurrexisse à mortuis. Matthæus

thæus in Euangelio de resurrectione Christi dicit: *Angelus dixit mulieribus; nolite timere: scio, quod Iesum, qui crucifixus est, quæritis. Non est hic, surrexit, sicut dixit.* Hoc idem testatur Marcus & Lucas in Euangeliis suis. Item Ioannes in Euangelio dicit; *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud. Ille autem dicebat de templo corporis sui. Cùm ergò resurrexisset à mortuis, recordati sunt discipuli eius, quia hoc dicebat, &c.* Item in Euangelio secundum Lucam, humanam carnem Christum habere, testimonium affirmans: *Videte manus meas & pedes meos; quia ego ipse sum: palpate & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes.* Item Ioannes in Euangelio de carnis resurrectione; *Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio discipulorum suorum, & dixit eis, pax vobis. Deinde dicit Thomæ; infer digitum tuum huc, & vide manus meas; & affer manum tuam, & mitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed fidelis.*

Matth. 28. Ioan. 2. Luca 24. Ioan. 20.

Sunt quidam hæreticorum, qui non credunt, quod Christus manducauit, & bibit, dum cum suis discipulis manebat ante passionem. Sed contra hunc errorem destruendum habemus in Euangelio, secũdum Matthæum testimonium, quod ipse Christus, qui est Veritas, protulit dicens: *Venit enim Ioannes Baptista, neque manducans panem, neque bibens vinum, & dicunt; dæmonium habet. Venit filius hominis manducans, & bibens, & dicunt; Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Hoc idem testatur Lucas in Euangelio. Item Lucas in Euangelio, testimonium perhibet, quod ipse manducauit dicens; *Rogabat autem quidam de Pharisæis, vt manducaret cum*

Matth. 11. Luca. 7.

illo. Certissimum est, eum manducasse; aliter non inuitaretur ab aliquo, ad manducandum.

Luc. 11. Item eôdem Lucas; *Rogauit quidam Pharisæus, vt pranderet apud se; & ingressus recubuit*. Idem in eôdem testatur; *Et factum est, cùm intraret Iesus in domum cuiusdam principis Pharisæorum manducare panem*. Item Ioan. 4. Ioannes in Euangelio: *Rabbi, manduca*. Hoc dixerunt ei discipuli sui, cùm venissent à Samaria, afferentes cibos, quos emerant, &c. Si aliquis obiiciat; eum illis dixisse; *habeo alium cibum manducare, quem vos nescitis*. Verum est, quia ipse Christus duobus cibis vtebatur, scilicet carnali & spirituali, hoc, de spirituali dixit. Nec enim minus est credendum, quod cæteri Euangelistæ testantur, eum vsum fuisse cibo temporali.

Matth. 26. Item in Euangelio secundum Matthæum, quando interrogauerunt eum discipuli dicentes: *Vbi vis, paremus tibi, comedere Pascha?* dixerunt, *tibi*, non, *sibi* Ibidem. *parare Pascha*: quod certificat, eum manducasse cibum temporalem, dum erat cum illis. Item in eodem testimonium (est,) quod ipse Christus dixit: *qui intingit mecum manum in paropsidem, hic me tradet*. Non est credendum, quod ipse Christus manum in paropsidem intingeret, nisi manducaret. Hoc idem Marcus & Lucas testificantur in Euangeliis suis. Hæc testimonia sunt de Christi comestione, antequam pateretur. Luc. 24.

Post passionem verò suam testatur Lucas in Euangelio eum coram discipulis suis manducasse dicens; *Habetis hic aliquid, quod manducetur. At illi obtulerunt*

lerunt ei partem piscis assi & fauum mellis. Et cùm manducasset coram eis, sumens reliquias, dedit eis. Ibidem Lucas in Actibus Apostolorum testatur dicens; *Et conuescens praecepit eis, ab Hierosolymis ne discederent.* Et ita certissimum est ac firmum, Christum, antequam pateretur, omnibus actibus humanis vti, vt Paulus in Epistola ad Philip. testatur dicens; *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Iesu, qui, cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est esse se aequalem, sed semetipsum exinaniuit formam serui accipiens, & habitu inuentus vt homo, humiliauit semetipsum vsque ad mortem.* Et ista de Christi humanitate sufficiant. Actor. 1.

CAPVT VIII.

De Ecclesiis manufactis.

DE Ecclesiasticorum institutionibus in veteri Testamento legitur, quòd Dominus Moysi tabernaculum non manufactum in monte ostendit dicens; *Vade, & fac tabernaculum non manufactum simile huic, in quo habitem inter illos, quando loquar ad te: in quo offerantur à sacerdotibus dona, & libamina, & sacrificia, & hostiae & oblationes allatae à populo Israëlitico.*

Tunc Moyses secundum praeceptū Domini fideliter peregit. Et post Moysen, quando populus Israël intrauit terrā promissionis detulit illud secū in Silo; in quo erat arca Testamenti; intra quam erat vrna aurea

continens manna, & tabulæ Testamenti, & virga Aaron, quæ fronduerat.

Deinde post multum tempus, Salomon filius Dauid, iussu Domini ædificauit templum manufactum in Hierusalem; in quo omnis populus Israeliticus ad adorandum & sacrificandum conueniebat: sicut & Patres eorum in priori Tabernaculo venire consueuerant: ita obseruantes legalia præcepta Dominica, vsque ad aduentum Christi.

Veniens autem Christus, nolens destruere legem, sed adimplere, à suis parentibus voluit in eo pręsentari, & secundum legem datam à Deo, sicut mos erat offerri. Inuenitur post hoc, eum venisse in templum in adolescentia cum parentibus suis, cùm XII. esset annorum. Post triginta verò annos suæ ætatis, venit Hierusalem, vt inuenitur in Euangelio secundum Matthæum; *& intrauit in templum, & omnes ementes & vendentes eiecit de templo dicens; Domus mea, domus orationis vocabitur;* Nam & ipse Christus testificatus est templum *domum Dei esse,* (&) *orationis.* Item Marcus idem testimonium iisdem verbis protulit in Euangelio suo: & etiam prohibebat, ne quisquam ferret vas per templum. Item Lucas his verbis testatur in Euangelio suo. Item Ioannes in Euangelio suo scripsit dicens; *Et Iesus inuenit in templo vendentes boues & oues, & columbas, &c.*

Luc. 2. Ibidem. Ibidem. Matth. 21. Marc. 11. Ioan. 2.

Inuenitur in Euangeliis, quod Christus multoties venit in templum, ibique docebat populum: Et in eo multa signa & miracula in curationibus infirmorum faciebat, vt Matthæus Euangelista narrat: *Et accesserunt ad Iesum cæci & claudi, & sanauit eos.* Habemus

bemus & in Euangeliis, dum Iesus prædicando perambulasset ciuitates Israëliticas, intrabat potius synagogas Iudæorum, ibique docens populum de regno Dei; & in eis multa signa & mirabilia peragebat, vt dicitur in Matthæo. *Et circuibat Iesus ciuitates omnes & castella, docens in Synagogis eorum, & prædicans Euangelium, & curans omnem languorem, & omnem infirmitatem.* Item in Euangelio Matthæi ipsemet testatur dicens vobis; *quotidie apud vos sedebam docens in templo.* Iisdem verbis testatur Ioannes in Euangelio suo: *Ego semper docui in synagoga, & in templo, quo omnes Iudæi conueniunt; & in occulto locutus sum nihil.* *Matth. 21.* *Matth. 9.* *Matth. 26.* *Ioan. 18.*

Si obiicitis nobis, quòd sæpius prædicabat in aliis locis, quàm in templis, vel in synagogis: verum est: sed propter turbarum multitudinem ad se venientium, ne essent impedimento ministris templi & synagogarum; ne minus redderent vota sua: & ea, quæ sibi iniuncta erant; in montibus, & in aliis locis discedebat.

Post ascensionem verò eius discipuli, Christum magistrum suum & saluatorem imitari cupientes, quandiu in Hierusalem morarétur, quotidie in templum orare veniebant, vt in Actibus Apostolorum inuenitur; *quotidie erant Apostoli perdurantes & orantes vnanimiter in templo.* Et iterum, *Petrus & Ioannes ascendebant in templum, vt orarent, ad horam orationis nonam.* Item in eodem; cùm Annas princeps sacerdotum, & omnes, qui cum illo erant, iniecerunt manus in Apostolos, & posuerunt illos in custodia publica: *Angelus autem Domini per noctem aperiens ianuas carceris, & educens eos, dixit; Ite, & stantes loquimini in* *Actor. 2.* *Actor. 3.*

templo plebi omnia verba vitæ huius. Vnde habuit initium domus orationis manufacta, quam nos Ecclesiam vocamus.

Cùm Apostoli, & eorum discipuli ab Hierusalem essent expulsi, & per diuersas mundi partes, Dei voluntate, fuissent dispersi, & in ciuitatibus vniuersis Iudæorum vidissent ædificia synagogarum; transeuntes ad gentes, diuersorum templa idolorum intra ciuitates eorum inuenientes; in quibus sua vota, & sua sacrificia dæmoniorum idolis offerentes, & ad hæc persoluenda, assiduè erant conuenientes: iniecerunt Apostoli consilium à Spiritu sancto; vt à tanto errore, & maleficio facilius possent euellere; &, à diabolicis vinclis, eos eruere; vt in nomine patris, & filij & Spiritus sancti domus manu factas ædificare iuberent: & ad instar templi eas ædificare ostenderent, in quibus fidelis populus ad baptizandum, & adorandum, & sacrificandum, ad verbum Dei audiendum, & ad omnia Christianitatis sacramenta percipiendum, fideliter ac deuotè conuenirent. Et in eas domos, quas propter congregationem populi in eis, *Ecclesias* vocamus; Apostoli ministros, videlicet Episcopos, presbyteros, diaconos ad Christi mysterium perficiendum, constituerunt, sicut in Actibus Apostolorum legitur: *Et cùm constituissent per singulas Ecclesias presbyteros, & orassent cum ieiunantibus commendauerunt eos Domino, in quem crediderunt.* Actor. 13.

Ex hoc habemus; quòd ab Apostolis presbyteri primitus in Ecclesia Dei fuerunt ordinati. Diaconos habemus in Epistola ad Corinthios: quos Apostolus 1. Cor. 11.

stolus redarguens, domum, in qua erant fideles congregati, vocauit Ecclesiam dicens: *Nunquid non habetis domus ad manducandum, & bibendum? aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos, qui non habent? Quid dicam vobis, laudo vos; in hoc non laudo.*

Item ait Paulus in Epistola ad Corinthios. *Mulieres in Ecclesiis taceant. Non enim permittitur eis loqui; sed, subditas esse, sicut lex dicit. Si quid autem volunt discere; domi viros suos interrogent. Turpe est enim mulieri, loqui in Ecclesia.* 1. Corin. 14.

In hoc, & multis aliis dat Apostolus intelligere, quod omnis domus, vbi fideles congregati sunt, ad participandum Christi sacramenta, constituta, Ecclesia nominetur.

Item Ioannes in Epistola vltima dicens comminando Diotrephi, scripsit; *Propter hoc si venero, commonebo eius opera, quæ facit, verbis malignis, garriens in nos: Et quasi non ei ista sufficiant; neq; ipse suscipit fratres, & eos, qui suscipiunt, prohibet, de Ecclesia eijcit.* Item Paulus ad Timotheum; *Si autem tardauero, vt scias, quomodo oporteat te conuersari in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei viui, &c.* 1. Tim. 3.

In his Testimoniis Apostolorum suprà scriptis, & in aliis multis in hoc tractatu inscriptis, planè ostenditur, quod *domus Dei*, & *domus orationis*, Ecclesia manufacta dicitur & intelligitur, in qua Christi sacramenta à ministris ordinatis ad salutem fidelium Christianorum perficiuntur.



CAPVT

CAPVT IX.

De Altaribus.

SED quoniam omnes hæretici Ecclesiam manu factam, & altaria, quæ in eis sunt, & sacramenta, quæ in eis à ministris Dei fiunt; & omnia ornamenta Ecclesiastica ad nihilum deputant, & ad salutem animarum nihil proficere dicunt, & despiciunt: ad hunc tantum errorem, & tam nefarium destruendum testimonia breuiter proferemus. Et primũ de altari; sine quo Ecclesia manu facta esse non debet, nec* dici debet; in quibus munera, oblationes, & hostiæ pro peccatis offeruntur. Habemus in Euangelio secundum Matthæum; quòd ipsa veritas offerentem docet, (&) qualiter offerre debeat; instruit dicens; *Si offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo; & tunc veniens, offeres munus tuum.* Hoc innuit ipse Christus, vt fideles habeant in Ecclesiis altaria, in quibus munera offerant.

* *benedici forte.*

Matth. 18.

Luca, 2. Item in Euangelio secundum Lucam: Inde Christus voluit offerri à parentibus suis in templo, secundum legem Domini: & offerri pro se hostias ad altare, quod erat in templo, scilicet *par turturum, aut duos pullos columbarum.* Ex hoc datur intelligi, quia sicut Christus offerri voluit altari, & pro se hostiam dari; vt omnes fideles, qui sunt in partibus mundi, vniuersim altaria habeant, in quibus, pro suis peccatis, Deo munera & oblationes offerant. Item Paulus de

lus de eodem in Epistola ad Corinthios, discipulos suos instruens, vt habeant altaria, & in his Deo seruiant: & de altario donis Deo seruientes fiant participes, ita scripsit; *qui altario deseruiunt, cum altario participent.* Item Paulus; vt scriptum est in Actibus Apostolorum, *obtulit in templo pro se, & pro cæteris; qui cum eo erant purificati, hostias ad altare*; nolés despicere, vel ad nihilum deputare altaria, sed exemplificauit. 1.Cor.9. Actor.21.

Item in Apocalypsi Ioannes testificatur, se vidisse altare in cælo, in quo incensa multa, quæ sunt orationes sanctorum, ab Angelo offerebantur. Vnde B. Ioannes, quia in cælo coram Deo altare aureum vidit; in terra, in Ecclesiis manu factis altare manu factum mundum & purificatum ædificari voluit. Apoc. 8. Ibidem.

Contra istos supra dictos errores, quasi maximam nubem testium veteris Testamenti, scilicet legis, Prophetarum & Psalmorum, possumus inducere. Sed quoniam ipsi hæretici respondere, (nec rationem reddere ad obiecta sibi testimonia veteris Testamenti legis & Prophetarum) nolunt; videlicet, quia ignorant: sed statim conuicti essent, propterea in his laborare noluimus, nisi tantùm in his testimoniis, quæ de libris noui Testamenti decerpsimus; quibus nolle respondere, nullam rationem reddere possunt; nunc iniustam occasionem habent.

CAPVT X.

De cantu Ecclesiastico.



Tem hæretici improbant Ecclesiæ cantum & laudes, quas Clerici de nouo & veteri Testamento reddunt Deo creatori suo. Contra

tra hunc errorem proferimus testimonium Pauli di-
Ephes. 5. centis in Epistola ad Ephesios: *Impleamini Spiritu san-*
cto, loquentes vobismet ipsis in psalmis & hymnis, & canti-
cis spiritualibus, cantantes in cordibus vestris Domino; gra-
tias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri
Iesu Christi, Deo & patri.

Coloss. 3. Item de eôdem Paulus ad Coloss. dicens; *Ver-*
bum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia,
docentes & commonentes vosmetipsos psalmis & hymnis,
& canticis spiritualibus in gratia cantantes in cordibus ve-
stris Domino.

Apoc. 5. Item Ioannes in Apocalypsi vidit XXIV. senio-
res, (qui) *ceciderunt coram Agno, habentes singuli phia-*
las aureas, plenas Odoramentorum, quæ sunt orationes san-
ctorum: & cantabant canticum nouum dicentes; dignus
es, Domine, accipere librum, & aperire signacula eius:
quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in sanguine tuo.

Apoc. 14. Itêm in eodem Ioannes dicens; *Et vocem, quam*
audiui, sicut citharœdorum citharizantium in citharis suis;
& cantabant quasi canticum nouum, ante sedem Dei. Et in
Apoc. 15. alio loco: *Habentes citharas Dei, & cantantes canticum*
Apoc. 11. *Moysi serui Dei, &c.* Item Ioannes in eôdem; *Audiui*
vocem magnam turbarum multarum in cælo dicentium Al-
leluia; Laus & gloria & virtus Deo nostro est; quia vera
& iusta iudicia eius sunt.

CAPVT XI.

De Sacramento Corporis & Sanguinis Christi.

POstquam de domo Domini, quæ est Ecclesia, ali-
qua, & non omnia, quę nobis occurrunt, perstrin-
ximus

ximus testimonia: de Sacramento corporis & sanguinis Christi, quod omnibus sacramentis est dignius: à quo, & cuius consecratio in domo Domini, quæ est Ecclesia Dei viui, Paulo attestante, celebratur; contra hæreticam prauitatem diuinam auctoritatem in medium proferamus. 1. Timot. 3.

Christus videns sibi imminere mortem, volens commendare nobis sacramentum corporis & sanguinis; accipiens panem & gratias agens, benedixit & fregit, deditque discipulis suis; & calicem similiter. Vnde Matthæus Euangelista; *Cænantibus autem eis accepit Iesus panem, & benedixit ac fregit, & dedit discipulis suis, & ait: Accipite, & comedite: hoc est corpus meum, Et accipiens calicem, gratias egit, & dedit illis dicens; Bibite ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus noui Testamenti; qui pro multis effundetur in remißionem peccatorum.* Matth. 26.

Item de eodem Marcus: *Et manducantibus illis, accepit Iesus panem, & benedicens, fregit, & dedit eis, & ait; sumite, hoc est corpus meum; Et accepto calice, gratias agens dedit eis: Et biberunt ex illo, omnes. Et ait illis: Hic est sanguis meus, noui Testamenti, qui pro multis effundetur,* Marc. 14. Item Lucas: *Et accepto pane, gratias agens, & fregit, & dedit eis dicens: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur; hoc facite in meam commemorationem.* Similiter *& calicem, postquam cænauit dicens: hic est enim calix nouum Testamentum in sanguine meo, qui pro vobis effundetur.* Euangelistæ namque asserunt, quod Dominus accepit panem, & benedixit, & dedit discipulis suis dicens; *hoc est corpus meum.* Luc. 22.

Nota singula; *accepit panẽ, benedixit, & fregit, & dedit,*

Non habetur in Euangelio, quod Dominus acceperit corpus suum, quod benedixerit; quod fregit, quod dedit discipulis suis. Sed testantur Euangelistæ, quod acceperit panem, & benedicens fregerit, & dederit eis dicens; *hoc est corpus meum: hic est calix meus noui Testamenti in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.*

Sed hæretici dicunt; quod illud, *hoc* demonstratiuum pronomen, non refertur ad panem, quem in manibus tenebat, & cui benedicebat, & quem frangebat, & suis discipulis distribuebat; sed, refertur ad corpus suum, quod hæc omnia perficiebat: Vnde, eorum error, tam nequissimus originem habuit; ignorantes vim pronominis. Hoc, non potest relatiuè referri, * nisi his, de quibus facta mentio: Sed in traditione huius sacramenti, de corpore suo mentio nulla tunc facta fuerat: ergò falsissimum est, quod autumant. Sed, sicut farina, & aqua, & sal, cùm hæc tria commista fuerint & decocta amplius non sunt farina, neque aqua, neque sal, quæ antè fuerant; sed, verè panis purus est, & dicitur: Ita panis, quem post cœnam Iesus Christus manibus suis accepit: postquam hunc benedixit & fregit, corpus Christi, non panis intelligitur esse, & creditur: quem Christus saluator noster & redemptor in cœna suis discipulis dedit dicens; Accipite, & comedite; hoc, est corpus meum. Eàdem ratione, & de calice, postquam gratias agens dedit suis discipulis, & dixit eis, bibite ex hoc omnes: hic est sanguis meus noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Et addidit; quotiescunque feceritis, hoc facite in meam commemorationem.

* *nisi ad ea.*

Hæc

Hæc verba, quæ à Christo in Cœna super istud sacramentum prolata fuerunt, maximè, quasi vltimum Testamentum, notari debent. Sed, cùm dixit, *quotiescunque feceritis, hoc facite in meam commemorationem*, in his verbis indicatur; quòd Christus istud tantum, & tam sanctissimum sacramentum, noluit, vt ibi finem haberet; sed Apostolis suis, sicut cohæredibus, & eorum successoribus, hoc sacramentum, post suam passionem & resurrectionem, & ascensionem suam in sempiternum facere præcepit in memoriam suæ passionis, & in spe salutis æternæ.

Cùm Dominus Iesus discipulos suos congregasset, carnem suam, in specie panis; & sanguinem suum, in specie vini se daturum, illis promisit, vt in Euangelio B. Ioannis continetur, & dicit: *Panis, quem ego dabo vobis, caro mea est, pro mundi vita.* Iudæi autem hæc audientes, inter se litigabant, dicentes; *quomodo potest nobis dare carnem suam ad manducandum?* Propter huiusmodi litigationem; & quia intellexit, eos spiritualem intellectum non habere; sub certa assertione dixit eis; *Amen amen dico vobis, nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Et; *qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam, & ego suscitabo eum in nouissimo die.*

Ioan. 6. *Ibidem.* *Ibidem.*

In his verbis notandum est, quod nemo potest habere vitam æternam, nisi manducauerit carnem ipsius, & biberit eius sanguinem, secundum hoc, quod ipse dixit. Sed ipse Christus noluit discipulos suos fallere, nec suum promissum exinaniri. Carnem verò suam, & sanguinem suum in specie panis

& vini in vltima cœna, vt manducarent sine oris abhorritione, suis discipulis dedit. Sed quæcunque verba Christus dixit, certissima & verissima sunt; neque, in aliquo fallunt. Multa enim dixit, quæ vera sunt; quæ, si alius dixisset, nec vera esse viderentur, nec crederentur.

Ioan. 10. Ille enim dixit; *Ego sum ostium; per me si quis introierit, saluabitur. Ego sum pastor bonus: Ego sum panis viuus: Ego sum vitis, & vos palmites. Ego sum via, veritas & vita.* Tanta enim est vis verbi Dei, atque virtus: vt omnia, quæcunque dixit, (facta sint) quod nullum vnquam fallit, nec præterit, sicut dixit Psalmista; *dixit, & facta sunt; mandauit, & creata sunt.*

Ioan. 6. Ioan. 15. Ioan. 14. Psal. 148.

Et hoc notandum, quod Euangelista non posuit præteritum; sed, præsens; quamuis post passionem scriberet, intelligens & credens hoc; quemadmodum Christus dixit, se esse, & est, & semper erit; ita sua verba, quæ Christus in Cœna protulit, coram suis discipulis, & eos docuit, eandem vim in se retinent, quam habuerunt in Apostolis in Sacramento panis & vini, scilicet corporis & sanguinis Domini; & eandem vim, & virtutem, & efficaciam in Dei ministris retinebunt vsque in finem seculi.

Postquam Dominus noster IESVS CHRISTVS, pro Iudæorum litigio, quod fiebat de carne sua, audiuit, & dixit eis; nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam & æternam resurrectionem: vt promissio manducationis eius sacramenti non videatur illis esse difficilis & inutilis, sed certa, & vtilissima; &, in præ-

præsenti tempore susceptibilis in specie panis & vini, quam eis in cœna dedit, & corpus suum distribuendum, asseruit, addit : *Caro enim mea, verè est cibus: & sanguis meus, verè est potus.*

Sed sunt quidam hæretici, qui credunt; audiendo verbum DEI, se manducare carnem filij hominis, & eius sanguinem bibere : quasi Christus nesciret dicere, qui omnia scit; *Verbum meum verè est cibus, & sanguis meus, verè est potus*, aliud verbum pro alio ponens. *Ioan. 6.*

Sed, cùm hoc dixit; *Caro mea, verè est cibus; & sanguis meus verè est potus* : non dixit, caro mea verè est auditus, vel intellectus; sed, operante spirituali gratia, caro mea, verè est cibus, & sanguis meus verè est potus.

Et hoc* propriè Christus dixit, & certissimum est, de sacramento panis & vini, quod in cœna eis tribuit; & quotidie à ministris DEI ordinatis hoc Sacramentum super altare in Ecclesia DEI consecratur cum ipsius verborum commemoratione: Sed, quia inde manducationis huius Sacramenti vtilitatem benè percipientibus ostendere voluit, addidit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego, in illo:* Et, *Qui manducat me, & ipse viuet propter me.*

** Propriè, quia, verè realiter & substantialiter corpus Domini comedimus, & sanguinem eius bibimus.*

Et hæc est virtus huius Sacramenti, & vtilitas benè percipiendi, quod consequitur: fidelem scilicet eum in Deo manere, & Deum, in eo. Et hic talis affert fructum multum, vt Ioannes testatur: *quia, sine me,* vt dicit ipsa Veritas, nihil *potestis facere.*

B. ve-

Beatus verò Paulus huius tanti, & tam certissimi sacramenti vim & vtilitatem audiens & cognoscens, & credens, suos discipulos instruere verbis & actibus volens, nihil vtile ad eorum salutem eis subtrahens, vt suis semper subsequentibus in memoria haberetur; in Epistola directa ad Corinthios scripsit dicens: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis; quoniam Dominus noster Iesus Christus, in qua nocte tradebatur, accepit panem, gratias agens fregit & dixit; Accipite, & manducate: hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur; hoc facite in meam commemorationem.* Et hoc notandum est, quod Christus iussit, discipulos hoc Sacramentum in sui memoriam facere; & vt illi suis discipulis traderent, sicut ipsi ab eo accipiebant, vt in memoriam ipsius, & suæ passionis per hoc sacramentum sempiterna in seculum seculi in fidelibus haberetur.

1. Cor. 11.

Item; Similiter & calicem, postquam cœnauit dicens; *hic calix noui Testamenti est in meo sanguine; hoc facite, quotiescunque biberitis, in meam commemorationem, quotiescunque enim manducabitis panem hunc; & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem, & biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Sed, si, vt hæretici dicunt; panis & vinum consecratum nullam habent dignitatem; quare Apostolus poneret, indignè accipientem panem consecratum, corporis & sanguinis Domini esse reum? Quia, si quis panem simplicem comedat, reus esse corporis & sanguinis Domini non dicitur, non creditur.

Ibidem.

Et i-

Et ideo Apostolus, * antequam quislibet, hoc sacramentum videlicet panis & vini percipere voluerit; *probet semetipsum*, id est, purget seipsum à peccatis suis: *Et sic, de pane illo edat, & de calice bibat.* * monet.

Item, ipse Apostolus reddit causam, quare percipiens purgatus à peccatis esse debet; cùm dicit; *qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Ibidem.

Item Apostolus approbans & affirmans hoc sacramentum panis & vini, esse corpus Domini, quod Corinthiis ostenderat verbo & facto, in Epistola eis transmissa scripsit dicens; *Calix benedictionis, cui benedicimus, nonne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nonne participatio corporis Domini est?* Non est in merito consecrantis, sed in virtute & veritate Spiritus sancti: *quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes, qui de vno pane participamus.* 1. Cor. 10. Ibidem.

In hoc capite manifestat Apostolus Paulus, quod ipsemet hoc sacramentum, quod à Domino acceperat, faciebat. Similiter & cæteri Apostoli. Item, Paulus Apostolus in eâdem: *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare: vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum; Et, alius quidem esurit, alius autem ebrius est:* Sed conuenire in vnum, & sua cibaria propria comedere, & nihil aliis largiri, sed inebriari, hæc facta non sunt, Dominicam Cœnam manducare, Apostolus reprehendendo Corinthios interrogans dicit; *Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum*, scilicet, cibaria simplicia? *Aut Ecclesiam Dei contemnitis, & confundi-* 1. Corin. 11.

funditis eos, qui non habent? Laudo vos in hoc; quod simul conuenitis in vnum in nomine Domini nostri IESV CHRISTI. *Non laudo vos in hoc; quia comeditis vestra propria cibaria; & confunditis eos, qui non habent, sed esuriunt, non habentes, quod manducent.*

Inde hoc apparet, & manifestum est, quod discipuli Apostolorum, eos imitantes, huius Sacramenti tractationem per vniuersum mundum memoriter peregerunt.

Et nos dicimus, & credimus, & omnis Romana Ecclesia à Beato Petro & Paulo primùm fundata, hoc dicit, & credit; quod omnis homo, qui in hoc Sacramento fidem non habet; & in cæteris Apostolorum traditionibus, sicut in Baptismo, in Confessione & pœnitentia, cæterisque Apostolicis institutis, quæ fiunt in Ecclesia præsenti; alienus est ab vnitate sanctæ Ecclesiæ & Catholicæ fidei, & segregatus à consortio sanctorum fidelium, videlicet præteritorum, & adhuc degentium, & damnatus est in secula seculorum.

CAPVT XII.

De Sacramento Baptismi.

POSTQVAM expediuimus, licet indigni, de corporis & sanguinis IESV CHRISTI, tractatu in Catholica Ecclesia, per vniuersum mundum extensa, vniuersaliter celebrato; de Baptismo incipiamus; & contra hæreticorum errores Baptismi aquæ inficiantes sacramentum; testimonia,

nia, quæ Spiritus sanctus nobis administrauerit, infringendo, auctoritates noui Testamenti proferamus.

Dicunt enim quidam hæreticorum, quod hoc sacramentum Baptismi aquæ, sine eorum manus impositione recipienti, ad salutem perpetuam consequendam, nihil prodest adultis, nec etiam paruulis. Et hic error, inter cæteros errores, in quibus volutantur latenter, maximus est. Habemus in Euangelio Ioannis, quod Ioannes Baptista, vt esset præcursor Christi, & verus præco, ab omnipotente DEO missus est baptizare in aqua, vt ipsemet Baptista testatur, dicens, (&) Ioannes testatur in Euangelio; *Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de cælo.* (Et;) *qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit; super quem videris spiritum Dei descendentem, & manentem, sicut columbam, ipse est, qui baptizat in Spiritu sancto.* *Ioan. 1.* *Ioan. 1.*

Item; in baptismate Christi, aperti sunt cæli, vox patris audita est; Spiritus sanctus apparuit. Vide magnum, & diuinum pietatis sacramentum. Tota enim Trinitas in baptismate Christi operata est; & dignata inter esse. Pater auditur, filius baptizatur, Spiritus sanctus apparet in specie columbæ. Filio Dei baptizato, cæli aperti sunt. Et quoniam tantæ dignitatis est institutio & sacramentum baptismatis, ideo Dominus ait in Euangelio Nicodemo; *Amen amen dico tibi, nisi quis natus fuerit denuò, non potest videre regnum Dei.* Item, *Amen, amen dico tibi, nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest videre regnum Dei. quod natum est ex carne, caro est, Et, quod natum est ex spiritu, spiritus est.* *Matth. 4.* *Ioan. 3.* *Ibidem.*

Audi hæretice: Duas oportet vos habere natiuitates; carnalem ſcilicet, & ſpiritualem: & teſtante diuino eloquio, qui caret natiuitate ſpirituali, non poteſt videre regnum Dei, nec intrare in illud: ſed ſpiritualis natiuitas non poteſt haberi, niſi carnalis habeatur. Quomodo ergò tu dicis, malum eſſe carnalem natiuitatem; ad quam ſequitur ſpiritualis natiuitas, quæ confert, videre regnum DEI, & intrare in illud, cùm ſpiritualis ſine carnali haberi non poſſit? Nunquam enim poteſt renaſci, qui nondum eſt natus. Oportet itaque prius naſci, & poſtea renaſci.

Habemus in Euangeliis, quod Baptiſta Ioannes Spiritu ſancto afflatus in deſertum abiit, & pœnitentiam & baptiſmum aquæ, ſibi aduenientibus prædicauit & præbuit. Vnde Chriſtus Ioannis Baptiſmum aquæ ſanctificare & confirmare volens, ad eum veniens, ab eôdem baptiſmum aquæ in ſe accipere dignatus eſt: præbens omnibus fidelibus exemplum, ſacramentum baptiſmi aquæ ad animarum ſalutem percipiendam, debere recipere, in quo, ab omnibus peccatis tam originalibus, quàm actualibus mundantur: &, ſine quo, eſt fides vniuerſalis Eccleſiæ, quod omnis deſpiciens hoc Sacramentum, & accipere nolens; æternam vitam nullo modo mereri, nec conſequi poteſt, vt Saluator noſter IESVS CHRISTVS in Euangelio B. Ioannis teſtatur dicens; *niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt intrare in regnum Dei.* *Ibidem.*

Habemus etiam in Euangelio, quòd diſcipuli eius,

eius, eo iubente, ante passionem, credentes in filium Dei baptizabant; vbi dicit: *Vt ergò cognouit Iesus, quia audierunt Pharisæi, quod* IESVS *plures facit discipulos, & baptizat, quàm Ioannes; (quanquam* IESVS *non baptizaret, sed discipuli eius) reliquit Iudæam, &c.* Ioan. 4.

Sed sciendum est, quòd Baptista Ioannes, in nomine Domini, qui eum miserat, baptizabat: Sed Dominus noster IESVS CHRISTVS; quia à patre de cælis missus fuit, humano generi æternam salutem secum afferens, vsum sacramenti baptismi discipulos suos docens, per vniuersum mundum eos mittens, iussit eos prædicare regnum DEI, & baptizare, addens, *in nomine patris, & filij, & Spiritus sancti, &c.* vt in fine B. Matthæi Euangelistæ inuenitur; Matth. 28. apparens discipulis suis in monte, dixit eis; *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Et adiungit; *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur.* Ibidem. Ex hac autoritate benè intelligere possumus, quòd nulli, vsus sacramenti Baptismi incredulo, etiamsi susceperit, ad salutem proficit.

Dicunt etiam hæretici, quòd nulli, nisi, proprio ore, & corde hoc sacramentum petat, potest prodesse. Inde adducentes hunc errorem, quòd paruulis Baptismus aquæ nihil prosit.

Sed nos habemus in Euangelio B. Marci, quod Dominus IESVS CHRISTVS post resurrectionem suam discipulis suis apparuit, & dixit eis: *Euntes in mundum vniuersum, & prædicate Euangelium omni creaturæ: qui crediderit & baptizatus fuerit, saluus erit.* Marc. 14.

In hoc loco non fecit aliquam exceptionem magnorum, vel paruulorum; masculorum, vel mulierum; cùm dicit; *omni creaturæ.* Et ideo fides est Catholicæ Ecclesiæ, per vniuersum mundum; in quacunque parte nomen Christi celebratur, & creditur: siue sint paruuli, siue magni, siue viri, siue mulieres; si hoc Sacramentum Baptismi receperint, sine dubio saluantur, & ab omnibus peccatis, siue ab originalibus, siue ab actualibus, cooperante gratia Spiritus sancti, mundantur & purificantur: nisi in corruptionem peccati ceciderint post lauacrum Baptismi, antequam moriantur.

Quod dicunt de paruulis hæretici, in baptismo, non posse saluari: contra hunc errorem dixit Beatus Paulus in Epistola ad Corinthios: *Si quis frater fidelis habet mulierem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: Et, si qua mulier fidelis, habet virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum. Sanctificatur enim vir infidelis per mulierem fidelem: Et mulier infidelis, per virum fidelem. Alioqui filij vestri immundi essent: nunc autem sancti sunt.*

1. Cor. 7.

Apostolus dicit, filios fidelium parentum, esse mundos & sanctos: Multò magis autem est credendum; quòd immersione aquæ facta à ministris (Ecclesiæ) & inuocatione nominis, patris & filij & Spiritus sancti, paruuli baptizati in fide patrinorum, creduntur mundari & saluari.

Matth. 15. Vnde habemus in Euangelio Matthæi; quòd filia mulieris Cananeæ fide matris suæ salua facta est. Item habemus in Euangelio; quòd quidam deferentes pa-

tes paralyticum ad IESVM, iacentem in lecto, non Lucæ.5.
potuerunt eum adire præ turba ad eum stante in introitu domus; vt ponerent ante eum, & submiserunt Paralyticum per tegulas ante eum, vt eum sanaret: *Ipse verò respiciens fidem illorum*, deportantium, ægro reddidit sanitatem.

Item regulo IESVM causa pueri adeunte, à Domino audiuit, *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi, & sanatus est puer illius ex illa hora.* Item filia defuncta principis synagogæ, rogatu patris, à Domino suscitata est. Io.4.5. Matth.9.

Item filius cuiusdam mulieris viduæ, dum extra portam ciuitatis ad sepeliendum deferretur, fletu & vlulatu matris Dominus misericordia motus, eum suscitauit, & matri suæ reddidit. Lucæ.7.

Et idcirco his Euangelicis auctoritatibus, & aliis q̃ plurimis testimoniis, quæ in Apostolicis scripturis cōtinentur, vniuersalis Ecclesia per vniuersum mundum credit & tenet, quod fide patrinorum, per inuocationem sanctæ Trinitatis factam à ministris Ecclesiæ infantibus & pueris spiritualis gratia à Deo omnipotente in Baptismo donatur; vt Paulus testatur dicens; *Ego plantaui, Apollo rigauit, Deus autem incrementum dedit. Itaque, neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat, sed, qui incrementum dat Deus.* Et quia Apostolus dixit; *dat* DEVS *incrementum*; vnusquisque fidelis credere debet, vt, qualiscunque sit, qui baptizat cum inuocatione facta, scilicet, in nomine patris, & filij & Spiritus sancti, Deus det incrementum, (gratiam) videlicet spiritualem, hoc sacramentum recipienti, (siue) sit paruulus vel magnus. 1.Cor.3.

Vnde Petrus in Actibus Apostolorum dixit; Ba-

ptize-

Actor. 2. *ptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini nostri IESV CHRISTI, & accipietis donum spiritus sancti.*

Item dicis hæretice; quia peccator baptizare non potest: quomodo igitur baptizabant Apostoli, qui peccatores erant, attestante Ioanne, & dicente;

1. Ioan. 1. *Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.*

Item dicis; quia, per ministerium sacerdotis non datur Spiritus sanctus, quem te dare, mentiris. Et quomodo dicis, te dare Spiritum sanctum, cùm ipse spiritui sancto, in quantum potes, contradicis? Et cùm sit solius Dei dare Spiritum sanctum?

Actor. 8. Item in Actibus Apostolorum habetur; quòd *Apostoli, imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.* Non dicitur, quod darent; sed, per impositionem manuum eorum accipiebant homines Spiritum sanctum.

Ibidem. Item in Actibus Apostolorum, *Et descendebant vterque in aquam, Philippus & Eunuchus; & baptizauit eum; & descendit Spiritus sanctus super eum.*

Matth. 19. Marc. 10. Luca. 18. Item de infantibus & paruulis in Euangeliis inuenimus; quia Dominus noster Iesus Christus talem paruulorum ætatem probauit; vt dicit discipulis, offerentes ad se paruulos prohibentibus; *Sinite paruulos venire ad me; & nolite eis prohibere, venire ad me, talium est enim regnum cælorum.* Quicunque ergò non crediderit paruulorum Baptismum, atque infantium, ad salutem vitæ æternæ valere, contra Euangelium credit, & est, quasi qui contra dicit, paruulos ad Christum venire.

Item

Item habemus in Epist. B. Pauli ad Corinth. quod in primitiua Ecclesia discipuli Apostolorum pro mortuis baptizabantur: credentes eis conferre, ad eorum salutẽ animarum. Dicit enim Apostolus; *Si mortui non resurgunt, quid facient, qui baptizantur pro mortuis? Si omninò mortui non resurgunt, vt quid etiam baptizantur pro illis? vt quid & nos prædicamus omni hora?* Si ergò fides primitiuæ Ecclesiæ Apostolicæ erat, quod Baptismus viuorum pro mortuis salutem æternã illis mortuis conferebat; quod illi non audierant, non acceperant; & ideo pro illis baptizabantur: quanto magis fideles credere debent modò quod fide patrinorũ baptizati paruuli salutem ęternam, & gratiam spiritualẽ consequentur. Et ista de Baptismo sufficiant. 1. Cor. 15. Ibid. De hoc loco Apostoli & vero eius sensu vide Bellarminum li. 1. de purgatorio cap. 6.

CAPVT XIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

DIximus de Sacramẽto Baptismi, quod est prima tabula post naufragium; Ideo secundo loco post Baptismum dicendum est de pœnitẽtia: quod Sacramentum authenticè, contra hæreticã prauitatem confirmare nos oportet. A pœnitentia incipit prædicatio Ioannis. Ait enim: *Pœnitentiam agite: appropinquauit regnum cælorum.* Quod dixerat præco, id postea ipse Christus docuit in principio suæ prædicationis dicens: *Pœnitentiam agite; appropinquauit enim regnum cælorum.* Et Petrus in Actibus Apost. ad eos, qui in prædicatione sua compuncti fuerant corde: *Pœnitentiam* inquit, *agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum.* Item Petrus: *Pœnitemini igitur, & conuertimini, vt deleantur vestra peccata.* Matt. 3. Matt. 4. Act. 2. Act. 3.

Sed quia in pœnitẽtia necessaria est interior cordis contritio, & oris confessio, & digna satisfactio, iniuncta à presbytero; de vnoquoq; exempla proferamus.
Ps. 50. Quod interior cordis contritio sit necessaria, habemus ex auctoritate Psalmistæ dicentis: *Cor contritũ, & humiliatum, Deus non despicies.* Contritio enim, est
Matt. 26. compunctio cordis, quæ nascitur ex recordatione præteritorum malorum: vt in Euangelio: *Et recordatus est Petrus verbi Iesu, quod dixerat: priusquam Gallus cantet, ter me negabis: & egressus foras, fleuit amare.* Ecce, quomodo compunctus est corde: Recordans enim mali præteriti, ad lachrymas recurrit.

Item necessaria est oris confessio, quæ, duobus
Matt. 10. modis dicitur: confessio Dei, & peccatorum. Confessio Dei est: de qua Dominus in Euãgelio; *Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram patre*
Ps. 105. *meo.* Confessio peccatorum est, de qua in Psalmo Dauid: *Confitemini Domino, quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia eius.* *Bonum* dixit *Dominum*, & *misericordem*; quia, si quis confiteatur, paratus est misereri: E-
Ps. 88. ius nãq; misericordias præuidebat de longinquo per
Ps. 100. Spiritum sanctum, cùm dicebat: *Misericordias Domini*
Ps. 156. *in æternum cantabo.* Item; *Misericordiam & iudicium can-*
Ps. 31. *tabo tibi Domine.* Item: *Misericordia tua multa Domine.* Item Dauid: *Dixi, confitebor aduersum me, iniustitiam me-*
Prou. 18. *am Domino.* Confessio etenim est proprii actus cum sui accusatione execratio. Vnde illud: *Iustus prior ac-*
Iac. 5. *cusator est sui.* Et Iacobus in Epist. Canonica: *Confite-*
Rom. 10. *mini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem, vt saluemini.* Et Paulus Apostolus: *corde creditur ad iustitiam:*

ore

ore autem confessio fit ad salutem. Ecce habemus ex auctoritate Iacobi; quòd peccata nostra confiteamur. Et non dixit; confitemini soli Deo, sicut dicit hæreticus; sed, *confitemini alterutrum.* Et; quod Sacerdotibus debeamus confiteri, dicit Dominus in Euangelio; *Vade, & ostende te Sacerdoti.* Et Iacobus: *Infirmatur quis in vobis, inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum.* Luc. 17. Iac. 5.

Quod item satisfactio sit necessaria; habetur in Euangelio, vbi Lucas ait: *Facite fructus dignos pœnitentiæ.* Luc. 3. Nota; Facere dignos fructus, dignos pœnitentiæ, nihil aliud est, quàm dignam agere satisfactionem, iniunctam à presbytero. Satisfactio est sententia, vel iudicium, quod à Sacerdote datur pœnitenti super peccatum. Et hoc est iudicium, de quo dictum est. *Non iudicabit Dominus bis in id ipsum.* Et Paulus: *Si nos ipsos iudicaremus, non vtiq; iudicaremur.* Et Petrus: *Iam tempus est, vt incipiat iudicium à domo Domini.* 1. Cor. 11. 1. Pet. 4.

Et hæc est potestas, quam Dominus dedit hominibus; scilicet potestas ligandi & soluendi: Dicit namque ipsa veritas: *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Sicut enim in veteri Testamento leprosi iubebantur ostendere se Sacerdotibus, vt discernerent, qui essent mundi, vel immundi; ita & nunc, pro officio suo Sacerdos, cum audierit peccatorum varietates, sciat, quis ligandus sit, vel quis soluendus. Item postquam Christus Lazarum suscitauit, ait discipulis: *soluite eum*; Voluit Dominus, vt quem suscitauerat, ipsi soluerent, & solutum ostenderent. Et ita Deus dimittit peccata per ministrum. Cùm enim Deus dimit- Ioh. 11.

tat peccata; & homo dimittat; aliter (tamen) Deus; & aliter homo. Deus, ex semetipso: quia per semetipsum, quando vult, peccata dimittit; homines, non ex se, sed ex gratia, in eis, & per eos operante. Et ita verum est; quod Deus solus peccata dimittit: sicut

Isa. 43. ipse dicit in Propheta; *Ego sum, qui deleo iniquitates,*

Ps. 135. *& peccata populi.* Item: *Ipse est, qui facit mirabilia magna*

Luc. 18. *solus.* Et non negatur; quin & homines mirabilia faciant. Sed, non ex se, sicut Deus. Item; *nemo bonus, nisi solus Deus*: quia; ex se bonus: nec tamen negamus bonos homines esse. Et sicut homines peccata dimittunt, non ex se, sed Deus dimittit per ministerium eorum.

Sed dicis; aliquem posse seruari sine confessione; & obiicis illam auctoritatem, qua dicitur: *Quacunque horâ peccâtor ingemuerit, saluus erit.* Ad quod dicendum est; quia verè inuisibilis Sacerdos, scilicet Deus; eum, qui vult confiteri, sed non potest, soluit à delicto pœnæ æternæ, per cordis contritionem: sed, quandiu potest, nisi ore confiteatur, non absoluit. Est namque certum, quod ille, qui habet cor contritum, vult confiteri: Sed istam bonam voluntatem potest deserere. Non enim vult homo, dum est in hac vita, quod non possit nolle; Et, si hoc voluntate amissa, nollet confiteri; & tunc moreretur, nullum dubium est, tum damnari pro illo peccato, quod confiteri noluit: Nullum enim peccatum impunitum. Aut enim homo punit, aut Deus. Apparet igitur, quod solus Deus dimittit peccata, viuificando interius per gratiam: &, quod Sacerdos dimittit, non intus viuificando, sed à debito futuro æternæ pœnæ absoluendo, per eam, quam iniungit,

sa-

satisfactionem. Quod verò dicis: *Peccator, quacunque horâ ingemuerit, saluus erit*, de eis dictum est, qui instante periculo mortis, tempus satisfactionis habere non possunt: Ac si diceret; Peccator, quacunque horâ in hac vita verè pœnituerit, in futura vita non peribit. Vel, de omnibus potest dici: *quacunque hora ingemuerit, saluus erit*: quia tunc peccantis salus incipit.

Sed postquam diximus de his, quæ in pœnitentia consideranda sunt: dicendum est, quid sit pœnitentia. Pœnitentia enim est: perpetrata mala plangere, & plangenda non committere. Nam qui sic acta deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Item irrisor est, non pœnitens, qui adhuc agit, quod pœnituit: nec videtur Deum quærere subditus, sed subsannare superbus. Isaias peccantibus dicit: *Lauamini, mundi estote.* Lauatur, & mundus est, qui præterita plangit: & plangenda iterum non admittit. Et hæc est vera pœnitentia, de qua Dominus in Euangelio; *Maius est gaudium in cœlo Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm supra XC. nouem iustos, qui non indigent pœnitentia.* Non quod sit, aliquis à Deo iustus, qui non indigeat pœnitentia, *sed, qui non indigent*, id est, qui æstimant se non indigere. Et hoc est, quod adhuc retinent hæretici de supercilio Pharisæorum. Ipsi sunt enim, de quibus Salomon ait: *Lætantur, cùm malè fecerint, & exultant in rebus pessimis.* Hæc, quæ diximus, ad præsens negotium de pœnitentia sufficiant.

Isa. 1.

Luc. 15.

Prou. 2.

CAPVT XIV.

De Impositione manuum.

POst tractatum pœnitentiæ, sequitur, de manuum impositione; quod *consolamentum* vocant: quam hæretici manuum impositionem, contra Dominica præcepta, & Apostolorum instituta agere inuicem vsurpant. Quomodo, & à quibus personis fiat; & quid de eo sentiant, primùm est dicendum. Modus *consolamenti* talis est. Ille, qui dicitur Præpositus, vel Episcopus, vel Diaconus, nominatus est Rector aliorum hæreticorum sibi subiectorum. Et quando volunt facere *consolamentum* alicui viro, vel mulieri: Ille, qui *Maior*, & Ordinatus dicitur, ablutis manibus; & omnes similiter illi, qui adesse volunt, lotis manibus, librum Euangeliorum in manibus suis tenens, eum, vel eos, qui ad recipiendum *consolamentum* conueniunt, admonet; vt in eo *consolamento* omnem suam fidem, & spem salutis animarum suarum in Deo, & in illo *Consolamento* ponant. Et sic super capita eorum libro posito, orationem Dominicam septies dicunt; & deinde Beati Ioannis Euangelium, ab *In principio*, incipientes, vsque ad hunc locum Euangelii, quod dicit, *Gratia & veritas per Iesum Christum facta est*: omnibus audientibus, dicit: Et sic finitur illud *consolamentum*.

A quibus personis fit, dicamus. Scilicet, ab illis, qui inter eos *Ordinati* dicuntur. Si ipsi defuerint; ab il-

illis; qui *Consolati* dicuntur, supplerur; &, si viri non adsint, mulieres tantum infirmis faciunt.

Quid de eo sentiant, dicamus: In illo enim generaliter, omnes saluandi, fidem suam & spem habent: & omnium remissionem suorum peccatorum, & emundationem suorum delictorum, absque satisfactione aliqua, in eo se consequi credunt; si statim morte deficiunt. Et non solùm veniam de venialibus peccatis, quæ commiserunt, sed & de criminalibus perpetratis dari in eo sibi à Deo, credunt. Dicunt etiam, quod nemo magnus, vel paruus, vir, siue mulier, nisi illud *Consolamentum* ab ipsis *consolatis* receperit, cœleste regnum, & Angelorum societatem, aliquo opere, vel beneficio, vel contemplatione religionis, nec etiam martyrio, etsi ab omnibus, quod est impossibile, peccatis & delictis se abstineat consequi potest.

Credunt etiam hoc: quod, si ille, qui facit illud *Consolamentum*, in aliquo peccatorum, quæ ipsi *criminalia* vocant, lapsus fuerit; sicut est comedere carnem, aut ouum, vel caseum: vel interficere auem, vel aliquod animal, præter repentia: vel etiam illa peccata, quæ Ecclesia Romana *Criminalia* nominat, veluti homicidium, adulterium, fornicationem, immunditiam, furtum, falsum testimonium, periurium, rapinam, *Consolamentum* illius recipientibus nihil prodest. Dicunt enim, eum talem sic lapsum, Spiritum sanctum non habere: Et quod non habet, credunt, non posse alicui dare. Imò eundem credunt iterum oportere illud *Consolamentum* recipere ab alio, si saluari desiderat: & hoc vniuer-

sa-

faliter,de omnibus,tam viris,quàm mulieribus lapsis ita oportere fieri,vt dictum est.

Romana verò, Apostolica Ecclesia, omnia ista præfata, quæ ab hæreticis conficiuntur, pessimos, & mortales errores esse, multis auctoritatibus iudicat. Quia, non sunt á talibus personis facta, à quibus fieri debent: neque, à Iesu Christo institutum est: neque ab Apostolis, neque in tempore eorum factum est. Habemus & in Euangeliis, quod Dominus Iesus Christus & Saluator noster, pueris, ad se delatis, & etiam ægris imponebat manus super eos; & benedicebat eis, & sanabantur. Et hoc officium, non inuenimus, vt alicui discipulorum daret, ante passionem, quousque à mortuis resurrexit: Sed post resurrectionem potestatem Baptismi, & manus imponendi in nomine Domini tantùm Apostolis ordinatis dedit, & concessit: vt, qui ab eis ordinati fuerint, eandem potestatem baptizandi, & manus imponendi habeant: videlicet, quos Deus elegerit, & ipsi dignos iudicauerint. Vnde habemus in Actibus
Act. 8. Apostolorum, quòd Beatus Petrus, Simoni Mago offerenti pecuniam sibi, & petenti Spiritum sanctum dandi talem potestatem dari sibi; vt, cuicunque ipse imponeret manus, Spiritum sanctum acciperet; Respondit: *Non est tibi sors, neque pars in sermone*
Ibid. *isto; quia æstimasti donum Dei, pecuniâ possideri. Sed roga Deum, & age pœnitentiam ab hac tanta nequitia tua, quæ in cor tuum ascendit.* Et ita illum indignum huius diuini officii respuendo esse iudicauit.

Habemus etiam in eodem libro; quod Apostoli per

per omnes ciuitates, in quibus nomen Domini nostri Iesu Christi celebratur, & Christiani fideles persistebant: Presbyteros & Diaconos, (ad) eadem diuina Sacramenta præagenda, eis ordinabant. Verbi gratia; *Cum constituissent illis per singulas Ecclesias presbyteros.* Act. 14. Item in eodem; Cùm Paulus vellet ab Act. 20. Asia ire Hierosolymam, transiens per Ecclesias, in quibus Presbyteros & Episcopos ordinauerat, venit Miletum; & mittens Ephesum, vocauit maiores natu Ecclesiæ, dixitque eis: *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisiuit sanguine suo*: Ibid. Et postquam Dominus noster Iesus Christus Apostolos elegit, & post eius Ascensionem Apostoli per vniuersas Ecclesias Episcopos & Presbyteros, & etiam Diaconos, ad peragenda omnia diuina mysteria constituerunt: & eandem potestatem, & traditionem, quam ipsi à Christo acceperant; illis à se ordinatis concedebant: quisquis contra hanc Apostolicam traditionem facit & credit, multum errat, & mortem sibi operatur. Vnde Apostolus Iacobus ait: Iac. 2. *Qui totam legem seruauerit, offendat autem in vno, factus est omnium reus.* Item Paulus: *Modicum fermentum totam massam corrumpit.* 1. Cor. 5. Et contra personas hæreticorum ista sufficiant.

Item contra modum *consolamenti* eorum: hæretici dant illud *consolamentum* tam magnis, quàm paruis, viris ac mulieribus, quod nunquam ab Apostolis, nec inter discipulos eorum factum fuit; neque, mandatum fuisse, ab eis, inuenitur. Item Apostoli,

quos ordinare volebant, prædicatores, presbyteros, vel diaconos ſuper populum, manus tantum imponebant: de aliis non inuenimus in ſacra ſcriptura, niſi quòd prædicabant, & baptizabant eos, cum inuocatione Spiritus ſancti; vt Dominus noſter Ieſus
Matt. 28. Chriſtus eos docuerat, & eis mandauerat, vt dicitur: *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus ſancti.* Sed formam & modum dedit eis: qui vſque hodie in Eccleſia aſſiduè retinetur. Vnde valdè aſſiduè mirandum eſt, à quo talis *conſolamenti* conſuetudo hæreticorum habuerit initium, vel ſumpſit exordium. Quia, neque à Prophetis, neque à Chriſto, neque ab Apoſtolis, neque ab Apoſtolicis viris, Apoſtolorum ſucceſſoribus, initium habere videtur. Quia multum diſcrepat à dictis & à factis, & à ſcriptis omnium iſtorum: Et ideo credendum eſt, vt ſit de illis, de quibus Apoſtolus
2. Tim. 4. Paulus in Epiſtola ad Timotheum ſcripſit: *Erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt, ſibi magiſtros prurientes auribus; & à Veritate quidem auertentur.*

Item iſti non dicta Prophetarum, nec traditiones Apoſtolorum; nec mores virorum Apoſtolicorum, nec etiam ſcripta ſanctorum Patrum credere, nec obedire volunt. Ipſi hæretici, omnes homines, cuiuſcunque vitæ ſint, qui illud *Conſolamentum* ab eis non acceperint, damnatos eſſe iudicant. Et in hoc contra dicunt verbo Domini noſtri Ieſu Chri-
Luc. 6. ſti; qui ſuis diſcipulis dixit: *Nolite iudicare: & non iudicabimini; nolite condemnare, &c.* Et ideò poſſunt eſ-

ſe

se de illis, de quibus subiunxit: *In quo iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis.* Et quia iudicant & condemnant omnes alios, qui de illis non sunt; condemnatio & iudicium suum, Deo volente, erit super capita eorum. Item consilia Beati Apostoli Pauli non attendunt; neque obediunt; qui dicit; *Nolite ante tempus iudicare, quoadusque veniat Dominus; qui & illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium.* Et in alio loco: *Dominus nouit, qui sunt eius.* *Ibid.* *1. Cor. 4.*

CAPVT XV.

De esu carnium, & aliarum quarundam rerum.

OMnium hæreticorum est fides, quod nullus post suum *consolamentum* receptum, si carnem, vel caseum, vel oua comederit, possit saluari, nisi pœnitentiam receperit ab eis, & post, & ab eis reconsoletur. Sed contra tantum errorem destruendum testimoniis Euangeliorum, & etiam Apostolorum, & Epistolarum & Actuum obuiare conemur:

Habetur namque in Euangelio, quod Dominus dixit discipulis suis: *In quamcunque domum intraueritis, manete edentes & bibentes, quæ vobis apponentur.* Nullam ciborum exceptionem, scilicet carnium, vel aliarum escarum fecit eis: sed vniuersaliter *Luc. 10.*

dixit: quæcunque vobis apponentur, manducate. Item in Euangelio secundum Matthæum inuenitur
Matt. 15. quod dixit: *Non quod intrat in os: coinquinat hominem: sed, quæ procedunt de ore, hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Quia de corde procedunt homicidia, adulteria, furta,*
Matt. 26. *falsa testimonia, &c.* Item habemus in Euangeliis;
Marc. 14. Luc. 22. quod Iesus Christus Dominus in cœna cum discipulis suis agni Paschalis carnem comedit: sicut Lucas in Euangelio scripsit manifestè: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha: Et misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt; Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha? &c. Dicit tibi magister; vbi est diuersorium vbi Pascha cum discipulis meis manducem? &c. Euntes autem, inuenerunt, sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim cum eo: & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis: quia ex hoc, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et cæteri Euangelistæ similia verba ba his scripserunt. Ecce, quàm manifestè Euangelistæ scripserunt, quòd Christus comedit Pascha: & illud Pascha, quod necesse erat occidi, erat agnus Paschalis, de quo præceperat Dominus Moysi. Et Christus comedit agnum Paschalem; & ille agnus, erat caro: ergò Christus comedit carnem. Quare ergò hæretice, prohibes comedere carnem?

1. Cor. 10. Item Paulus dicit in Epistola ad Corinthios: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis infidelium vocat vos ad*

cœ-

cœnam, & vultis ire, quod vobis apponitur, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.

Item Paulus ad Timotheum: *Omnis creatura Dei bona; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Et nos scimus, & credimus; quod Christus qui est verbum & sapientia Dei patris, ad nihil aliud venit in mundum, carne assumpta de vtero virginis, nisi ad salutem animarum. Hæc supra scripta non fecisset, nec fieri iussisset, si esset iudicium & damnatio animarum fidelium. Nec etiam Apostoli & spirituali Sapientia imbuti imitatores Christi effecti facerent, neque scripsissent: neque comederent comestionem carnis, vel aliorum ciborum, si scirent esse damnabile peccatum manducantibus. Item Paulus ad Romanos: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus curationum. Alius enim credit se manducare omnia: Qui autem infirmus est, olus manducet. Is, qui manducat, non manducantem non spernat: Et, qui non manducat, manducantem non iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit; Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum, &c.* vsque ad finem capit. *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Apostolus autem *infirmum in fide* vocat illum, qui iudicat & damnat manducantem carnem, bibentem vinum. Et est pessimus

1. Tim 4.

Rom. 14.

Ibid.

Rom. 14.

Luc. 6. error; iudicare seruum Dei: cùm Deus dicat: *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.*

Rom. 14. Sed quod dicit; *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum*; non est præceptum, sed consilium datum illis, qui carnes suas volunt affligere; ne incidant in tentationes dæmonum; si non credunt, homines per carnis comestionem esse damnatos.

Col. 2. Tit. 1. Et iterum dicit Apostolus ad Coloss. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, &c.* Et iterum Apostolus ad Titum: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum.* Item: *Inquinatæ sunt & eorum mens, & conscientia.* *Audite me omnes, & intelligite; Nihil est extra hominem, introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed, quæ de homine procedunt, illa sunt, quæ coinquinant hominem.*

Ibid. Marc. 7.

CAPVT XVI.

De Resurrectione mortuorum.



POstquam diximus de ciborum comestione, dicamus de mortuorum resurrectione. Hæretici namque Saducæorum errorem imitantes, corporum mortuorum, (seu) hominum resurrectionem destruunt.

Matth. 19. Sed audiant Christum ita dicentem: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cœlo. De resurrectione autem mortuorum non* le-

legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Item in eodem Matthæus; *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt : Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Audis hæretice, *corpora surrexisse.* Matt. 27.

Item; Dominus in Euangelio secundum Ioannem; *Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; & procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ : qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Item in eodem: *Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes; & separabit eos ab inuicem sicut pastor oues ab hædis, &c.* Ioh. 5. Matt. 25.

Et non solùm resurrectio mortuorum Euangelicis testimoniis confirmatur: Sed etiam Paulus in Epistolis suis disputando de resurrectione multa locutus est ad Corinthios: *Si autem Christus prædicatur, quia resurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra, inanis est & fides nostra.* 1. Cor. 15. Ibid.

Sed hìc hæretici obiiciunt: *quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Hoc autem non dixit Apostolus de substantia carnis & sanguinis: sed, de operibus carnis & sanguinis; quod exponit Apostolus

lus in sequentibus dicens: *Neq; corruptio incorruptionem possidebit.*

Ibid. Apostolus videns Corinthios esse seductos in hoc errore, volens eos de resurrectione certificare, scripsit eis: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione: seminatur in ignobilitate, surget in gloria: seminatur in infirmitate, surget in virtute: seminatur corpus animale, surget corpus spirituale, &c.* Si est corpus animale, est & spirituale. Item Paulus ad Thessalonicenses: *Nolumus*

1. Thess. 4. *autem vos ignorare fratres de dormientibus, vt non contristemini, sicut & cæteri, qui spem non habent. Si enim credimus, quod Iesus mortuus est, & resurrexit; ita & Deus eos, qui dormierant, adducet cum eo. Hoc enim vobis dicimus in verbo Domini; quia nos, qui viuimus, qui residui sumus, in aduentu Domini non præueniemus eos, qui dormierunt. Quoniam ipse Dominus in iussu, & in voce Angeli, & in tuba Dei, descendet de cælo; & mortui, qui in Christo sunt, resurgent*

Phil. 3. *primi, &c.* Item Paulus ad Philipp. *Nostra autem conuersatio in cælis est; vnde & saluatorem exspectamus, Dominũ nostrum Iesum Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ.* Item Matthæus in Euangelio: *Dico*

Matt. 8. *autem vobis, quia multi ab Oriente & occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Isaac, & Iacob in regno cælorum. Filii autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus, & stridor dentium.* Si *fletus* oculorum erit ibi, qui pertinet ad carnem; & *stridor dentium*, qui ossa demonstrat; vera est ergò eorundem membrorum, quæ ceciderant, resurrectio.

CA-

CAPVT XVII.

De inuocatione Sanctorum, & precibus pro defunctis.

Contra quorundam hæreticorum peruersam opinionem; qui asserunt sanctos, & eorum orationes viuis adhuc in mundo pro Christo certantibus, non prodesse: nec defunctos viuorum beneficiis & orationibus releuari; fidem nostram, & omnium Catholicorum Doctorum Ecclesiæ Dei auctoritatibus muniamus.

Aliquando orant viui pro defunctis, & mortui pro viuis. Vt habetur in Euangelio secundum Lucam; sic enim diues ad Abraham: *Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres; vt testetur illis; ne, & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Hic diues erat sepultus in infernum; & tamen orabat pro viuis: quid ergo dicendum est, de sanctis, qui consecuti sunt misericordiam; &, non suam, sed aliorum desiderant salutem; & saluti futurorum electorum exaltantur? Et Ioannes in Apocalypsi: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Audis, quia sancti orant; & si orant, pro se, vel pro aliis orant. Pro se non orant; quia, non habent necesse; nec egent augmento alicuius virtutis: Ergò, pro aliis orant. Et, si pro aliis; ergò pro reprobis, vel saluandis. Sed non pro reprobis; quia sic ait Ioannes in Apocalypsi: *Vidi subtus*

Luc. 16. *Apoc. 8.* *Apoc. 6.*

T al-

altare animas inter fectorum propter verbum Domini & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes : Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habitant in
Gen. 4. *terra ?* Et Dominus in Genesi ad Cain : *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Et de Abel Paulus :
Heb. 11. *Et per illam defunctus adhuc loquitur.* Patens est ergò, quod non implorant pro reprobis, de quibus expostulant vindictam : Ergò orant pro saluandis, viuis vel defunctis. Et, si defuncti, pro viuis, patens est, quod multò magis viui pro defunctis.

Sed defunctorum tria sunt genera. Sunt quidam valdé boni, qui in ipsa dissolutione coniungũtur Deo in cœlestibus, & sine pœnæ conflictu, gaudium percipiunt æternum, vt Petrus, Ioannes & alii : Et hi precibus non possunt iuuari : quia non egent iuuamine :
Luc. 10. quibus Dominus ait : *Gaudete, quòd nomina vestra scri-*
Luc. 23. *pta sunt in cælis* : Et latro, cui Dominus : *Hodie mecum eris in Paradiso.* Item, sunt quidam valdè mali : qui peccantes ad mortem, vel existentes in criminalibus, nõ sunt conuersi per pœnitentiam : Et hi suscipientes mortem primam ; suscipiunt & secundam : de qua Io-
Apoc. 2. annes in Apocalypsi : *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, id est, morte perpetua. Et hi non possunt liberari interuentu sanctorum, nec aliquo beneficio : quia in inferno nulla est redemptio, Et ipse Deus dedignatur exorari pro talibus. Item, sunt quidam nec valdè boni, nec valdè mali ; qui post commissa, pœnitentia ducti, confessi sunt peccata sua : sed, satisfactione nondum peracta, ingrediuntur viam vniuersæ carnis ; Et hi, non damnantur, nec statim saluantur ; sed puniun-


tur

tur sub exspectatione percipiendæ salutis. Et hi iuuãtur orationibus & beneficiis; pro quibus Deus non respuit preces. Quia non peccauerunt ad mortem. Vnde Ioannes in Epistola prima: *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam. Quia creditis in nomine filii Dei. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum: quia quæcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos: Et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus. Scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem; petat; & dabit ei vitam peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* Item, sunt peccantes ad mortem, de quibus Iudas in Epistola Canonica: *quibus procella tenebrarum conseruata est in æternum.* 1. Ioh. 5.

Diximus; pro quibus sit orandum; & etiam auctoritate Ioannis probauimus. Item: quod viuorũ oratio pro fuerit defunctis, in Actibus Apostolorum (patet.) *Eiectis autem omnibus foras, ponens genua sua orauit:* Et conuersus ad corpus: dixit: *Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset sanctos, & viduas, asignauit eam viuam.* Item Martha ad Iesum: *Domine si fuisses hîc, frater meus non fuisset mortuus.* Item in libro Machabæorum: *At verò fortissimus Iudas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis. Et quià considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habebant repositam gratiam.* Act. 9. Ioh. 11. 2. Macch. 12

Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Et cum apud veteres esset consuetudo, & rectum videretur, orare pro mortuis; quia statim non poterant saluari: Sed, sub exspectatione ad infernum descendebant; Quid dicemus de his, qui statim possunt saluari?

Item sunt, qui dicunt, neminem posse saluari, qui non pœniteat, nisi in articulo mortis, nec pro eo esse orandum. Sed audiant, quid dicat Dominus latroni, ad vltimum pœnitenti, & satisfacere non
Luc. 23. valenti: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Item: *Quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit.* Sed dicis; facere te posse, saluari peccatorem sine pœnitentia & satisfactione. In quo notatur; quia diuinæ potentiæ detrahere conaris; cùm Dominus
Isa. 43. dicat in Propheta; *Ego sum qui deleo iniquitates & peccata populi.* Sed peccatum huius peccatoris, quem te saluare affirmas, non delet Deus: cùm non pœniteat. Caue ergò, ne de cætero aliquid tam detestabile præsumas dicere.



CA-

CAPVT XVIII.

De Iuramento.

DE Iuramento agamus; & quod Iuramentum licitum, & quod illicitum, authentice de thesauro scripturarum proferamus. Ait namque Moyses in Genesi: *Locutus est Dominus ad Abraham dicens: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus; quia fecisti rem hanc, &c.* Item Moyses ad populum Israël; *Dominum Deum tuum time: & per nomen illius iurabis.* Ecce audis hæretice, Prophetam Moysen attestantem, quod Deus testatur in Euangelio dicens; *Nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram.* Iurare per creaturas prohibebat Dominus, qui per semetipsum iurauit ad Noe, & ad Abraham. Vnde Moyses dicit: *In nomine Dei tui iurabis.* Item: *Reddes Domino iuramenta tua.* Et Dominus: *Non periurabis in nomine meo.* Et Moyses huic dicto concordat dicens: *Non periurabis in nomine Domini Dei viui.* Item Abraham ad seruum suum; *Iura mihi per Deum cœli.* Ecce per Creatorem, & non per creaturam voluit Abraham iurari: cui Dominus per semetipsum iurauerat; cognouit, per ipsũ debere iurari. De quo iuramento Zacharias: *Iusiurãdum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* Et Habacuk: *suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus, quæ locutus es.* Et Dauid in Psalmo: *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternũ manebit.* Item Dauid; *Qui iurat proximo suo, & non decipit, &c.* Item Dauid; *Iurauit Dominus, & non pænitebit eum.* Non tantũ iurauit, sed etiã iurasse non pœnituit.

Gen. 22. Deut. 6. Matt. 5. Matt. 5. Leuit. 19. Luc. 1. Hab. 3. Psal. 88. Psa. 14. Psal. 109.

In quo probatur, illud iuramentum non esse malum. In commendatione enim operis, designatur certum opus factoris.

Eccles. 44. Item in libro Ecclesiastici: *Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.* Item pater ad Corinthios *Ego autem testem Deum inuoco in animam meam.*
2. Cor. 1. Heb. 6. Item: *Testificor coram Deo.* Item Paulus: *Non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabant promissiones. Abrahæ namq; promittens Deus quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit*
Gen. 22. *per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. In quo volens Deus abundantius ostendere pollicitationibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum; vt per has duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habea-*
Act. 2. *mus, qui confugimus ad tenendam spem.* Item Petrus in Actibus Apostolorum de Dauid: *Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius prouidens: locutus est de resurrectione Christi.*

Sed obiicis hæretice illud; quod Dominus in Eu-
Matt. 5. uangelio ait: *Nolite iurare omninò: neq; per cœlum, neque per terram.* Hîc prohibet iurare per creaturas: quia, non est adducenda in testimonium iuramenti, creatura; sed, creator. Sed si peccatum est, iurare per cretorem; & Deus iurauit: ergò peccauit.

Ibid. Item obiicis; *Sit sermo vester, est, est; non, non.* Vide,
Exod. 3. quid hoc verbum, *sum, es*, habeat significare. Ostendit enim diuinam essentiã sicut ait Dominus ad Moy-
Ibid. sen: *Ego sum, qui sum* Item Dominus ad Moysen: *Si*

qua-

quæsierint nomen meum, dices ad eos: qui est misit me ad vos. Item in Apocalypsi: *Ego sum alpha & ω.* Ecce, hoc verbum, *est*, diuinam ostendit essentiam, quæ propriè est; & à quâ quidquid est, habet suum esse. Et, qui dicit, *est*, Deum inducit in testimonium. Et, si falsus est, qui dicit, proferendo, *est*; in vanum assumit nomen Domini Dei; quod Dominus prohibet dicens; *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Sed, cùm Dominus dixerit; *Sermo vester sit, est, est, non non*: docet, vt, quorum concordat vita; eorum concordent & verba. *Apoc. 1.* *Exod. 20.*

Item obiicis; *Sed si aliquid amplius est, à malo est*: Nota; hoc dictum est: *à malo est*; non dixit, malum est: sed à malo est, id est, ab incredulitate. Sed hæretice audi; proximum tuum debes diligere, sicut teipsum, Domino dicente: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Item Ioannes: *Qui non diligit fratrem suum: quem videt; Deum, quem non videt, quomodo potest diligere?* Sed tu solummodò dicis fratres tuos, hæreticæ prauitati consentientes: quod nequaquam est ita. Quia; omnis homo est frater tuus, & proximus tuus. Qui proximus, si sit incredulus tibi, quantum poteris, debes reuocare eum ab incredulitate, adhibendo fidem. Quod, ni feceris, non vis eum saluari: nec imples mandatum diuinum. *Matth. 5.* *1. Ioh. 4.*

Item de Iuramento Ioannes in Apocalypsi: *Et Angelus, qui tenebat pedem dextrum super mare; sinistrum autem super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iurauit per viuentem in secula seculorum: qui creauit cælum, & omnia, in illo sunt: & in terra, & ea, quæ in ea sunt. Et mare, & quæ in illo sunt.* Ecce audis idoneum testem Ange- *Apoc. 10.*

lum

lum, qui iurauit, & testatus est; quia Deus omnia creauit, cui dicto, hæretice, contra dicis? Credis Angelum peccasse? Absit. Non enim peccare possunt Angeli Dei: quia, confirmati sunt, & adstricti summo bono. Ista tibi sufficiant, hæretice, de iuramento; quia, omnia, quæ occurrunt, enumerare per longum haberetur.

CAPVT XIX.


De occisione hominis.

EXplanatis ad euidentiam supra dictorum, quæ sufficere debent Capitulis, de occisione agamus. Et qualiter Deus non occidere.

NB. *Reliqua in M. S. codice membranaceo desiderantur: nisi forte auctori ipsi mors telam præsciderit inchoatam, & aliquo vsque detextam.*



IN.



INDEX PRÆCIPVORVM FIDEI CATHOLICÆ DOGMATVM, CONTRA VVALDENSES, EORVMQVE SEQVACES NOSTRI TEMPORIS HÆRETICOS ASSERTORUM.

A.

Altare.

B.

Baptismus.

V Bapti-

dixit: quæcunque vobis apponentur, manducate.
Item in Euangelio secundum Matthæum inuenitur
Matt. 15. quod dixit: *Non quod intrat in os: coinquinat hominem: sed, quæ procedunt de ore, hæc sunt, quæ coinquinant hominem. Quia de corde procedunt homicidia, adulteria, furta,*
Matt. 26. *falsa testimonia, &c.* Item habemus in Euangeliis;
Marc. 14. quod Iesus Christus Dominus in cœna cum discipu-
Luc. 22. lis suis agni Paschalis carnem comedit: sicut Lucas in Euangelio scripsit manifestè: *Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha: Et misit Petrum & Ioannem dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. At illi dixerunt; Vbi vis, paremus tibi comedere Pascha? &c. Dicit tibi magister; vbi est diuersorium vbi Pascha cum discipulis meis manducem? &c. Euntes autem, inuenerunt, sicut dixit illis, & parauerunt Pascha. Et cùm facta esset hora, discubuit, & duodecim cum eo: & ait illis: Desiderio desideraui hoc Pascha manducare vobiscum, antequam patiar. Dico enim vobis: quia ex hoc, non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei.* Et cæteri Euangelistæ similia verba his scripserunt. Ecce, quàm manifestè Euangelistæ scripserunt, quòd Christus comedit Pascha: & illud Pascha, quod necesse erat occidi, erat agnus Paschalis, de quo præceperat Dominus Moysi. Et Christus comedit agnum Paschalem; & ille agnus, erat caro: ergò Christus comedit carnem. Quare ergò hæretice, prohibes comedere carnem?

1. Cor. 10. Item Paulus dicit in Epistola ad Corinthios: *Omne, quod in macello venit, manducate, nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis infidelium vocat vos ad cæ-*

cœnam, & vultis ire; quod vobis apponitur, manducate; nihil interrogantes propter conscientiam. Si quis autem dixerit hoc immolatum est idolis, nolite manducare, propter illum, qui indicauit, & propter conscientiam, conscientiam autem dico non tuam, sed alterius.

Item Paulus ad Timotheum: *Omnis creatura Dei bona; & nihil reiiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.* Et nos scimus, & credimus; quod Christus qui est verbum & sapientia Dei patris, ad nihil aliud venit in mundum, carne assumpta de vtero virginis, nisi ad salutem animarum. Hæc supra scripta non fecisset, nec fieri iussisset, si esset iudicium & damnatio animarum fidelium. Nec etiam Apostoli & spirituali Sapientia imbuti imitatores Christi effecti facerent, neque scripsissent: neque comederent comestionem carnis, vel aliorum ciborum, si scirent esse damnabile peccatum manducantibus. Item Paulus ad Romanos: *Infirmum autem in fide assumite, non in disceptationibus curationum. Alius enim credit se manducare omnia: Qui autem infirmus est, olus manducet. Is, qui manducat, non manducantem non spernat: Et, qui non manducat, manducantem n n iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat, aut cadit; Stabit autem: potens est enim Deus statuere illum, &c.* vsque ad finem capit. *Debemus autem nos firmiores, imbecillitates infirmorum sustinere, & non nobis placere.* Apostolus autem *infirmum in fide* vocat illum, qui iudicat & damnat manducantem carnem, bibentem vinum. Et est pessimus

1. Tim 4. | Rom. 14. | Ibid. | Rom. 14.

Luc. 6. error, iudicare seruum Dei: cùm Deus dicat: *Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini.*

Rom. 14. Sed quod dicit; *Bonum est non manducare carnem, & non bibere vinum*; non est præceptum, sed consilium datum illis, qui carnes suas volunt affligere; ne incidant in tentationes dæmonum; si non credunt, homines per carnis comestionem esse damnatos.

Col. 2. Tit. 1. Et iterum dicit Apostolus ad Coloss. *Nemo vos iudicet in cibo, aut in potu, &c.* Et iterum Apostolus ad Titum: *Omnia munda mundis: coinquinatis autem, & infidelibus nihil mundum.* Item: *Inquinatæ sunt & eorum mens, & conscientia.* Marc. 7. *Audite me omnes, & intelligite; Nihil est extra hominem, introiens in eum, quod possit eum coinquinare; sed, quæ de homine procedunt, illa sunt, quæ coinquinant hominem.*

CAPVT XVI.

De Resurrectione mortuorum.



POstquam diximus de ciborum comestione, dicamus de mortuorum resurrectione. Hæretici namque Saducæorum errorem imitantes, corporum mortuorum, (seu) hominum resurrectionem destruunt.

Matth. 19. Sed audiant Christum ita dicentem: *Erratis nescientes scripturas, neque virtutem Dei. In resurrectione enim, neque nubent neque nubentur; sed erunt sicut Angeli Dei in cælo. De resurrectione autem mortuorum non* le-

legistis quod dictum est à Deo dicente vobis : Ego sum Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Non est Deus mortuorum, sed viuorum. Item in eodem Matthæus; *Et monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, resurrexerunt: Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* Audis hæretice, *corpora surrexisse.* Matt. 27.

Item; Dominus in Euangelio secundum Ioannem; *Nolite mirari hoc; quia venit hora, in qua omnes, qui in monumentis sunt, audient vocem filii Dei; & procedent, qui bona egerunt in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicii.* Item in eodem: *Cùm autem venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur ante eum omnes gentes; & separabit eos ab inuicem sicut pastor oues ab hædis, &c.* Ioh. 5. Matt. 25.

Et non solùm resurrectio mortuorum Euangelicis testimoniis confirmatur: Sed etiam Paulus in Epistolis suis disputando de resurrectione multa locutus est ad Corinthios: *Si autem Christus prædicatur, quia resurrexit à mortuis, quomodo dicunt quidam in vobis, quoniam resurrectio mortuorum non est? Si autem resurrectio mortuorum non est, neq; Christus resurrexit. Si autem Christus non resurrexit, inanis est ergò prædicatio nostra, inanis est & fides nostra.* 1. Cor. 15. Ibid.

Sed hîc hæretici obiiciunt: *quoniam caro & sanguis regnum Dei possidere non possunt.* Hoc autem non dixit Apostolus de substantia carnis & sanguinis: sed, de operibus carnis & sanguinis: quod exponit Apostolus

CAPVT XVII.

De inuocatione Sanctorum, & precibus pro defunctis.

Contra quorundam hæreticorum peruersam opinionem; qui asserunt sanctos, & eorum orationes viuis adhuc in mundo pro Christo certantibus, non prodesse: nec defunctos viuorum beneficiis & orationibus releuari; fidem nostram, & omnium Catholicorum Doctorum Ecclesiæ Dei auctoritatibus muniamus.

Aliquando orant viui pro defunctis, & mortui pro viuis. Vt habetur in Euangelio secundum Lucam; sic enim diues ad Abraham: *Rogo te pater, vt mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinque fratres; vt testetur illis; ne, & ipsi veniant in locum hunc tormentorum.* Hic diues erat sepultus in infernum; & tamen orabat pro viuis: quid ergo dicendum est, de sanctis, qui consecuti sunt misericordiam; &, non suam, sed aliorum desiderant salutem; & saluti futurorum electorum exaltantur? Et Ioannes in Apocalypsi: *Et alius Angelus venit, & stetit ante altare, habens thuribulum aureum in manu sua; & data sunt ei incensa multa, vt daret de orationibus sanctorum omnium super altare aureum, quod est ante thronum. Et ascendit fumus incensorum de orationibus sanctorum, de manu Angeli coram Deo.* Audis, quia sancti orant; & si orant, pro se, vel pro aliis orant. Pro se non orant; quia, non habent necesse; nec egent augmento alicuius virtutis: Ergò, pro aliis orant. Et, si pro aliis; ergò pro reprobis, vel saluandis. Sed non pro reprobis; quia sic ait Ioannes in Apocalypsi: *Vidi subtus*

Luc. 16. Apoc. 8. Apoc. 6.

T al-

altare animas inter fectorum propter verbum Domini & propter testimonium, quod habebant, & clamabant voce magna dicentes: Vsquequo Domine sanctus & verus non iudicas & vindicas sanguinem nostrum, de his, qui habitant in terra? Et Dominus in Genesi ad Cain: *Vox sanguinis fratris tui Abel clamat ad me de terra.* Et de Abel Paulus: *Et per illam defunctus adhuc loquitur.* Patens est ergò, quod non implorant pro reprobis, de quibus expostulant vindictam: Ergò orant pro saluandis, viuis vel defunctis. Et, si defuncti, pro viuis, patens est, quod multò magis viui pro defunctis.

Gen. 4.

Heb. 11.

Sed defunctorum tria sunt genera. Sunt quidam valdé boni, qui in ipsa dissolutione coniungũtur Deo in cœlestibus, & sine pœnæ conflictu, gaudium percipiunt æternum, vt Petrus, Ioannes & alii: Et hi precibus non possunt iuuari: quia non egent iuuamine: quibus Dominus ait: *Gaudete, quòd nomina vestra scripta sunt in cælis*: Et latro, cui Dominus: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Item, sunt quidam valdè mali: qui peccantes ad mortem, vel existentes in criminalibus, nõ sunt conuersi per pœnitentiam: Et hi suscipientes mortem primam; suscipiunt & secundam: de qua Ioannes in Apocalypsi: *Qui vicerit, non lædetur à morte secunda*, id est, morte perpetua. Et hi non possunt liberari interuentu sanctorum, nec aliquo beneficio: quia in inferno nulla est redemptio, Et ipse Deus dedignatur exorari pro talibus. Item, sunt quidam nec valdè boni, nec valdè mali; qui post commissa, pœnitentia ducti, confessi sunt peccata sua: sed, satisfactione nondum peracta, ingrediuntur viam vniuersæ carnis: Et hi, non damnantur, nec statim saluantur; sed puniuntur

Luc. 10.
Luc. 23.

Apoc. 2.

tur sub exspectatione percipiendæ salutis. Et hi iuuātur orationibus & beneficiis; pro quibus Deus non respuit preces. Quia non peccauerunt ad mortem. Vnde Ioannes in Epistola prima: *Hæc scribo vobis, vt sciatis, quoniam vitam habetis æternam. Quia creditis in nomine filii Dei. Et hæc est fiducia quam habemus ad eum: quia quæcunq; petierimus secundum voluntatem eius, audit nos: Et scimus, quia audit nos, quidquid petierimus. Scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo. Qui scit fratrem suum peccare peccatum non ad mortem; petat; & dabit ei vitam peccanti non ad mortem. Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, vt roget quis.* Item, sunt peccantes ad mortem, de quibus Iudas in Epistola Canonica: *quibus procella tenebrarum conseruata est in æternum.* 1. Ioh. 5.

Diximus; pro quibus sit orandum; & etiam auctoritate Ioannis probauimus. Item: quod viuorū oratio pro fuerit defunctis, in Actibus Apostolorum (patet.) *Eiectis autem omnibus foras, ponens genua sua orauit*: Et conuersus ad corpus: dixit: *Tabitha surge. At illa aperuit oculos suos, & viso Petro, resedit. Dans autem illi manum, erexit eam. Et cùm vocasset sanctos, & viduas, assignauit eam viuam.* Item Martha ad Iesum: *Domine si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Item in libro Machabæorum: *At verò fortissimus Iudas, facta collatione, duodecim millia drachmas argenti misit Hierosolymam, offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. Nisi enim eos, qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur, & vanum, orare pro mortuis. Et quià considerabat, quod hi, qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam habebant repositam gratiam.* Act. 9. Ioh. 11. 2. Macch. 12

Sancta ergò, & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur. Et cum apud veteres esset consuetudo, & rectum videretur, orare pro mortuis; quia statim non poterant saluari: Sed, sub exspectatione ad infernum descendebant; Quid dicemus de his, qui statim possunt saluari?

Item sunt, qui dicunt, neminem posse saluari, qui non pœniteat, nisi in articulo mortis, nec pro eo esse orandum. Sed audiant, quid dicat Dominus latroni, ad vltimum pœnitenti, & satisfacere non
Luc. 23. valenti: *Hodie mecum eris in Paradiso.* Item: *Quacunque hora peccator ingemuerit, saluus erit.* Sed dicis; facere te posse, saluari peccatorem sine pœnitentia & satisfactione. In quo notatur; quia diuinæ potentiæ detrahere conaris; cùm Dominus
Isa. 43. dicat in Propheta; *Ego sum qui deleo iniquitates & peccata populi.* Sed peccatum huius peccatoris, quem te saluare affirmas, non delet Deus: cùm non pœniteat. Caue ergò, ne de cætero aliquid tam detestabile præsumas dicere.



CA-

CAPVT XVIII.

De Iuramento.

DE Iuramento agamus; & quod Iuramentum licitum, & quod illicitum, authentice de thesauro scripturarum proferamus. Ait namque Moyses in Genesi: *Locutus est Dominus ad Abraham dicens: Per memetipsum iuraui, dicit Dominus; quia fecisti rem hanc, &c.* Item Moyses ad populum Israël; *Dominum Deum tuum time: & per nomen illius iurabis.* Ecce audis hæretice, Prophetam Moysen attestantem, quod Deus testatur in Euangelio dicens; *Nolite iurare, neque per cœlum, neque per terram.* Iurare per creaturas prohibebat Dominus, qui per semetipsum iurauit ad Noe, & ad Abraham. Vnde Moyses dicit: *In nomine Dei tui iurabis.* Item: *Reddes Domino iuramenta tua.* Et Dominus: *Non periurabis in nomine meo.* Et Moyses huic dicto concordat dicens: *Non periurabis in nomine Domini Dei viui.* Item Abraham ad seruum suum; *Iura mihi per Deum cœli.* Ecce per Creatorem, & non per creaturam voluit Abraham iurari: cui Dominus per semetipsum iurauerat; cognouit, per ipsũ debere iurari. De quo iuramento Zacharias: *Iusiurãdum, quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis.* Et Habacuk: *suscitans suscitabis arcum tuum: iuramenta tribubus, quæ locutus es.* Et Dauid in Psalmo: *Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternũ manebit.* Item Dauid; *Qui iurat proximo suo, & non decipit, &c.* Item Dauid; *Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum.* Non tantũ iurauit, sed etiã iurasse non pœnituit.

Gen. 22. Deut. 6. Matt. 5. Matt. 5. Leuit. 19. Luc. 1. Hab. 3. Psal. 88. Psa. 14. Psal. 109.

In quo probatur, illud iuramentum non esse malum. In commendatione enim operis, designatur certum opus factoris.

Eccles. 44. Item in libro Ecclesiastici: *Ideo iureiurando fecit illum Dominus crescere in plebem suam.* Item patet ad Corinthios *Ego autem testem Deum inuoco in animam meam.*

2. Cor. 1. Heb. 6. Item: *Testificor coram Deo.* Item Paulus: *Non segnes efficiamini, verùm imitatores eorum, qui fide & patientia hæreditabant promissiones. Abrahæ namq; promittens Deus quoniam neminem habuit, per quem iuraret maiorem, iurauit*

Gen. 22. *per semetipsum, dicens: Nisi benedicens benedicam te, & multiplicans multiplicabo te. Et sic longanimiter ferens, adeptus est repromissionem. In quo volens Deus abundantius ostendere pollicitationibus immobilitatem consilii sui, interposuit iusiurandum; vt per has duas res immobiles, quibus impossibile est, mentiri Deum, fortissimum solatium habea-*

Act. 2. *mus, qui confugimus ad tenendam spem.* Item Petrus in Actibus Apostolorum de Dauid: *Propheta igitur cùm esset, & sciret, quia iureiurando iurasset illi Deus, de fructu lumbi eius sedere super sedem eius prouidens: locutus est de resurrectione Christi.*

Sed obiicis hæretice illud; quod Dominus in Euangelio ait:

Matt. 5. *Nolite iurare omninò: neq; per cælum, neque per terram.* Hîc prohibet iurare per creaturas: quia, non est adducenda in testimonium iuramenti, creatura; sed, creator. Sed si peccatum est, iurare per cretorem; & Deus iurauit: ergò peccauit.

Ibid. Item obiicis; *Sit sermo vester, est, est; non, non.* Vide,

Exod. 3. quid hoc verbum, *sum, es*, habeat significare. Ostendit enim diuinam essentiã sicut ait Dominus ad Moy-

Ibid. sen: *Ego sum, qui sum* Item Dominus ad Moysen: *Si*

qua-

quæsierint nomen meum, dices ad eos: qui est misit me ad vos.
Item in Apocalypsi; *Ego sum alpha & ω.* Ecce, hoc ver- *Apoc. 1.*
bum, *est*, diuinam ostendit essentiam, quæ propriè
est; & à quâ quidquid est, habet suum esse. Et, qui di-
cit, *est*, Deum inducit in testimonium. Et, si falsus est,
qui dicit, proferendo, *est*; in vanum assumit nomen
Domini Dei; quod Dominus prohibet dicens; *Non
assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Sed, cùm Do- *Exod. 20.*
minus dixerit; *Sermo vester sit, est, est, non non*: docet,
vt, quorum concordat vita; eorum concordent &
verba.

Item obiicis; *Sed si aliquid amplius est, à malo est*:
Nota; hoc dictum est: *à malo est*; non dixit, malum est: *Matth. 5.*
sed à malo est, id est, ab incredulitate. Sed hæretice
audi; proximum tuum debes diligere, sicut teipsum,
Domino dicente: *Diliges proximum tuum sicut teipsum.*
Item Ioannes: *Qui non diligit fratrem suum: quem videt;* *1. Ioh. 4.*
Deum, quem non videt, quomodo potest diligere? Sed tu so-
lummodò dicis fratres tuos, hæreticæ prauitati con-
sentientes: quod nequaquam est ita. Quia; omnis
homo est frater tuus, & proximus tuus. Qui proxi-
mus, si sit incredulus tibi, quantum poteris, debes
reuocare eum ab incredulitate, adhibendo fidem.
Quod, ni feceris, non vis eum saluari: nec imples
mandatum diuinum.

Item de Iuramento Ioannes in Apocalypsi: *Et
Angelus, qui tenebat pedem dextrum super mare; sinistrum* *Apoc. 10.*
*autem super terram, leuauit manum suam ad cælum, & iura-
uit per viuentem in secula seculorum: qui creauit cælum, &
omnia, in illo sunt: & in terra, & ea, quæ in ea sunt. Et mare,
& quæ in illo sunt.* Ecce audis idoneum testem Ange-
lum

lum, qui iurauit, & testatus est; quia Deus omnia creauit, cui dicto, hæretice, contra dicis? Credis Angelum peccasse? Absit. Non enim peccare possunt Angeli Dei: quia, confirmati sunt, & adstricti summo bono. Ista tibi sufficiant, hæretice, de iuramento; quia, omnia, quæ occurrunt, enumerare per longum haberetur.

CAPVT XIX.


De occisione hominis.

EXplanatis ad euidentiam supra dictorum, quæ sufficere debent Capitulis, de occisione agamus. Et qualiter Deus non occidere.

NB. *Reliqua in M. S. codice membranaceo desiderantur: nisi forte auctori ipsi mors telam præsciderit inchoatam, & aliquo vsque detextam.*



IN-



INDEX PRÆCIPVORVM FIDEI CATHOLICÆ DOGMATVM, CONTRA VVALDENSES, EORVMQVE SEQVACES NOSTRI TEMPORIS HÆRETICOS assertorum.

Ecclesias

Ieiunium

Matrimo-

Oratio.

Quæ-

R.

Religio.

Resurrectio.

S.

Sacerdos.

T.

Tonsura.

V.

VValdenses.

Walden-

X.

Xabatati.

FINIS.



ERRATA.

Pag. 2. verſ. 4. Schloijs, lege Scholijs. 5. 11. indidignas, lege, indignas. Ibid. 16. Sabbataris, lege, Sabbatatis. 9. 9. ç, lege, c. Ibid. 11. (aut) lege, Z. aut S. 10. 1. ritis, lege, iſtis. 18. 15. liguæ, lege, linguæ. 21. vlt. coniunctis armis obuium, lege, coniunctis armis obuiam. 30, penult. ficte, lege, fide. 66. 11. quæ dedit legem qui, lege, qui dedit legem quæ. 150. 22. Hieremius, lege, Hieremias. 153. 11. coniugalis, lege, coniugales. Ibid. 12. nuptijs, lege, nuptias. Ibid. penult. Æquum, lege, Æqua. 165. penult. fallandi, lege, fallendi. 166. 14. Molite, lege, Nolite. 180. 32. & vlt. nos, lege, vos. 198. in marg. calicem & cumelum, lege, culicem & camelum.

Leniora facile à quouis animaduertentur.







